6
11-a
20

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 G
30

Ex Bibliotheca
Maiori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-d-20

22-6-10

Digitized by Google

ALEXANDRI PERLASCÆ PANEGYRICI XXXVI.

VIRIS ILLVSTRIBVS DICTI

in laureæ literariæ gratulatione.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIOLANI,

Typis Ludouici Montiæ. 1668.

SVPERIORVM PERMISSV,

& Priuilegio.

Digitized by Google

CARDINALI
EMINENTISSIMO
ALPHONSO
LITTÆ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ambroſianæ Eccleſiæ
AMPLISSIMO
ARCHIEPISCOPO
ALEXANDER PERLASCA
ſummæ obſeruantiæ cauſa
ſe totum & ſuas vigilias
D. D. D.

NIhil habet meus hic liber eiuſmodi, quale Vulcani tripodes habuiſſe feruntur, quos factos à ſuo artifice, ſtatim ſua ſponte in certamen diuinum prodijſſe fama vulgauit. Veruntamen liber hic quoque vix ſe in mea

officina eſſe abſolutum ſenſit, quum ſe incitauit foras, atque ad manus EMINENTIÆ TVÆ *latus, ouanſque properauit. Cum enim ex vetere formula parandus à me huic illepido nouo libro, inſulſo, nullàque pumice expolito patronus eſſet, & illi ex nomine aliquo clariſſimo eſſet concilianda auctoritas, nihil opus fuit me diutius ancipitem hærere, nihil animos in animo meo certare decem, vt*

Plaut. mercat. a. 3. *de ſe ait Charinus apud poetam; ſed protinus ad* EMINENTIAM TVAM *decurri, vt cui iampridem religiosè corpus animamque addixi, cui adhuc preces omnes meas allegare conſueui, cuique adeò me in omni fortuna commendatum exopto, ex eiuſdem nomine auſpicatiſſimo quærerem meis literulis & vigilijs commendationem. Cuius quidem libelli eſt ea ratio, vt quamquam eius aliud fortaſſe nihil poſſit cuiquam probari, argumentum tamen nemini debeat diſplicere. Etenim encomijs virtutis refertus eſt, & laudes in eo ciuium honoratorum memorantur.*

Iliad. *Quod equidem exemplo feci Achillis, quem ait Homerus, cum ab Agamemnone odio diſſideret inexpiabili, atque ob ablatam Bryſeidem omni munere abſtineret militiæ, eam aberrationem à ſummo dolore quæſiſſe, vt totum illud tempus canendis ad ſymphoniæ modos clarorum Principum laudibus tranſmitteret. quamquam enim modò ſin-*

3. Regū cap. 5. *gulari Dei munere in Italia noſtra nullus* Satan eſt, & occurſus malus, *ſed pax aurea, pax læta & opulenta, quæ cuncta refouet ac inſtaurat, tamen pars maior huius nata libri eſt, quum Mars ſæuus & cruentus omni terrore belli Europam permiſcebat. Siue autem pinacotheca quoddam inſtar habet hic*

liber,

liber, in qua clarorum virorum imagines in bono lumine poſita viſantur: ſiue ſpeciem quandam gerit Academiæ, in quam nomen dederit flos iuuentutis Italicæ; vtrobique ſedere Πρόεδρος, *hoc eſt, præſes & honoratiſſimo loco debuiſſe EMINENTISSIMVS LITTA potuit videri. Et es ſanè, CARDINALIS AMPLISSIME, plurimis nominibus promeritus à me, TVAM vt EMINENTIAM omnis mea pagina loquatur ac celebret. at enim præterquam quòd ſtatuas turmales iure potuiſti aſpernari, non eſt hominis cuiuſuis, vt fertur Græcorum prouerbio, Iouem effingere. Maior es, ANTISTES CLARISSIME, quàm quanta in me facultas ſit, quantaque copiæ ingenij. Neque tamen mihi contingit, quod olim Timanthi pictori Samio, qui ſacrificium Iphigeniæ ſtantis ad aram pinxit; qui cum, vt ait Quintilianus, in effingendo omnium dolore certum in vno quoque modum ſeruaſſet, ac triſtem Calchantem, triſtiorem Vlyſſem exhibuiſſet, atque addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat ars efficere mœrorem, aemum cum non reperiret quo dignè modo vultum poſſet patris ipſius exprimere, qui ſuum, qui filiæ caſum dolore lamentabatur infinito, velauit eius caput, & ſuo cuique animo æſtimandum reliquit. Mihi nihil accidit eiuſmodi. Dicturo enim de EMINENTISSIMO LITTA, qui vnus lectus ex omnibus fuit, vt in patria ſua omnibus vnus iura ſacra redderet: cuius etiam meritis immortalibus magis miramur eſſe tandiu purpuræ Vaticanæ præmium dilatum, quàm delatum aliquando fuiſſe; ne infantiſſimo quidem poſſunt verba deeſſe. Quiddam ergo aliud in cauſa fuit, cur TV meum in*

Plin. lib. 35. c. 10.

Inſtitut. orator. lib. 2. c. 13.

 hunc

hunc gregem non veneris. quid enim ipſe in hunc gregem venires? qui quamquam viris conſtat illuſtribus, nuſquam tamen in eo CARDINALES ſunt. Quid autem cum cupreſſu conuenit viburnis atque myricis? quàm eſt diſpar vtrorumque ratio? Tua, quæ foris & in patria, quæ toties in prouinciali munere, quæ denique cum inſulis geſſiſti, ita genere, dignitate, ac numero præcellunt, vt de eadem fidelia, de qua loci, ordiniſque mei ciues, eorumque ſtudia, recuſent dealbari. Me ſcilicet quis ferre poſſit, ſi quæ ab Eminentia tua ſunt in tot honorum decurſu geſta cum ſumma laude, ea putem à me poſſe pro faſtigio rerum, oratione etiam magnifica, facta dictis æquando memorari? Quod enim de Hierone cecinit aliquando Pindarus, eum decerpſiſſe faſtigia, & id, quod eſt in vnaquaque virtute pulcherrimum, tenuiſſe, id in EMINENTISSIMVM LITTAM conuenit ad amuſſim. Quid verbis opus eſt? Rerum tuarum ampliſſimarum non eſt mea æſtimatio: Fuit multo ante VRBANI VIII. atque INNOCENTII X. qui tua induſtria alijs alijſque documentis ſpectata ad plurimarum, maximarumque rerum adminiſtrationem, qua pace, qua bello, ſibi vtendum cenſuerunt. Fuit tot gentium, quibus cum imperio præfuiſti, quæ te ſibi magnitudine animi, integritate, magnificentia, ſplendore vitæ, morumque ſuauitate commendatum, etiamnum ferunt in oculis, nec habent quidquam LITTÆ vocabulo iucundius. Tua enim vita inſtar habuit fabulæ motoriæ. nam quot populis ius dixeris, quibus etiam veluti gradibus ad iſtum locum honoris ampliſsimi aſcenderis, & quàm continenti procuratione munerum honeſtiſſimarum.

Olymp. ode 1.

marum.

marum, quæ velut catenata, & alijs alia ſuccedentia te vix interſpirare permiſerunt, nihil me attinet memorare. Principio miſſus Ariminum in prouinciam fuiſti, tum conſecuta Vrbs Vetus (Oruietum notiore Italorum auribus nomine dicunt): inde Spoletum, atque deinceps Camerinum conceſſiſti. Quibus perfunctus muneribus Pro-legatus es creatus Bononienſis. Cuius prouinciæ cum dies exiſſet, ſcilicet rebus turbidis commotiſque, Bononiæ, Romandiolæ atque Ferrariæ in ſociali bello contra Principes coniuratos fuiſti Pontificius Quæſtor totius exercitus. Neque ibi tui labores conſtitere; ſed munere extraordinario es Aſculum ad res turbatas componendas allegatus: pauloque poſt Campaniæ, oræque maritimæ ac vniuerſo Piceno es præfectus cum imperio; vnde poſtremò es patriæ tuæ expectanti, ouantique reſtitutus, quam quintum decimum iam annum foues, ornaſque Archiepiſcopus vigilantiſſimus: ſeròque, ſed tamen aliquando, plaudente orbe terrarum, es in eum ordinem lectus, ardens quem purpura veſtit, *& qui te exæquat Regibus, qui denique vno tantùm gradu abeſt à rerum humanarum ſummo faſtigio. Sed nouiſſimè rerum à te geſtarum æſtimatio fuit anno ſuperiore Italiæ totius, quæ te ad honores capiendos proficiſcentem ſic accepit, ſic occurrit, ſic coluit, vt non Antiſtitem Eccleſiæ Mediolanenſis, ſed Fortunam ipſam Obſequentem videretur aſpicere. Neque enim illa tua Romana peregrinatio, CARDINALIS AMPLISSIME, iter viſum fuit aut profectio, ſed quædam apotheoſis & conſecratio. Quàm frequentes occurrerunt proceres? quo omnium ordinum concurſu fuit celebratus tuus ingreſſus in vrbes? quanto*

triumphanti ſimilior, quàm peregrinanti loca munita intrauiſti? quàm ſunt multi & quàm inuſitati cumulati honores? quæ oratorum & poetarum voces? quæ ſymphoniacorum? qui bellicarum machinarum feſti fragores fuerunt? cum tamen inter omnes eminuerit ſumma comitas eorum, qui Romæ rerum potiebantur: atque adeò cum ipſe P. M. ALEXANDER VII. quod habuit ſummum præmium tibi perſoluerit. Quales porro illæ fuere veſperæ vndecimi Kalendas Martias? quàm illuſtres? quàm inſignes ad memoriam diuturnam eius diei? quum didito per vrbem hanc noſtram rumore de tua purpura, penè temporis momento ciues tui & frequentiſſimi & lætiſſimi in Metropolitanam baſilicam confluxerunt. quæ tum omnium voces? qui vultus aliorum alios alloquentium? qui habitus animorum? quæ vbique collucentes faces? Me tam recenti tua gloria, in tanto plauſu publico ſilere de EMINENTIA TVA viſum modeſtiſſimum fuit. Ergo eò redeo, vnde ſum orſus. TE velim ea fronte meas lucubrationes intueri, qua ſoles cuncta exhilarare; tuamque benignitatem ſupplex obteſtor, vt artificem, artificiumque in fidem & clientelam accipias. Vale. Mediolani Idibus Ian. anno χριστογονίας IↃC.LXVIII.

ALE-

ALEXANDRO
PERLASCÆ
Viro ampliſſimo & doctiſſimo
CAROLVS MARIA MADDIVS
à Secretis Excellentiſſimi Senatus Mediol.

CVM de panegyricis tuis elegantiſſimis & quid ſentiam ipſe, & de communi iudicio quid ſperem, tibi ſæpe anteà ſignificauerim, amorem quidem meum ſatis probare, ſingularem iſtam modeſtiam tuam non ita expugnare viſus ſum. Et quanquam ne id quidem mihi accidit iniucundum, vt te à me amari facilè intelligas, nolim tamen exiſtimes hoc officio meo plus amori noſtro, quàm tuo tempori eſſe tributum. Moueor enim & ipſe communis opinionis & famæ reuerentia, & eos puto ſapientiſſimè facere, qui irreuocabilem hanc aleam non temerè ſubeunt. Quòd ſi tibi de re tua tam graui ad me referenti amantiùs, quàm veriùs reſpondiſſem, eſſet equidem quod in amore iſto pietatem deſiderares. Sed teſtimonij huius mei auctoritas vt ſit leuiſſima, fidem certè eſſe optimam volo, quæ vt tibi etiam ipſi ſit teſtata, cauſas omnes ad te perſcribendas eſſe conſtitui, quæ mihi de tuo nomine ac fama tam præclaram mouerint expectationem. Sunt hæ orationis tuæ virtutes eximiæ, quas breuiter perſtringere non ſolùm puto ad officium meum, ſed etiam ad literariæ reipublicæ commodum pertinere.

Cum

Cum enim viri doctiſſimi, ijdem modeſtiſſimi eſſe conſueuerint, ſunt ſuarum ipſarum laudum ſępius admonendi, tum vt gloriam, iuſtiſſimum ſcilicet ſtudiorum ſuorum fructum ipſi percipiant, tum vt lucubrationes præclariſſimæ vtiliſſima editione veluti in communem literatorum cenſum referantur,

Primum itaque omnium (vt de tuis aureis orationibus tandem dicam) in tanta cauſarum ſimilitudine tàm multiplicem argumentorum varietatem excogitari, tàm copioſè explicari, & tanta amœnitate tractari potuiſſe quis credat? Mitto ſententiarum grauitatem, lumina figurarum, venuſtates, lepores, & veneres, omneſque vrbanitatis partes ſine vlla dicacitatis ſuſpicione impletas elegantiſſimè. Mitto vbertatem eruditionis, non eam quidem, quæ aut vulgata faſtidium, aut retruſa tenebras afferat, ſed ab optimis ſcriptoribus cum exquiſitiſſimo delectu petitam, aptam rei, gratam auditoribus, decoram oratori, & in omnes partes grauem ac periucundam. Habet in primis tua oratio mores optimos, habet oeconomíam ſolertiſſimam, & quod in genere hoc demonſtratiuo perrarum eſt ac difficillimum, vbi res poſtulat, neruos ac robur. Sed inter omnes dictionis tuæ virtutes me quidem iudice familiam ducit caſtitas, & nitor ab aurea illa Ciceronis & Auguſti ætate repetitus, vltima vt opinor ſcriptorũ noſtrorum laus, & rara adeò, vt per maximum huius ſeculi dedecus ſpectari, ac quæri propè deſierit, ab aliquibus etiam exilitatis, & humilitatis arceſſi videatur. Horum quidem ſcripta, quæ per *inſanabile ſcribendi cacoethes* vulgantur, quotidiè Latina dicimus, Oſca nos, ſeu quo alio longinquioris etiam peregrinitatis nomine rectius appellaremus. Quòd ſi pauci quidam ſumma laboris, & ſtudij contentione in hoc aliquid effecerunt, eorum tamen lucubrationes olent oleum & lucernam, ita vt anxia nimis elocutio ſuis ſe ſalebris impediat, & vbique reſiſtat, atque vt Latinitatem tolerabiliter tueatur, æquabilitatem ſtyli, & aureum illum, fluentemque dicendi tenorem omnino non ſeruat. Tu

verò

verò in idiomate tot ante ſeculis deſito, & cui à tot populatoribus Italiæ tam multiplex eſt infuſa peregrinitas, quàm caſtus medius-fidius, quàm facilis, quam lenis, quàm æquabilis! Nihil vſquam hæret, nihil eminet, nihil reſultat, nihil turget, ſed omnia cohærent aptiſſimè, & tranquillo veluti flumine ſuauiſſime deferuntur. Hæc virtus, cum in facilitate ipſa, & quadam imitandæ naturæ lenitate conſiſtat, quàm aſſidua diligentique ſcribendi exercitatione quæratur, æſtimari vix ſolet. Nam ſi quis hanc ingrediatur viam, tuoque exemplo propoſito ſtylum detergere inſtituat, tum demum intelligat laudem hanc non ita eſſe in medio poſitam, eiq e parandæ nec vulgares naturæ anticipationes requiri, nec mediocrem laboris conſtantiam eſſe ſuſcipiendam. Cum verò tantam felicitatem ingenij, & ſtudij fructum tu iam diu perceperis, quid ceſſas edere orationes elegantiſſimas, & parta iam gloria præſens frui, quæ teſte Martiali *Cineri ſera venit*? Quòd ſi in ſublimi ſapientiæ faſtigio locatus lumen hoc opinionis, & famæ excelſo magnoque animo deſpicis, quid idem inuides patriæ, cui ex eo tanta dignitatis fiet acceſſio? Nomen quidem gloriæ durior philoſophia fecit ambiguum, ſi tamen referatur ad patriam, charitate commendatur. Quanquam hanc ego editionem iam non ad gloriam, ſed ad officium refero, cuius te vt blandè admonerent, ad te ipſas laudes tuas paulò ante allegaui, quæ ſcilicet teſtarentur, & præclariſſimum tui nominis decus iſti vrbi, & optimos Latinitatis characteres tuis ciuibus ſalua pietate diutius non poſſe deberi. Has ſi audis, reuocabis ab exilio Latinas Muſas lectiſſimas, meque non ſolùm augure, ſed etiam ſponſore perficies, vt ſcriptores noſtri literarum humanitatem ab omni barbarie expiatam & rectiſſimè colant, & præſtent feliciſſimè. Vale.

AD

AD
ALEXANDRVM
PERLASCAM
omnium Alpha Literatorum
EPIGRAMMA.

PErpetuos doctis quis tot diſpenſat honores
Frontibus, & ſacrâ fronde virere iubet?
Virtutum meritis, cui florent vndique laurus,
Vnus Alexander tradere ſerta poteſt.

Franciſci Lomatij.

AD

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

PAnegyricis meis tandem exeuntibus in manus hominum, ac ſeſe velut pelago committentibus, planèque iam oram ſoluentibus benè precor. Quæ ſint fortuna vſuri, eſt, vt Græci loquuntur, poſitum in genibus Dei immortalis. Vita enim eorum, dignitaſque ac ſalus vniuerſa eſt in eo ſita, ſi aura ſecunda diuinitus ÿs aſpiret. Sed & tu, optime Lector, adennãus fuiſti ac obteſtandus à me. mirum
eſt enim, quantum Panegyricis meis tua poſſit humanitas præſtare. Id ergo ſi minus precibus meis, certè tuis moribus tribues, vt quanto nouos clientes eſſe vides imbecilliores, & magis iniurÿs opportunos, tanto promptius eis commodes aduocationem. Qualeſcunque ſint, (ſunt autem miſelli, & Muſis Gratÿſque iratis nati) eos ſiſto tibi cum ſupplicum velamentis, quos erigere, complecti, ac omni genere benignitatis fouere non grauaberis. Iam ſi roges, quam illi artem promittant; illi verò aliam potius omnem promittunt, quàm vendendi fumos, & falſis rebus cœnas diuitum captandi. Paraſitandi enim aſſentandique ipſa quoque vocabula execrantur. Rurſus ſi roges, quid præſtare nouerint? Norunt (quàm id aptè haud equidem ſcio) LAVDARE. hoc officio amicos, hoc etiam alieniſſimos, quorum modò emineat induſtria, ſtudent demereri. Cum enim encomium eſſe verum
præmium virtutis didicerint à Syneſio, illud pro ſua prolixa In epiſt.
voluntate doctis viris perſoluere ſtudent. Quid enim aliud eſt opis ipſorum & facultatis, quàm quod eſt poſitum in honore
verborum? Idem Pindarus multo ante factitauit, qui
Olympionicas, & aliorum certaminum victores celebrauit: Idem Phædrus
Simonides, qui laudem victorum mercede canens vrbes Aſiæ no- Libertus
biles circumiuit. De nomine quidem, quod libro inſcriberem, li. 4. c. 21.
cum perplexè cogitarem, Themiſtÿ venit in mentem, qui cum
ſuum quendam Panegyricum mitteret ad Imperatorem, eum vo- Chryſol.
cauit HYMNVM. Venit item in mentem Ariſtotelis, qui li- Theatr.
brum, quem de Hcroum tumulis conſecerat, PEPLVM nomina- 3. 7.
uit. Attamen mihi viſum fuit, meo libro PANEGYRICO- P. Manut. ad
RVM vocabulum præfigere. Cuius equidem nominis minimè lib. 11.
ſanè ep. 16. ad Attic.

Digitized by Google

ſanè vim ac dignitatem expaui; quamquam illam eſſe laudem quandam eximiam atque mirabilem ſcirem oportere, quæ hoc nomen poſſet tueri. Id certè volui, atque id propoſitum habui, tametſi præclara conantem vires deſeruerunt. At enim cum laudis gloriæque mercedem virtus deſideret, creſcereque ac incitari laudata ſoleat, commodius atque vtilius ipſe feciſſe videor, qui viuos & præſentes ornaui pro mea facultate adoleſcentes eximios, quàm qui inani oſtentatione ingenij Molam laudauerunt,

Ælian. lib. 7. *quod Pittacus vnus è choro Sapientum Græciæ fecit: quàm qui Febrem quartanam, quod Phauorinus: atque adeò qui Vomitum*

De audiend. poetis. *& Ollas, quod feciſſe nonneminem narrat Plutarchus; quas materias A. Gellius admirabiles ac infames appellauit.*

Noctiũ l. 12. c. 18. *Quamquam enim eos non expertes fuiſſe approbationis dicat Quintilianus, qui exercere ingenia materiæ difficultate voluerunt; tamen quid publicè, quid priuatim ea ratio ad incrementa virtutis potuit pertinere? Quis ſi eos laudauiſſent, qui apud Marathonem*

Inſtitut. 3. 7. *fortiſſimè pugnauerant, magis profectò præclaros milites exacuiſſent ac incendiſſent, vt nullum deinceps ad Plateas, nullumque apud Salaminem neque laborem, neque periculum recuſarent. Sed enim vide, quò progrediar. vix enim dubito meum factum facto anteferre Homeri, qui neminem viuum magnis laudibus extulit. Quas enim faces animis admoueret eorum, qui eſſent iam manes ac vmbræ pallentes? Ego verò laudandis adoleſcentibus, quorum ætas ac vires tum maximè vigerent, quiddam maximè conducibile ſum conſecutus. Etenim nauos adoleſcentes confirmaui meis verbis, inflammauique, vt iam nulla progreſſione poſſent eſſe contenti. Quod ſi quis eorum, quorum olim laudes in concione memoraui, neget hic ſuum nomen comparere, ſic habeat, me neminem, qui vellet in hunc numerum venire, excluſiſſe contumeliæ cauſa. Quid enim culpæ commerui, ſi quem propterea tanquam in legendo ſenatu præterijs, quòd mihi aut auctor defuerit, aut nomenclator? Iniuſtè verò & inclementer faciet, ſi quis in his encomijs requiret Matthæi Magni Vicecomitis caſus multiplices, ſi Franciſci Sfortiæ bellica facinora, ſi Ioannis Huniadis, aut Georgij Caſtriotti Regis Epiri, cognomento Scanderbecci fortia facta, quorum vterque Turcas toties concidit, magniſque prælijs fregit, aut etiam ſi victorias Ferrantis Conſalui, qui admiratione militaris induſtriæ ſibi Magni cognomentum inuenit. Laudaui enim adoleſcentes vix*

ad lib. 6. Æneid. *primorem ingreſſos iuuentam; hoc eſt penè adhuc pueros, quorum eſſe laudationem perdifficilem ait Seruius Grammaticus, qui*

eum

cum, vt ait Quintilianus, primas modò lineas duxerint, aut certè parùm vltra primas literas ſint progreſſi, vix aliud maius habent, vnde commendentur, quàm ſignificationem indolis, & ſpem futuri temporis. Immerenti quidem certè & caprimulgo nuſquam hic locus fuit: nulluſque ſimiolis, & qui in hoc cœtu numeroque conſiſterent indignis eſt honos habitus à me; quo minus poſſim Callimachum imitari, qui ſibi, ſi quid improbum laudauiſſet, scrram non leuem fuit imprecatus. Mihi enim ſemper viſa iuſtiſſima fuit querela & indignatio Achillis, bellatoris inuicti, quem ferunt ſtomachatum fuiſſe, quòd eum honorem tribui videret ducibus ignauis, qui deberetur fortiſſimis. Stylo autem quo ſim vſus vides: accuratiore fortaſſe, quàm vt inerudiiis & indoctiſſimis: minus fortaſſe accurato, quàm vt doctiſſimis & eruditis poſſit placere. Auribus certè pinguiſſimis non ſcripſi, neque cecini Midæ, nec ita loqui conſilium fuit, quemadmodum noſtrates loquuntur à furno & à lacu redeuntes ancillæ. Neque tamen aut mihi, aut Ioanni Gerardo VVoſſio, aut etiam ante vtrumque Fabio Quintiliano eſt viſum eiuſmodi hoc munus exornandi, vt abſurdum ac indecorum eſſe exiſtimauerimus, adhibere plus cultus, lætificareque orationem locis, verbiſque amœnioribus, & quod in tradenda ſapientia Platonem feciſſe docet Alicarnaſſeus, verſicolores veluti toros coronarum texere, & ſtrophiola poeticis ab hortis vtenda deſumere. Huius verò mei ſtyli, *vt ait Vegetius*, erit præcipua felicitas, ſi eum nec Scholaſticus faſtidiat, *cui ſcilicet hominum generi ſolet eſſe aurium iudicium ſuperbiſſimum. Nam quòd aliqui morbo animi obtrectant omnibus omnium rebus; & cuncta quæ ipſi non fecerunt, naſo adunco ſuſpendunt, vtantur per me licet ingenio ſuo. Neque enim tantum mihi arrogo, vt cenſeam eos mihi æquiores eſſe oportere, quàm ſoleant eſſe vniuerſis. Sed tecum mihi res eſt, Lector humaniſſime, cui ſcilicet multo meliora domi naſcuntur. perij, ſi ad hæc æſtimanda plus iudicij attuleris, quàm benignitatis. Omnino tamen ſic habeto, ſi nulla parte probas hunc librum, promptum eſſe quid illo facias,* Vnctus mittatur Ilerdam.

[Margin notes: Inſtitut. l. 2. c. 6. — Apud Martin. Delrium in Senec. — Homer. Iliad. — In præcept. Rhetor. — Inſtitut. l. 2. c. 10. — De re Veterin. — Horat. 1. epiſt. 21.]

ELEN-

ELENHCVS.

A Lexander Antonianus. pag. 237
Ambroſius Turrianus Epiſc. Nouoc. 186
Anſelmus Puſterla. 475
Aſcanius Carenus. 263
Bernardinus Ponzonus. 312
Carolus Franciſcus Inuernitius. 1
Carolus Auguſtus Medices. 431
Carolus Bartholomæus Platea. 351
Carolus Franciſcus Bonſignorius. 173
Carolus Franciſcus Cereſolus. 77
Carolus Cæſar Pizzolus. 397
Carolus Federicus Rolla. 383
Chriſtophorus Barella. 277
Chriſtophorus Aſtor. 288
Conſtantius Molina. 366
Gabriel Vrſinus. 121
Hercules Albertinus. 93
Hieronymus Mombellus. 64
Hieronymus Caſtellus. 158
Hyacinthus Comes. 450
Iacobus Philippus Ruſca. 133
Io. Baptiſta Rouera. 35
Io. Baptiſta Moſella. 229
Io. Maria Centinellus. 248
Io. Baptiſta Thaddæus. 303
Io. Franciſcus Cattaneus. 325
Io. Ambroſius Gariboldus. 407
Io. Baptiſta Rouillius. 416
Io. Iuſtinianus. 492
Iulius Cæſar Toſcanus. 339
Leonardus Vicecomes. 461
Nicolaus Biſſius. 18
Nicolaus Felicianus. 147
Petrus Antonius Arnaldus. 54
Philippus Montius. 106
Vitalianus Oldradus. 208

In

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Laurea
FRANCISCI INVERNITII
PANEGYRICVS.

CVM illud mihi fermè quotidie vſuueniat, quod olim Gregorio Magno, vt amicis perſoluam, quòd non debeo, ſæpe ea tempora caſuſque contingunt, vt quibus plurimum debeo, perſoluere non poſſim. Nunc mehercule quo pluribus nominibus Franciſco Inuernitio obſtrictum me ſentio, & quo hoc vno diſcipulo eſſe me fortuna meliore cognoſco, quàm fuerit olim Roſcius, quem ſolitum dicere ferunt, ſe reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem; eo magis vereor, ne quis ferat iniquius, eum qui diutius pretio conductus fuerit, vt propoſita palam arte doceret, parua quæuis mirabilius & magnificentius augere, facereque dicendo grandia, eundem nunc præpoſtere exterere magna, & quæ ſuapte natura ſunt illuſtria, ea, dicendo ipſum obſcurare. Hoccine præmij ſeu ab amantiſſimo, ſeu à rhetore ſuo ferat adoleſcens verecundiſſimus? Ego verò, qui ei ſecundùm meos plurimum tribuo, ſtudiaque ſemper ab alijs ciuibus prompta, à me verò paratiſſima ei promiſi, omnes ingenij mei neruos intendam, ſi quid fortè maius, & Inuernitio dignum poſſit exculpi. Fortaſſis quod negat natura, dotes

M. Tull. 1. de Orat.

ſuppeditabunt adoleſcentis: intelligam quidem certè habendane ſit Fabio fides affirmanti: Pectus bonam eloquentiæ partem ſumminiſtrare. Tametſi, ſi verè illud memorant, atque adeò ſi nobis illud noſtri ſenſus oſtendunt, eximiæ & luculentæ formæ virgines, quanto minus pinguntur atque comuntur, tanto magis ornatas videri, tuus iſte, Inuerniti, non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus color, & animi ſanè præſtantis iſta non adumbrata, ſed expreſſa ſpecies quid magnoperè ceruſſam deſiderat artificis? neque ſanè hi viri noſtræ ciuitatis primarij, qui taciti ſedent, oraque in me obuertunt ſua, aliud nunc repoſcunt à me, ac expectant, quàm quod ij, qui elegantiarum ſtudio in aliquam domum locupletem & refertam ornamentis ingrediuntur. Quemadmodum enim illi, quæ ſunt ſepoſita, & recondita, ac vno in loco conſtructa, petunt in lucem proferri, & ſuo quodque loco collocari: explicari veſtem, proponi argentum, tabulaſque ac ſigna propalam collocari: ſimiliter hi ciues ſpectandi cupidi indolem ac ſtudia & doctrinarum apparatum, copiamque omnem ornamentorum, quæ habes condita, ac velut vno in loco conſtructa, petunt nunc à me, & pro ſuo iure contendunt, ea vt expromam ac euoluam, & quaſi ſuis ipſorum oculis ſubijciam. Ego verò, qui ſemper tuis, qui horum ciuium commodis ac ſtudijs obſequar libentiſſimè, enitar ſedulò, vt in hac re, quæ tota poſita eſt in mediocri potius diligentia oratoris, quàm in ſumma quadam & perfectiſſima eloquentia, cumulatè vobis ſatisfactum dicatis.

Mihi verò ita principio videtur, genitum ſatumque Inuernitium ad eundem modum fuiſſe, quo ozymum ſolet, quod vt lætius proueniat, cum maledictis & probris ſerendum præcipiunt. altus certè ac educatus fuit à parente pertriſti, ſemper perſtrepente, ac domeſticos territante, & ſi quid minus ex animi ipſius ſententia feciſſent liberi, cęlum terris miſcente; quem ego cum Xenocrate, atque Dione comparare non dubitem, quos paulò ſeueriores triſtioreſque,

Plin. 19.7.

Marſ. Ficin. lib. 1. Epiſt.

quàm decere philoſophos videretur, Plato monere ſolebat, vt Gratijs ſacra diligentiſſimè facerent. huiuſmodi parente vſus Inuernitius fuit, difficili admodum, ſcabro & inclementi; minimè ſanè eo, qui rubentem à matre filium flumine viuo mergeret, quod barbari factitarunt: neque qui liberos exponeret, quod etiam Græcis in more fuit, ſed tamen ea duritie, inclementia, & ſeueritate, vt manum à liberis tanquam ab oculis lippis abſtinere non poſſet: ſemperque & illam vnam tragœdiam, quam Sophocles inſcripſit, AIAX FLAGELLIFER, agere videretur, & vnam illam cõmœdiam, cui Plautus nomen TRVCVLENTO dedit. arctè liberos, contentèque habuit, multoque ab eis ſeuerius, quàm à villicis penſum exegit operis diurni. qui ſi fortè memoriola vacillaſſent, minuſque promptè aut obſequenter mandata curaſſent, aut verbo vno, rèue quapiam leuiſſima offendiſſent, tanquam educarentur Lacedæmone, non hìc in Italiâ, ita parata noxa erat; vt certò ſcirent nullam erratis veniam fore, ſibiq; ſicubi deliquiſſent, nihil opis in aris, nihil in vllo deprecatore futurum. Cuius inſtituti, ne quis exiſtimaret ſeſe temerè, ac morbo potius animi, quàm iudicio & certo conſilio minus commodum ac minus iucundum, ſed penè etiam acerbum, & iniquum ſuis liberis præbere, cauſam vir optimus ſanè probabilem afferebat, ne foris cuiuſquam acerbitatem perhorreſcerent, qui domi parentem aſperum ac immitem ferre conſueuiſſent: ac illud addebat, molli educatione neruos omnes & mentis & corporis elidi, eneruarique ac effœminari adoleſcentes, quos labore, & animi corporiſque petientia durari præſtaret: ac denique illuc euadebat, vt diceret, quos ex ſe ſe genuiſſet, hos malo, miniſque ad virtutem compellere non deſtiturum. Inter has minas atque terricula primam Franciſcus ætatem egit apud parentem, cum literaturam è proximo peteret. Inuernitij nos hercle infantiam ſi more peruulgato ita primore ſeptennio definimus, vt pueritiam aduſque pubertatem extendamus, fallimur, cum ſic homi-

Ariſt. Polit. 7. 17.

Colum. 8. 9. num, quemadmodum & vinearum infantia ceſſet à fructu, pueritia verò à fructu ceſſet vberiore. Fuerit infans Inuernitius quandiu fandi caruit facultate, matremque riſu cognouit, cœpitque verba conari. fuerit puer quandiu luſitauit in arundine, rudiſque ac ignarus rerum nutricis in cuſtodia egit ætatem. cæterùm ſi præmaturè non ſolùm riſu cognouit, ſed etiam obſeruantia & pietate coluit parentes, ſi rerum in delectu præmatura illi affuit prudentia, ſi antequam de rebus exiſtimare poſſe videretur, dignitate duci cœpit, & honeſtatem omni pondere grauiorem habuit, ſi iam tum concinnitati, & elegantiæ morum ſtuduit, ſi paruulus de Deo, ac de omni officio inchoatas quaſdam & inſitas notiones præſetulit, quid nos quæſo Inuernitij infantiam, pueritiam, ac adoleſcentiam metiamur communi metro, & eas ætates numero Conſulum æſtimemus? Ad me quidem cum primùm Inuernitius eſt in ludum à patre deductus, minimè ſanè diu, quid mihi ab eo expectandum eſſet, incertus hæſi: neque mihi more Socratico os eius, frons, oculi denique ipſi inſpiciendi fuerunt, & ex eius corpore, qualis eſſet futurus, facienda coniectura. Cum enim viderem adoleſcentulum attentum ac pendentem ex ore meo, cum alacriorem animaduerterem in labore, quàm quiſquam foret in rebus iucundiſſimis, cum diuino quodam animi ſui motu quotidiè maiora concupiſcere perſpicerem, cum denique notarem obſequentem naturam & eius ſtudijs mirificè ſubſeruientem, ex magna auditorum frequentia, qui mihi aſſidebant in ſchola, certiſſimis coniecturis hunc mihi futurum eſſe diuinabam, quod & Plato fuit Socrati, & Ariſtoteli Theophraſtus. Quod enim meminiſtis, Socratem ſenem diuinum de Iſocrate, cum is illi penè adhuc puer eſſet traditus in diſciplinam, auguratum fuiſſe, idem fermè augurabar ipſe de Inuernitio, cum ad me in ludum inciperet ventitare, maiore mihi ingenio illum videri, quàm vt communi laude contentus eſſe poſſet: præterea ad virtutem indole maiore, quàm vt poſſet ſeruire gulæ,

lan-

languori ſe, deſidiæque dedere, Thaidique aut Quintillæ ſupplex eſſe: vt minimè mirum futurum eſſet, ſi cum ætate proceſſiſſet, reliquis præſtaret omnibus, qui in hac vrbe literas attigiſſent. Cui non ſunt auditæ Inuernitij vigiliæ, maiores vigilijs cuiuſuis opificis, cui opera vita ſit; quidue eæ mediocre eius de ingenio quemque cogebant expectare? Quid enim Homerus ſolum Martem ducere noctes peruigiles ait, cum vix vlli, cuius animum intrauerit cupido gloriæ, poſſit ſomnus obrepere? æmulatio alienæ induſtriæ, & properans ac ſeſe incitans diſcendi auiditas partem adhuc perexiguam nocturnæ quietis impertiuerunt Inuernitio, qui ſilentium illud noctis intempeſtæ præcipuè delegit, in quo cæteris ſopitis famam ſuam negotiaretur: tempuſque illud ſerum, quando veſpera rebus gerendis finem imponit, ac illud obſcurum atque tenebricoſum, cum velut obducto velo tegitur facies vniuerſa rerum, cum primis opportunum commentationibus, & imaginibus animi iudicauit: & cum ſeræ decederet nocti anhelus arator, ducenteſq; e ilia tot opifices ad quietem neceſſariam ſecederent, tum maximè ſe ad libellos ſuos, ad pugillaria, ad ſacra Muſarum ſenſit vocari: facibuſque ijs vniuerſis, quas veſper accendit, admoneri ſe cenſuit, vt tanquam pleno rem theatro geſturus animum ad nouum laborem inſtauraret, & qui ſuam interdiu probaſſet Phœbo induſtriam, eandem Phœbi ſorori probaret. Quæ cum ego velut ex alta quadam ſpecula intuerer, variè ſcilicet afficiebar animo. Nam tantam indolem collaudabam tacitus, omniaque bona dicebam, deſpondebam præterea tam probo adoleſcenti, tam ſedulo ac vigilanti ſummam gloriam eloquentiæ, Diuoſque precabar omnes, vt ei tantos conatus fortunarent, nec non verebar perſæpe, ecquodnam curriculum aliquando eſſet habitura eius & natura admirabilis, & ſingularis induſtria. Sed illud præcipuè anxius eram, & ſollicitus de tam charo capite, ne dum labori incautius ac intemperantius indulgeret, accerſeret ſibi alicunde mali aliquid, & gra-

uioris incommodi. Neque meus erat de nihilo metus. iam tuſſis affectam eſſe valetudinem ſignificabat, iam anima grauiuſculè olens, collapſa tempora, depreſſi, ac velut demerſi lacunis oculi, pallentia labra, maciesque, ac oris totius detrimenta tentari ſanitatem corporis declarabant, remque paulatim in magnum diſcrimen adduci. Cum ergo magnopere cenſerem, ſe vt ipſe aliquando reſpiceret, ac vitæ pericula ſarcinis redimeret omnibus, nataſque ad vſum quietis noctes dare vellet ſomno: & cum abſterrendi cauſa dicerem, ſi corpuſculum iam emaciatum, iam plus ſatis imbecillum, ac penè iam fatiſcens pergeret vexare vigilijs immodicis, ſibi procul dubio tibicines eſſe ac Libitinarios accerſendos: cum negarem vires adoleſcentuli laboribus nullo intermiſſis ſpatio ac interuallo ſufficere: cum adderem, citos & nimis acres veredos ad iter longinquum non perdurare, perdurare mulos ſarcinarios: illud denique Plinianum cum afferrem, Nihil minus expedire, quàm
lib. 18. cap. 6. agrum optimè colere, is contra (vt eſt promptâ facundiâ) nihil cunctatus, me ſtatim Varronis verbo confutauit, An, inquit, ego quoque metuam, ne fructum voret impenſa; illudque addidit, Ingenium nulla re magis lætificari, quàm auido, & inexpleto exactore: denique dixit ſe non artem formandæ cupreſſi perdiſcere, ſed variam multiplicemque, quæ niſi iugi labore non poſſit acquiri: poſtremo quid magis præclarum, quàm vitam in præclariſſimo conatu profundi? Eloquentiam ſupra omnes formas pulcherrimam, ſupra omnes opes opulentiſſimam adamauit, dieque, noctuque amator ad eius fores ſedit, nihilque omiſit, quo ſuorum poſſet amorum potiri. Quo in opere verſantem cum rogarem quid ageret; ſemper inquit, eodem reuoluor: ſub Mercurio mihi aſcendens extitit, Mercurialia igitur pertractem oportet. Cum aliquanto poſt requirerem ab eodem, quid moliretur, Id ait molior, vt mihi ſi minus ſit diues ille Alcinoi hortus, quem mira-
Odyſſ. lib. 7. tus Homerus fuit tanto prouentu exuberantem

pomo-

pomorum; certè ſit hortulus illius Corycij ſenis ſimillimus, quem Maro prædicat, qui ſubindè holuſculorum aliquid exhibeat; nam aurea mala in tui ſimilium hortis naſcuntur. Immo, inquam naſcentur in tuis, ſi pergis tam impensè ingenium èxcolere. neque meum augurium ſefellit euentus. Cum libellis lectiſſimis, atque cum probatiſſimis auctoribus latinæ linguæ aſſidua illi conſuetudo ſemper fuit, vſuſque continuus: quidquid occurrit bellum, ille in ipſum animnm velut in ſtomachum traijcit, vt tranſfuſum in venas, ex ingenio eius natum, non aliunde emendicatum eſſe videatur, eiuſque commentationes qui audit ac legit, non agnoſcat emblema Tullio, Liuioque detractum, ſed fœtum illius è cerebro natum arbitretur: non videat vndè gemmas collegerit, gemmas tamen agnoſcat, & cum flores eſſe videat, neſciat è quo prato hortulouc quæſierit. Hoſce libros ita diurna, hoſce ita nocturna euoluit manu, vt nunquam videatur dimittete; quorum vſu, infinito præterea labore, quotidianaque meditatione, & in omni genere ſtudiorum exercitatione exundat Inuernitij & exuberat admirabilis eloquentia, vndique cohærens, nihil vſquam habens aſperum aut hiulcum, cuius eſt hoc ſeculo laus rara ac pene ignota, contempta certè, repudiataque ac irriſa. Minimè ille contentus eſt eloquentia ſeculi ſui, quemadmodum ne ſui quidem contentum ſe fuiſſe docuit Plinius ſecundus, ſed totam ſibi è puriſſimis fontibus antiquorum, qui ſunt laudatiſſimè locuti, ſibi hauriendam conſtituit, Eloquentiam cum nomino, illam, Illuſtriſſimi Auditores, nomino Romanam, pudore quodam & caſtitate ſermonis præſtantem, lenem, æquabiliter fluentem, aceto perfuſam Italico, hauſtamque è fontibus vitreis antiquitatis; non illam intempeſtiuis ſenſiculis ineptam, laſciuientem, peregrinitate infuſcatam, ſcatentem mendis, non coloris vnius, neque vnius ſeculi, ſed è pudenda quadam mixtura conflatam, vbi vt ſit copia, vt ſales, vt ſententiæ, verborum certè nullus delectus eſt, nullus tralationum modus

Lib. 1. epiſt. 5.

& verecundia, neque vlla omnino dignitas, ſynceritas, atque munditia; vt ſani coloris nihil appareat, & veteris illius caſtiſſimæque dictionis nullum veſtigium illa vetus Roma poſſit agnoſcere. Si Horatius, ſi Cæſar, ſi Cornelius Nepos, ſi quis alius ex ea gente togata; quæ latinæ linguæ laude maximè floruit, iam exiſtat ab inferis, atque pro ſua ratione, pura, puta, & incorrupta videat hanc adulterinam inoleuiſſe, nonne cælum terris miſceat, & mare cælo? nonne ſe neget agnoſcere hanc latinitatem? nonne toto capite renuat, hanc eſſe latinam linguam, qua ipſi vſi fuerint veteres Quirites? nonne queratur eò recidiſſe latini eloquij tantam gloriam, & dignitatem? Ego ſatis mirari non poſſum, quid fuerit, cur I. Lipſius ſummi vir ingenij, ſummique iudicij, tum tantarum literarum ac doctrinæ, quem omnes ferunt inter Cathedrarios fuiſſe, quod fuit inter vmbras Tireſia, *cui vita functo tribuit Proſerpina mentem, vt ſolus ſaperet*, huic ſectæ exploſ· aduocationem accommodauerit: conductuſque vt Belgis traderet eloquentiam, quoddam velut ſignum ſuſtulerit, quo ſuos, quo finitimos, quo poſteros ad orationem corrumpendam vocaret, & nihil in ſermone integrum relinqueret. Cuius demum frontis fuit, eos qui omnium ſeculorum conſenſu exiſtimati ſunt eſſe optimè latinè locuti, nullo numero habere, apertèque ab ijs deſciſcere, ac ſe ducem & ſigniferum inſanientibus profiteri? exemplum tanti viri impoſuit lumini Belgij Erycio Puteano, qui monſtratam viam à præceptore incautius, quàm tantum virum deceret, ingreſſus fuit, vt verbis maximè improprijs, vt compoſitione fracta, vt comprehenſione obſcura, vt vocum ambiguarum puerili captatione vteretur. quamquam quid ego vnum nomino, cum ea gallina nullum pullum excluſerit non eiuſdem ſententiæ, non ſimiliter ineptientem, non irridentem exempla antiquitatis? Totum ea ſecta Belgium inuaſit, vt cum nuſquam literæ colantur impenſius, nullum iam inibi ſuperſit veſtigium veteris eloquentiæ. Hanc (vt hoc verbo vtar) abſurditatem

cum

cum perſpiciam in eorum hominum moribus, facerem libenter inibi, quod ſe facturum minitabatur Crates Thebanus,cum lapſos videret ſuæ reip. mores, conſcenderem editiſſimum Belgij locum, & inde quàm maximè vocali voce Belgio publicam dementiam exprobrarem verbis eiuſmodi, Quæ vos agit inſania, miſeri? quid repudiata ea ratione loquendi, quæ ſemper habita laudatiſſima eſt, nouitiam ſectamini? quid à recta via aberrare vos cogit? quanto veſtræ prudentiæ, & exiſtimationis detrimento vos vnius hominis ſequimini auctoritatem, qui cum eſſe ſe principem in optimo vſu latinæ linguæ futurum deſperaret, qualem proſeminaret, ſua nihil intereſſe putauit,modò vnius alicuius auctor haberetur? quod malum ſidus afflauit veſtra ſtudia, & cum interiorum literarum notitia, cum diligentia, & cura præſtetis nobis, nulla parte iam Italorum felicitatem in ſcribendo aſſequamini, ſi modò nos Itali paulum conniti velimus? Ego certè, quem res tanta mœrore conficit, cum ſemper ſum miſeratus ſortem multorum Tranſalpinorum, qui ſic aue ſiniſtra literas tractant, tum meos auditores ſemper ad imitationem veterum, quanta maxima potui vocis contentione vocaui. Inuernitius neſcio me ne auctore, an inductione ſua, religioſiſſimè ſemper cauit,ne quid temerè diceret, niſi cuius rationem poſſet probare, atque ne vnquam excederet ex ea via, quam veteres, optimique dicendi auctores impreſſam reliquerunt. Si quid in ea re deliquiſſet, obiurgatorem erat habiturus præceptorem ſuum, qui ſolœcum, qui ſyntaxeos flagitium multo condonaſſet facilius, quàm antiquatum verbum, quàm inſolentem compagem vocum, quàm tralationem impudentiorem, quàm peregrinitatem,olentiſue fęcé antiquitatis.Hac ſcilicet ſcribendi conſuetudine vſuque peruenit eò Inuernitius, vt non mihi tantùm ſatisfaciat, ſed vt ijs ipſis admirabilis eſſe videatur, qui liberè ſolent iudicare. quid enim impedit, quo minus de Franciſco Inuernitio dicam, quod de M. Tullio dixit Seneca, *Romanum ſermonem*

nem in eius ore ſe ſe magis circunſpicere, & æſtimandum præbere? Ego quidem certè quantum in hoc adoleſcente ingenium, & quantam in eius oratione ſuauitatem, religionem, puritatem, integritatemque quantumque ſtudium veræ latinitatis eſſe video, non deſpero futurum, vt exploſo cacozelo, omnique ineptiarum ſtudio publicè reuigeſcant literæ, exiſtimatione floreant, & ſeſe Italicis ingenijs commendent. Os quidem eius & vox quid aliud eſſe videtur, niſi Phœbea quædam cithara, quæ quiddam (ſic enim dicam) inſonat diuinum? Sed enim Inuernitius non vna contentus laude fuit. Eoſdem fines ac terminos habet ediſcendi ingenium eius eximium, & verſatile, quos habet concupiſcendi auiditas inexplebilis. Neque enim eodem pacto, quo *Non omnis fert omnia tellus, ſed denſa quauis Cereri, rariſſima quæque Lyæo* eſſe fertur aptiſſima, ingenia quædam excellentia vnam aliquam artem adſciſcunt, alias reſpuunt vniuerſas, ſed feraciſſima ſunt omnium frugum, & modò cu'turam adhibeas, nihil non exhibent meſſe vberiore. Eos ſanè minimè fugit ratio, qui aliam pinguis terræ, aliam tenuioris eſſe rationem diſputant, aliam apricæ, atque ſurgentis in cliuos, aliam iacentis, ac depreſſæ: diuerſum eſſe ingenium eius, quæ perflatur ventis, diuerſum illius, quam à ventis mons aliquis defendit: quædam ſiccorum, quædam irriguorum eſſe agrorum propria: illos agros fruſtra vite conſeri, fruſtra his ſulcis farra committi. Hoc veriſſimè tradunt rei ruſticæ ſcriptores, proque diuerſo cuiuſque ſoli habitu, ac pro varia cæli locique poſitione quid quæque tellus neget nobis, quid promittat, quid recuſet, diligentiſſimè deſcribunt. Vos tamen noſtis de Italia quid prædicet Plinius, quam mirifica quadam fœcunditate tradit omnes arbores alere, & omnia, quæ huc à Perſide, quæue ex America transferantur, prouenire lætiſſimè. Quid ergo miremur ſi eiuſdem Italiæ adoleſcens latiſſimè per varias encyclopædiæ partes euagetur, ſi ex vna ſcientia progrediatur ad alias, ſi pari omnes felicita-

Virg. 2. Georg.

te

te perdiſcat? hic certè, ſi quis vni ſe tantum facultati addicat, alias non attingat, ac ita ad eam vnam adhæreſcat, vt abſtineat à cæteris, ac ſibi vires, otium ac tempus ad cæteras perſequendas defore arbitretur, minimè id naturæ potius adſcribi vitio, quàm tarditati hominum contendit oportere, negatque aut liberi eſſe ac ingenui, aut eius qui ſe, qui poſteros proſpiciat,& qui de gloria,deque hominum exiſtimatione laboret, circundare ſibi per omnem vitam terminos anguſtiſſimos, mitellamque ex vna quapiam duntaxat doctrina captare. Ipſe quidem certè maius quiddam complexus animo fuit, quàm quod audeant multi concupiſcere,neque ſibi quieſcendum reſpirandumue conſtituit, donec de ſe decantare poſſet Encomium, quod Sidonius quidam rhetor de ſe ipſo decantabat Athenis; qui palam in luce ciuitatis, atque in ſumma frequentia populi prædicabat, ſe ad Lyceum ſi vocaſſet Ariſtoteles, ſequuturum fuiſſe: ſi Plato ad Academiam inuitaſſet, affuturum: ſi ad Porticum Variam prouocaſſet Zeno, nihil cunctaturum adeſſe: ſacramentoque dicturum, ſi Pythagoras in ſua verba adegiſſet. quibus hæc amplius addat licet Inuernitius, Eum ſi Athenas in ludum vocet Iſocrates, non detrectaturum imperium: ſi Apollo poetarum ad chorum accerſat, eò quoque ſe curſu perpeti prouolaturum: ſi quis de Græcis, ſi quis de Hebræis literis interroget, reſponſurum: nihil denique ſe fugere, quod hominem liberum, atque ad famam honoreſque properantem ſcire oporteat. Quæ omnia qui poſſit & promittere & exhibere, vtrum homo eſt, an quiddam ſimile eius Apollinis ſapientiæ præſidis, quem Lacedæmonij quaternis manibus, totidemque auribus fingere conſueuerunt? Hoc equidem miror, tot eſſe in vno animo ſinus, tot receſſus, eſſe mentem vnam capacem tot imaginum, eſſe poſt tot doctrinas doctrinis locum ac domicilium alijs, ac ciuem vnum artibus tam multis, tam varijs poſſe cenſeri. Tu ne illa Ampuſa es, quam ſuis coloribus depingit Ariſtophanes, *modò bos, modò autem mula, rurſus fœmina pul-*

Apud Lucian. in Demō.

Lucian. in Ranis

pulcherrima, ac rurſus haud eſt mulier, imo iam canis. Cum ſit Inuernitius huiuſmodi,ſicubi ſit præterea quod diſcere poſſit, aliquid porro eſt ad hunc cumulum additurus. Eò qui non aſpirat,quo Inuernitius,deſperatque ſe tantum poſſe præſtare, dicat ſe hominem ficulnum eſſe,ſe ignauam ac tardam pecudem, ſe ſtipitem.Quid enim Sophiſtæ veteres in artibus non habuere compertum? Nolo de Gorgia Leontino memorare, quæ de illo garruli Græci, quid Picus, quid Hermolaus, quid noſtro ſeculo Salmaſius, quid ſeculo ſuperiore duo Scaligeri ignorarunt in linguis, in doctrinis, in literis interioribus, in gentium inſtitutis, in religionum cerӕmonijs?quæ ex omnibus doctrinis fugere Platonem, Ariſtotelem ac Theophraſtum,cum illi duo ſuperiores ſint etiam in militiam profecti? quæ Auguſtinum, quæ Hieronymum,quæ Albertum Magnum, quæ tot alia lumina Eccleſiæ Ortodoxæ? Sed partimur nos facultates, vt qui Medicus ſit, non ſit Iuriſprudens; qui Poeta, non Orator; qui Geometra, non ſit Aſtronomus; qui denique D. Thomæ norit rationem, ignoret Scoti: ſeiungimus quæ ſunt ſuapte natura coniunctiſſima, ignauiæque dum indulgemus, quo minus collocupletemus nos doctrinis alijs atque alijs, culpam in imbecillitatem viriũ,atque temporis anguſtias, vitæque modum conijcimus. Sed extra cauſam iam nimis multa. Oratoriam præcipuo in honore habuit Inuernitius, neque ab ea cõparanda abſterreri ſe paſſus fuit neque Antonij illius oratoris auctoritate, qui omnibus artibus conſtare Oratorem oportere contendit; neque verbis eorum grauiſſimis, qui ſe ad laudis huius ambitum neminem dixerunt recipere, niſi quibus vehementia ac Diuis proxima ingenia contigiſſent. Qui enim ſemper illud Propertianum carmen approbauit, *Non iuuat ex facili lecta corona iugo*, omnia ſibi tentanda putauit, vt inter oratores non aliquo numero, ſed principe loco poſſet conſiſtere. Nam quod oratori omnes artes ſubiungant, omnemque ſcientiam & copiam rerum in oratoris inſtrumento, & ſupellectile collocent, quis

lib. 4. Eleg. 11.

omnes

omnes omnium rerum, quæ ad dicendum pertinent, fontes magis animo ac memoria comprehenſos habet, quàm Inuernitius? quis de natura rerum, de moribus, de rationibus ijs, quibus hominum animi & incitentur & reprimantur, plura nouit magiſque habet explorata, quàm Inuernitius? quis notitiam antiquitatis, quis publica iura, quis vetuſtatis exempla, quis omnium rerum diuinarum atque humanarũ vim, naturam, cauſaſque magis nouit, quàm idem ipſe Inuernitius? qui cum oculos huc adiecit, nolite exiſtimare ipſum ignoraſſe quanti res foret operis, & quarum vigiliarum, oratorem euadere; ſed vt eſt alacris animi ac fortis, ſibi, quæ cuiuſquam eſſent poſita in contentione corporis animique, quæque algendo, nitendo, ſudandoque effici poſſent, omnia promiſiſſe. Cœptis medius fidius affuit Deus, quem ſemper ritè aduocauit: illam tantam ac tam publici ſaporis copiam comparauit, vt breui tempore è multis, atque adeò è plurimis quos audiebam, qui mirabilius, & magnificentius tum augeret, tum ornaret, quæ vellet, viderem neminem. Eum equidem cum audirem, Hoccine, dicebam, eſt petere, an extorquere? hoccine rem geſtam exponere, an depingere ſuis coloribus, & oculis noſtris ſubijcere? hoccine ſe iactare populo, & caudam explicare, an verſare & illigare concionis voluntates, ac planè regnare in ſuggeſtu? O vim mirabilem orationis, quam alio alioque ſchemate, modò nitidam exhibet ac lætam, modò perpugnacem ac vehementem: aliquando exultantem in ſocco, aliquando cum cothurno ſeueriorem: ſæpe latè fuſam, ſæpe contractam, nunquam tamen non mundam, non expolitam, non eiuſmodi, quæ ſe naribus emunctiſſimis non poſſit commendare. Tu ſi quis alius, habes in poteſtate ingenium tuum, Inuerniti doctiſſime, nulloque negotio in tuo ſermone Liuiam potes atque adeò ſoles imitari, quam dicunt aliquando ſe viro ſuo, aliquando patri ſolitam exornare. Exierat iam illud tempus, cum tibi excedendum è ludo rhetorum eſſet, tradique te dialecticis, ac poſt eos philoſophis

Macrob. Saturn.

ſophis

ſophis & theologis oporteret, velut aliptis quibuſdam, à quibus inſtruereris, armarerisque ad certamina. At enim quid nitori tuo, quid ſtyli amœnitati, quid literulis, & floſculis cum ea ſcabra & incompta dictione philoſophorum conuenit, quam noſtri maiores Pariſienſem appellauerunt? illa ne dediſcenda tibi, deponenda, abdicanda, repudiandaque ac alia adſciſcenda? hæccine vt ferre poſſes, tam eorum diſſimilia quibus aſſueuiſti? Sed non ita delicatus fuiſti & effœminatus, vt cum intelligeres quanti foret de natura cognoſcere, diuinaque perueſtigare, & quos hæc vſus haberent, poſſes abſterreri aliqua aſperitate vocabulorum, tædioque committeres, vt aliqua ſcirent alij, loci ordiniſque tui, quæ tu neſcires, cōmitteresq;, vt aliquis ſimile aliquid exprobrare poſſet tibi, atque quod Aiax Vlyſſi, cui dixit, *Nec mihi dicere promptum, nec facere tibi:* aut eloquentiam & philoſophiam, quas alij nodo æneo conſtringerent, tu eſſe exiſtimares duo diuulſa, diſſolutaque, quæ conglutinare non poſſes? Immo id præſtitit feliciſſimè, vt qui antea fuiſſet in dicendo vberrimus, iam idem in inueſtigando eſſet acutiſſimus, & p gnaciſſimus in diſputando. Sed quid inauſum ac intentatum relinquit? quò non progreditur? quid non imperat viribus humanis ſtudium ſciendi? Nunquam ſe vni ſibi natum credidit Inuernitius. Cum legum in tutela, fide, ac præſidio fortunas, dignitatem, vitamque, ac denique ciuium & prouinciarum ſalutem vniuerſam ſciret latere; & cum iuris ciuilis notitiam permultas & magnas opportunitates habere comperiſſet, omninò ſibi faciendum conſtituit, non vt aliquo inter Leguleios numero, ſed vt ſummo inter eius facultatis antiſtites loco poſſet conſiſtere. Iam totus cum Scæuola, cum Paulo, cum Papiniano: iam dies totos in Codicum, & Pandectarum immenſis voluminibus: Iam nihil, niſi legum ſanctiones, conſulta Senatus, Iuriſconſultorum placita, in mores recepta, res iudicatæ, reſcripta principum, æquitate prægrauantia, populorum ſcita: iam res priuatæ, iam publicę in fidem accipiuntur & clientelam,

Ouid. Metam. l. 13.

telam, iam periculis amicorum aduocationem deſpondet, iam promittit vindicias, iam ciuibus ſumma religione ius reddit, iam cuiuis præſidia legum pollicetur. O te virum laborioſum, Inuerniti! ò natum cognoſcendis doctrinis! ò rarum exemplum induſtriæ! Anne leuis operæ, aut modici ſtudij, animique imbecilli illud fuit, quod extrema iam adoleſcentia, nullo magiſtro Græcas, & Hebraicas literas comparauit? quid enim ego vobis memorem longi tædium laboris, quidue iuges vigilias in hac re ſuſcepta perficiunda neceſſarias, qui multo ante Ariſtotelis è libris didiciſtis, *Eſſe cum dolore iunctam diſciplinam, eruditioniſque perceptionem?* Nam quod ait Seneca, *turpe quiddam eſſe, ſenem elementarium*, ego contra id præcipuè puto eſſe palmarium, quod exeunte adoleſcentia, iam orator cum eſſet Inuernitius, cum Theologus, cum I. Prudens, ad ignotas literas cognoſcendas ſe contulerit, inflectere inſtituerit tum nominum, tum verborum noua genera, quod tot dialectos non reformidauerit, ignotaſque vulgò formas characterum potuerit adamare, quod denique nouas imagines, nouaſque ſibi in animo notiones infixerit. Hoc illis vetuſtiſſimis Romanis adeò viſum admirabile fuit, quemquam linguis pollere varijs, vt cum Ennium illum verſificatorem potius, quàm poetam, ſcire græcè, oſcè, ac latinè viderent, tria illi ineſſe corda ſuſpicarentur. Tot artibus Inuernitij, tot linguis ſtudium addite pulſandarum fidium, cui in tantis occupationibus temporis ſepoſuit aliquid. quid huc quoque animum adieciſti? anne huius tu rei Græcos auctores habuiſti, apud quos, qui neſciret muſicam, habebatur indoctus? Mihi quidem, cum pro noſtra conſuetudine exquirerem, cur fidibus ſcire vellet, cōtinuò reſpondit, Cum facere ſtudeam quod Plato, quod Epaminondas, tibi facti mei rationem neges conſtare? veruntamen cauſas, cur id faceret, afferebat grauiſſimas. an, inquit, otiari ſi voluero, ſi feriari ac reſpirare, moriones audiam? an in porticu Quirini ſemper audiam ineptias mortalium?

1. Polit. c. 15.

A. Gell. noct. Att. l. 17. c. 17.

Cornel. Nepos ſeu Æmil. Probus ſtatim ab initio libri de vitis Inpp.

Cic. 1 de orat.

lium? an cum Diogene verſem dolium in Cranio? an me illigem mei diſſimilium conſuetudine? an omninò nihil agam? præclarè mehercule. Neque enim de te iam tantùm illud verè poſſumus dicere, quod de Iouio clariſſimo viro S. Paulinus: omnium poetarum floribus ſpiras, omnium oratorum fluminibus exundas, philoſophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam diues literis imples os Romanum Atticis fauis; ſed illud poſſumus addere, te ſublatis menſis inferre bellaria, tibijs claudere cœnas opiparas, ſeria edulcare corollarijs, doctrinarumque auſteritatem, ac ſeueritatem ſymphonia exhilarare. Adoleſcens eiuſmodi, qui ob raram ingenij dexteritatem, non ſolùm ad literas, verùm etiam ad publicorum munerum functionem appoſitus eſſet, & indole animi neutiquam deteriore, quàm qua Cleon fuit vir præſtantiſſimus, quem alterum pedem in caſtris, alterum in curia ſolitum habere dixit Ariſtophanes, quid faceret? Sederet ne domi tanquam claudus ſutor totos dies? quid enim attinuiſſet doctrinas tot vigilijs perdiſcere, ſi ideò eas didicit, vt ſuum, vt alienum otium oblectaret? ad lares ceu ad quandam illam Andromedæ rupem vinculis adamantinis conſtrictus conſeneſceret, qui foris præſidium clientibus, qui opem amicis, ac propè cunctis gentibus lucem ingenij ſui poſſet impertiri. Memini cum ego adoleſcentem huiuſmodi ſuis dotibus florentem, ſemperque adhuc in laude verſatum, gloriaque circumfluentem, mecum tacitus maximis rebus deſtinabam: cum etiam ita exiſtimabam, deliteſcere obſcura tot bona non poſſe, non defore ab ijs qui rerum potiuntur, tantæ præmia virtuti, tanto ingenio theatrum, lautiaque & opima non defutura; iret modò Romam, & inibi in luce orbis terrarum innoteſcere ſtuderet: auolaret quamprimum è nido, neque ita ſuæ fumum Ithacæ adamaret, vt cumulatas per ipſos octodecim annos opes circumferre negligeret; & quando res frigerent in patria, Romanis optimatibus, purpuratiſque ſui ſpecimen

præ-

Chryſoſt. ad theatr. Rhet.

Apud damn. ſcriptor.

præbere ne dubitaret. quid tandiu deſideret inter Inſubres, cum eum fortuna ipſa ad vrbem gentium dominam vocaret? Me auctore, atque adeò periculo meo Quirini proficiſceretur ad vrbem, adſpectaretur in aula, & pro re nata proferret opes ingenij ſui: quin eum proceres mirarentur, quin ei ſe dederent, quin opes certatim congererent, dignitatemque amplificarent, abeſſe non poſſe. Ergo Romam profectus fuit, neque ſanè, vt ſe initia dederunt, auc ſiniſtra.

Ego verò, qui iampridem Inuernitium ijs inſtruxi rebus, quæ ei in omni vita tum præſidio, tum ornamento eſſe poſſint, & qui eum hodie dicendo per ſuos gradus ad primorem vſque iuuentam perduxi; iam illum trado hominum generi, vt gerat remp. vt religionis cauſam ſuſcipiat, vt Eccleſiam adminiſtret. Cæterum qua ſit fortuna vſurus, id eſt poſitum, vt Græci loquuntur, in genibus Dei præpotentis, cuius ſunt in abdito conſilia, & viæ cogitationum obſcuriſſimæ. Nequit tamen illi meus vates animus non modò non augurari, verùm etiam vaticinari optima, & optatiſſima, quando iam de illo ſplendida iudicia fecere duo Summi Pontifices Vrbanus VIII. & Innocentius X. quorum vterque Inuernitium grauiſſimis negotijs exercuit, ornauit Sacerdotijs, ſemelque ac iterum vbere inſtructum viatico legauit de maximis rebus in Angliam ad eos toto diuiſos orbe Britannos, quò nunc per tot viarum anfractus profectionem adornat. Hanc tibi cum pernelim benè vertere peregrinationem, quadrigas, quas conſcendes, precor, precor iuges equos, te vt curſu deuehant inoffenſo, obteſtor triremes, vt vectorem eiuſmodi deportent cum fide: rogo ſuppliciter mare, vt ſubſeruiat: ventos obſecro, vt obſecundent, & Inuernitium in litore Britannico ſiſtant incolumem: omniumque diligentiſſimè Diuos precor, & Genios, quorum eſt Anglia in tutela, te vt benignè excipiant, reque geſta è ſententia tum demum vrbi Romanæ reſtituant. quidni verò Britannis ab ipſis conten-

dam enixè, vt ſuum benignum ſidus, vt Euergetem ſuum, ſua cauſa labores exantlantem infinitos colant impenſè? Ito fortis, Ito felix, & poſteaquam viſum fuerit ſuperis, tam longinqua ab domo legatione perfunctus, ad præmia redito, quæ tibi vberrima à munificentia optimorum Pontificum deſpondeo. Dixi.

In Laurea

NICOLAI BIFFII

PANEGYRICVS.

Plutarc. de felic. Rom.

FEſtiua cum primis & lepida fabella fuit, & quæ vulgata vanis auctoribus famam & auctoritatem rei veriſſimæ paulatim inuenit, Venerem tam diſſimili more ſtudioque fuiſſe, vt cum in Cypro, atque alijs in terris omnibus, Gratiarum Cupidinumque choro ſtipata incederet, delectaretur armillis, & ſpeculo, ſandalijs ſumptuoſioribus, ſtoliſque lacinioſis ac omni luxu diffluentibus laſciuiret, madentes crines accuratius inureret calamiſtro, mundoque muliebri multò diligentiſſimè ſtuderet; Eadem tamen cum tranſitura Eurotam amnem eſſet, & fines Laconum ingreſſura, tunc abiecto ſpeculo, detractiſque annulis, & vniuerſo contempto illo elegantiarum apparatu haſtam ſumeret & galeam, atque ita ſe Lycurgo exornaret. Quid ego tam longè rem duco? aut quid armata Venus ad honorem & lauream Nicolai Biffij poteſt pertinere? Pertinet enimuero. nam eloquentia quæ caſtiſſima virgo perhibetur, eadem & formoſiſſima eſt: & in arculis ſuis colores habet, calami-

ſtrum,

ſtrum, ſpeculum & gemmas, & ea vniuerſa, quibus fortaſſe venturæ in iudicium Paridis cæleſtes Deæ formam ſuam crediderunt commendabiliorem effici potuiſſe. Neque ſolùm Veneres habet omnes eloquendi facultas, ſed ipſa planè Venus eſt, pudica tamen, integra, incorrupta & verecunda; quæ quoties aliorum honori ſeruiuit, in eo conſuetudinem ſuam tenuit, vt arculas ſuas omnes ſcrutaretur, atque ſeſe pingeret ſtudioſius, & nihil omitteret, non floſculos, non artificium crinium, non gemmarum nitorem, neque quicquam earum rerum, quibus pulchriorem ſe, & magis comptam ac elegantem poſſet efficere. Sed enim ea ipſa iam, cum ad Nicolaum Biffium exornandum vocatur, meminit ſe Venerem eſſe, ac ſe credit ad Eurotam flumen perueniſſe, pœnitetque ipſam munditiarum ſuarum, quibus certò ſciat ſe minimè poſſe, ſic Nicolao, tanquam Lycurgo placere. Quocirca nemini veſtrum mirum videri debuerit, ſi tota erit incompta, inelegans, & inornata oratio, quæ laudatura virum grauiſſimum lepores omnes aſpernabitur: & leue ac importunum ſtudium iudicabit, ſi Iſocraticam potius laſciuiam, quàm Platonicam grauitatem ſequatur. Quantum enim à perſona Nicolai omnis ſemper abfuit leuitas, luxus, & ſic dicam, *effœminatio*, tantum ab eiuſdem laudatione hæc eadem abeſſe debere ſtatuimus, ne ipſe noſtrum obſequium eo verbo caſtiget, *pulchros eſſe Sicyonios calceos, ſed ſibi minime aptos videri*. Ergo conſilio meo ita ratio conſtabit, ſi mores & ſtudia tua memorans, ſtrepitum nullum ciebo, ſi abſtinebo ampullis, atque ſi meminero à me virum grauiſſimum laudari, quod inſtituo. **Diog. Laert. li. 2. in Socrate. Cic. 1. de Orat.**

Quamquam ab eo ſemper abhorrui, vt in huiuſmodi laudationibus rem à Pelope, aut etiam à Leda: quo repeterem, & multam in maioribus recenſendis orationem inſumerem, cum Senecæ ſemper ſim aſſenſus dicenti, *Stultius eſſe nihil, quàm quemquam eo ſibi placere, quod ipſe non fecerit*; tamen quin ſaltem, vt aiunt, in tranſcurſu, & velut reſpectans **Ep. 74.**

commemorem quàm honeſto inter ſuos loco & claro ſit ortus Nicolaus, vix poſſum. Hanc, quam generis nobilitatem nominamus, contemnant licet qui volunt, & fumum inanem, & abſque re nomen, & vanam oſtentationem appellent: ea tamen ſi vetat eſſe animo degenere, poſteriſque velut è ſpecula lumen quod ſequantur oſtendit: ſi vim eam, eam auctoritatem & pondus habet, vt nobilem expergefaciat, ſtimulet, incitetque tum ad maiorum æmulandam induſtriam, tum ad illud patrimonium dignitatis, quod amplum à maioribus acceperunt, multo auctius vberiuſque poſteris relinquendum; nemo, arbitror, intelligens, nemo ſanus, neque non ſenſu carens communi negabit, ei tribui permultum oportere. Nam ſi quis mollitie, inertiaque langueſcat, ijs fucis perquam ſimilis, qui, quæ apes condidere fauis, cum ipſi mella non elaborent, conſumunt: ſi quis tempus vitæ in otio pinguiſſimo tranſmittat, quale Dijs ſuis tribuit Epicurus: ſi tantummodo cædat ſaginam, aleamque ludat pernoctem, & Margitem illum nebulonem imitetur, quem vt ex Homero ait Clemens Alex. *nec aratorem dij, foſſoremue crearunt, vllo alioue modo ſapientem, arſque abfuit omnis:* ſi cum ſit nepos profuſus, cum pecus languida, tamen in omni ſermone auos abauoſque crepet, eius exemplo, qui apud Iſaiam iactabundus aiebat: *Filius ſapientium ego, filius Regum antiquorum*; hunc ineptiſſimè faciam, ſi aut in nobilium, aut etiam in ciuium hominumque numero velim collocare: eiuſque miſera, & fatiſcens nobilitas haud ſanè minus meis omniumque bonorum querelis digna eſt, quàm olim Paralium fuerit, ſacra Athenienſium triremis, quam cum Demoſthenes aliquando vidiſſet, Midiæ ligna, vallum, commeatumque conuehere, dolorem tacitus ac indignationem ferre non potuit, & rem ſacram indigniſſimè tractari exclamauit. Non equidem ſum admirator imaginum, Druſos, Conſuleſque nihil moror, nihil faſtos, ac memoriam omnem annalium tuæ Ciuitatis, nihil totum te ipſum, Nicolae Biſſi, ſi

Diog. Laert.

Clemēs Alex. ſtrom.

Iſaias c. 19.

Plutarc. an ſeni ſit ger. reſp.

te

te videam ſocordem eſſe, & ardore induſtriaque à nouis hominibus anteiri: neque ſi fortè deſciuiſſes, ipſe de tua nobilitate, ſecus exiſtimarem, quàm è generoſo vino eſſe peſſimum factum acetum, aut etiam aceto deteriorem vappam: neque id minus monſtroſum eſſe teſtarer, quàm quod ex accipitre gignatur cuculus, vt aliquos exiſtimaſſe ait Ariſtoteles: & quòd aliquando leporem equa enitatur, vt olim Xerxis in caſtris eueniſſe docuit Val. Maximus, auctor non obſcurus. Sed enim his verbis quid opus eſt? nihil monſtroſi, neque inauſpicati gignere moris habet domus Nicolaij Biffij, in qua aquilam aquila, leonem leo, non deformes, obſcenoſque, neque degeneres fœtus progignunt. Nicolaum præter generis claritatem, nobilem facit animus interritus periculis, intactus cupiditatibus, in medijs tempeſtatibus placidus, benè ſentiens, laboribus atque vigilijs inuictus, ſtudioſus appetenſque rerum honeſtarum, in quibus veri ſplendoris vim omnem atque rationem eſſe poſitam confirmat Seneca: proſuntque illi memoria ſui maiores ipſius, non magis ad commendationem apud ciues ſuos & exteros, quàm ad eorundem ſtudiorum æmulationem: ac ita tum vigilantis, tum etiam dormientis ob oculos obuerſantur, vt cotem acuendæ virtutis aliam habeat nullam maiorem, in quos ſic intuetur, quemadmodum ille apud Phædrum Libertum elegantiſſimus puer à patre ſapiente iuſſus fuit in ſpeculum intueri, vt quo Nicolao maior ſorte naſcendi contigit claritudo, eo ſtudioſiùs adnitatur, ne qua macula tantum ſplendorem obſcuret, infamet, & ſic dicam, *deuenuſtet*. Verùm enim verò antequam dicendo progrediamur vlterius, lubet eos imitari, qui cum primùm ædes aliquas ſumptuoſæ ſubſtructionis, ac elegantis & exquiſiti artificij colluſtrant, non ante ſe in penetralia, & interiora conclauia inferunt, quàm conſtiterint aliquandiu in veſtibulo, & quæ prima oculis occurrunt, quo ſitu, quoue genere ſtructuræ poſita moles ſit, curioſiùs contemplentur. Quæ dignitas oris tui, Nicolae doctiſſime?

De nat. animal. l.6. c.7.

Lib. 1. cap. 77.

Lib. 3. 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quàm decens, quàm recta proceritas? Neque tamen cum maximè lacertis vires, membriſque modus prouueniebant, minima fiebat diſciplinarum perceptioni, eruditioniſque acceſſio. in quo ſanè haud paulò fuiſti felicior, Nicolae, quàm aut arbor olea ſit, quæ cum creſcit, auidi votis agricolæ malè reſpondet: aut ficus Indica, quam Theophraſtus ait, quo ſe maiore attollit magnitudine, eo & minùs multos ferre fructus, & magis exiles. An verò quiſquam ita exiſtimet, cum ætas increſcens, annique venientes tum pondus Nicolai corpori, tum robur & firmitatem eius artubus, tum denique toti eius trunco proceritatem afferrent, Nicolao fuiſſe quidquam vigilantius, laborioſius, & in opere magis aſſiduum? Suum ſibi veteres Lacedæmonij morem habeant, qui auſpicandis inchoandiſque rebus expectabant plenilunia: Suum habeant Sueui, quos Tacitus inquit inchoatam Lunam agendis rebus auſpicatiſſimum initium crediſſe. Omnem euoluendis libris, percipiendis diſciplinis, animoque ſuo inſtituendo idoneam partem anni, menſiſque credidit Nicolaus. Lunæ ſtatum omnem, ſiue ea plena, pernoxque, ſiue minor, aut etiam nouiſſima, ſiue rediens, aut diuidua foret; omnem tempeſtatem, habitumque cæli aptum appoſitumque ſuis rationibus exiſtimauit: nulloque diſcrimine ſi niterent ſine fæce dies, ſi largum Iuno demitteret imbrem: ſi canis Sirius meſſes excoqueret, ſi Vulcanus ardens vreret officinas, ſi acris hyems omnia gelu adoperiret: ſiue cæteros lux vocaret in forum aut in agrum, ſiue illos ab opere nox depelleret; nullo inquam diſcrimine, minimè ſuperſtitioſus Nicolaus ſuis literarum ſtudijs adhæſit. Iam verò quem non capit niueus iſte candor oris tui, Nicolae doctiſſime? Ego verò an totum hunc locum tacitus præterirem, plus ſatis anceps fui. Sed cum neque equum proponam venalem, de quo illud carmen eſt poëtæ, *Color deterrimus albis:* neque de aſtris fit modò à me inſtituta diſceptatio, è quibus Saturno potius, quàm aut Mercurio aut Veneri candidum colorem Plinius attribuit:

Lib. 2. de cauſis plant. li. 14.

Herod. Erato.

De mor. Germ.

Virg. Georg. lib. 3.

Nat. Hiſt. 2. 18.

buit: at potius cum ſeculi gemmam & vnionem laudem, cuius dotem eſſe præcipuam in colore auctores tradũt grauiſſimi, Nimirum quid dubitem clarè diſertèque pronuntiare, diuinitus iſtum tibi candorem obtigiſſe, quem ſcilicet Dearum formoſiſſimis tribuit Homerus, quem liguſtris ac lilijs, lactique, quo nos cibo vitam auſpicamur, dedit natura, quo denique Poëſis & Pictura genas frontemque depingunt innocentiæ, conſimilem, neque tantùm conſimilem, verùm etiam teſtem indicemque candoris animi tui, quo tibi omnium ſtudia adiungis, & quo cætera tua cumulas ornamenta? Nam illud, quod etiam adagio ferunt, *nullam eſſe candidorum virorum vtilitatem*, vtrum ſanorum & ſapientum effatum fuerit, an ebrioſorum atque furentium quædam, vt ita loquar, *allucinatio*, minimè poſſum conſtituere. Vndecunque demum parœmia profluxerit, quo minus ea obſit Nicolao, cauſam non dico, ſi quis Nicolai opem fruſtra implorauit, ſi vſpiam mollis effœminatuſque viſus fuit, ſi quis eo conſtantior in labore, ſi cuius conatus maiores extiterunt in doctrinis comparandis. Sin ita perdurat in vigilijs, quemadmodum qui vigilantiſſimus: ſin in omni re ſuſcipienda acer eſt, vt pauci: ſin amicis fauet, vt omnino hac ætate nemo: ſin virtutis ac literarum cauſa quidius perferre paratiſſimus eſt: ſin denique is eſt, per quem minimè ſtet, quo minus ea Pythagorica viuamus lege, quæ *amicorum omnia communia* eſſe debere ſancit, quis iure poſſit Nicolao ſuum candorem & inutilitatem opprobrare? Valeat parœmia apud palæſtritas, non valeat apud Phœbi chorum: valeat in campeſtri concertatione, non valeat in diatribis literatorum, non valeat in ijs quorum & vita eſt vmbratilis, & opera ſedentaria. An verò dubium eſſe poteſt, quin ſi Nicolaus ſole feruenti decurriſſet in ſtadio, ſi meſſes in agro deſecuiſſet, ſi cum Hercule æratas feras venatus eſſet, eſſet cum Antæo luctatus, aut Augiæ ſtabulum repurgaſſet, color illi alius fuerit futurus? ergo meſſori, pugili, athletæ, ac militi can-

Plin lib 9. c. 35.

Adagiographus.

Eurip. in Oreſte, Terent. in Adel. Ariſtot. lib. mor 8.

dorem dabitis vitio, qui viribus merent corporis, quos niſi ſol ardens torrefecerit, cutemque aduſſerit, ſatis magnam cauſam habetis, eorum cur operam accuſetis. viris Apollinaribus, qui procul à ſole, puluereque vitam tranquillam ſequuntur, ſuiſque libellis impalleſcunt, cur vos candorem exprobretis, non video. Nam quod eſt aliquanto gracilior Nicolaus, quàm ſoleant eſſe, qui ſeruiant gulæ, ac ſtrenuè pergræcantur, quis neget eſſe id quoque illi in magna laude ponendum? quid enim facias ventribus illis, qui cibis infarciendis occupati, ad excogitandum hebetes ſunt, ac tardi, & ad moliendum pigri ac ineffi-

Sueton. in C. Cæſ.

caces? quos meritò C. Cæſar irriſit, cum fideliter amanterque monitus, vt M. Antonium æmulum potentiæ, & occupatæ vindicem libertatis caueret, Brutum ſibi, Caſſiumque mage cauendos eſſe reſpondit; cum diceret, horum ſe maciem & gracilitatem expaueſcere, nulli verò mortali ſaginam illius minitari.

Colum. de re ruſt. lib. 2. cap. 2.

Iam ſi quis nos Columellæ verbis oppugnet, qui ſibi in agro deligendo dixit pinguem probari, an is nondum didicit, non idem de homine, quod de aruo, ſed plerunque contrarium ſapientes iudicare? Cum enim pinguis arui ſit ea ratio, vt minimum poſcat, reddat plurimum, & impenſam coloni laboremque remuneretur magno fœnore, quotus quiſque de hominibus obeſis & habitioribus non multo ſecus exiſtimet? quos & tantâ impenſà ventrem profundum implere videmus quotidie, & ad vitæ ciuilis munia tam inualidos & ineptos exiſtere. Sed hiſce tricis diutius quàm par eſt, me video immorari, quem iamdudum præclari conatus Nicolai Biffij haud ſine tacito conuicio vocant ad ſeſe. Quibus pueritiæ & primoris adoleſcentiæ tempus ſtudijs tranſmiſerit Nicolaus, ex ijs rebus, quas dicam, veſtra erit coniectura. Cum enim ei adeſſet ingenium haud aliter auidum gloriæ, quàm naphtha flammæ, cum vim ingentem haberet iuuentæ calor, cum gloriæ ſtimulus

2. Serm. Satyr. 2.

violentum calcar haberet, neque domi deeſſent exempla, quæ vt habet Flacci prouerbium, oleum adde-

adderent camino, euaſit in ſummum artificem di-cendi, in philoſophum numeris omnibus abſolutum, atque in I. Prudentem longè doctiſsimum. Illud animo, viribus, ingenioque complexus fuit, vt Muſas vtraſque, tum illas humaniores, tum etiam ſeueriores illas, quarum inter ſe nullum commercium esse quidam ineptiſsimè dixerunt, copularet; & in concordiam redigeret, vt qui in diſputando valeret, idem excelleret in dicendo; & eloquentiam, quæ ſe hactenus triumphis, trophæis, ſceptroque ac regno iactauit, compelleret inſignibus imperij poſitis ancillari, & cæterarum Muſarum commodis deſeruire. Video, nec ſine magno dolore pleroſque Philoſophorum, Iuriſprudentum ac Medicorum video, ſeu quod ſermonis curam tanquam rem leuem aſpernentur: ſeu quod Muſis ſeuerioribus cum limandæ poliendæque orationis ſtudio minimè arbitrentur conuenire: ſeu denique quod ſe aſſequi vtrumque poſſe deſperent, eloquentiæ minùs indulgere. Ament illi verò ſuas indiſertas doctrinas, placeant ſibi ſua balbutie, mediumque Nicolao digitum oſtendant, qui Philoſophiæ munditiem, cultum, ac nitorem addidit; aſperitatem, ſordeſque detraxit. Feret non iniquiſsimè Nicolaus oſores illos eloquentiæ, corium olere, hirtos eſſe ac ſpinoſos, quadam Schytica ſqualere illuuie, & ſe ipſos rebus ſuauiſsimis velut indignos abſtinere; cum ipſe comptus niteat ac delibutus, & cum eius philoſophia ſe ingenuo quodam, non tamen fucato nitore cuiuis commendet, cum ſordes, quantum poteſt, à motibus, à ſtudijs, atque ab omni ſermone remoueat, & cum doctrinas grauiſsimas, quæ aut mutæ ſolent eſſe, aut balbæ, loqui, & ſanè ornatè ac eleganter loqui docuerit. A quo ſi quis fortè ſciſcitetur, num ei, cum artes pertractet maximas & grauiſsimas, vnguenta placeant, & opobalſama, quemadmodum reſpondeat meliùs, quàm quibus apud Lucianum verbis Demonax reſpondit ſciſcitanti cuidam, num & ipſe placentis veſceretur? *An tu*, inquit, *apes exiſtimas fatuis ſuos fauos concinnare?* Tomo 2. Demonax.

Atque

Atque ſanè ſi quiſquam, cui deſit eloquentia, virium imbecillitatem accuſet, falsò nimirum id accuſet in Italia, quam partem Europæ curæ mortalium obſequentiſsimam eſſe dixit Columella. Cuius quidem rei documentum ſe illud habuiſſe maximum teſtatus fuit, quòd veteres ante ſe Romani intra mœnia vrbis Romæ natos mirati fuiſſent elephantos, quibus ſe iactaret India, pluribuſque locis vrbis plantam thuream, florenteſque hortos myrrha, ac croco, & caſiam frondentem conſpexiſſent. Sed enim Theophraſto nihil æquè iucundo ſpectaculo fuit, ac nihil ei telluris Italicæ magis obſequium probauit & fertilitatem, quàm ficus, quæ tam facilè ſtirpem fert arborum aliarum, atque inſitione tam variorum generum arbores admittit, vt perſæpe pro horto integro eſſe poſsit huius vnius aſpectus. Cuius perſimilem apud Tiburtes arborem tiliam tot modis inſitam ſe vidiſſe teſtatur Plinius, vt alio ramo nucibus, alio baccis, vuis alio, piris, puniciſque onuſto, nullum in ea non pomorum genus eniteret. Mihi verò (quid enim abimus tam longè, atque ad Tiburtes excurrimus intempeſtiuè, Romanoſque hortos & ſtabula perſcrutamur?) Nicolaus multo iucundiſsimum ſpectaculum eſt, idem rhetor, idem I. C., idem poëta, idem philoſophus ac denique idem nomine grauiſsimo theologus; vt hic ille mihi *centum puer artium* videatur, quem ſuo poëta verſu dilaudat. Hoc loco quæſo vos, optimi doctiſsimique Ciuium, quid eſſe cenſeatis admirabilius, quàm tantulum hominem animo eſſe tam vaſto, tot includere ſinus, tam laxo intus theatro ſpatiari, cogitationum tot velut montes habere, eſſe intus locum tot ſpectris, tot rerum imaginibus ac tam diuerſis, atque eſſe vnum virum tot artium capacem. Nihil iam ferre poſſum iniquius, quàm quod ea, quæ reſtant, curſu video eſſe mihi dicenda penè præcipiti. A res Nicolao tribui tum numero complures, tum genere atque dignitate præclaras; quibus eum ſi quis fortè leuiter eſſe tinctum arbitratur, fallitur vt cum maximè. Quibus, cedo, rebus

Columella de re ruſt. l.3. c.8.

Apud Iulian ſ apoſt. epiſt.24.

Plin. lib. 1, c.17.

Horat. lib. 4. ode 1.

bus noſtra hæc à nobis literaria, ſic dicam, militia militatur? duabus opinor, natura, & induſtria. Altera ſcilicet promptum quoddam, & perſpicax ingenium exhibet, cuius eſt penè vis eadem, quæ feracis vberrimique agri, quicquid acceperit, fœnore multiplicato reddentis: altera ingenium ipſum, ceu quendam agrum excolit, ſubigit, repurgat, extirpatiſque malis graminibus, conſerit herbis, ſurculiſque felicibus. Quæ duo, ſi cuius apta vitæ ratio afferat ad ſtudia doctrinarum, nihil erit tam arduo & inacceſſo poſitum loco, quò non enitetur, quauis laude effloreſcet mirabiliter, quamcumque Encyclopædiæ in partem incubuerit, nemini concedet, qui plus vlla facultate valeat, oberitque nihil, quo minus ad illud, quod eſt ſummum in doctrina, poſsit peruenire. Quale Biffio contigerit ingenium, & ei quantum ab initio indulſerit natura, vix poteſt obſcurum videri. An ſi ei deeſſet, non dicam ingenium, ſed ſummum & acutiſsimum ingenium, ſuppeteret ea copia? an ſubitis in rebus tanta vis, tamque præſens & prompta conſilij adeſſet? an quotidie in differendo atque velitando iſs lac. rtis iacula torqueret? an eum puerum ita laus excitaſſet, iuuiſſet gloria, obiurgatio momordiſset? an Delphici gladij exemplo ita in omnem partem valeret, vt philoſophica nemo feliciùs tractaret, compoſitus ad carmen eſſet, proſa oratione nemo feliciùs vteretur, & eloquentiam alio alioque ſchemate ſuam modò lætus, feſtiuuſque, modò grauis ac vehemens, aliquando laudator copioſus, aliquando monitor & hortator acer, nonnumquam Eccleſiaſtes è loco ſuperiore, vitiorumque ſeuerus obiurgator, exhiberet? *Ariſtot. polit. 1.* De cura, qua & iuuari naturam & prouehi ſenſit Fabius, quantam Biffius adhibuerit, nos ſcilicet dubitemus, qui ſcimus vni ſemper addictum ſtudio doctrinarum fuiſſe Nicolaum; famam, dignitatem, oblectationem, atque adeò & viaticum petijſſe è literis, nullaſque vnquam neque remiſsiones animi habuiſſe, neque diuetticula, ac denique tempora, quæ adoleſcentum alij ſpectaculis, campo, teſſeris, otioſis deni- *Lib. 2. cap. 8.*

que

que ſermonibus, ne dicam ſomno & conuiuiorum morà conterunt, commentationibus, vigilijſque & euoluendis libris impendiſſe? Tuum verò iſtud preſſum, Nicolae ſuauiſsime, limatumque dicendi genus, tuaque obſequendi ac demerendi amicos perpetua conſuetudo, quantum tibi oneris imponit? quàm ſæpe te ad antelucanam operam euocat è lectulo? quoties denique corpore penè fatiſcente tandiu perduras in opere, donec laborantem penè vires omnes deficiant? Si quando Plutarchi libellum *de vitioſa verecundia* legiſſes, ac inde amicis tua comitate intemperantiùs vtentibus præcidere didiciſſes: tibique ſi perinde ad refragandum abnuendumque frons animuſque conſtaret, atque vicinis ciuibuſque tuis conſtat ad fatigandam humanitatem tuam, vitam, quam modò acerbam, vexatamque ac laborioſam traducis, ſic ageres in literulis tuis, tanquam ſi hortis in Alcinoi ſpatiareris, pronoque alicubi amne deflueres, aut vento mare ſecundo tranſmitteres, planèque Diuorum in terris vitam viuere videreris. Noui tuæ frontis imbecillitatem, nimium tribuis amicis, quiduis mauis, quàm eos à te minus lætos dimittere. An etiam eorum cauſa ramices rumpas? an eorum cuiuis tuam vitam impendas? an tibi, quod quiſquam ſit impudentiſs mus, pæna pendenda eſt? an es ex eo genere hominum, quos ait Plutarchus ſyllabam NON pronuntiare non poſſe? Meo ſi monito facere volueris, turbam à limine permoleſtam ſubmouebis: amicorum temporibus ita ſeruies, vt te natum eſſe liberum memineris: & petacibus (vtar enim hoc verbo) qui verecundari nunquam nouerunt, impones ſilentium; quorum ſi quis tuo pudori modeſtiæque vim facere voluerit, tu continuò magno clamore fac ingemines, *Veſtram fidem, Quirites.* Deus Immortalis, quæ demum iſta vita eſt, quæ ſibi nihil diurnæ, nihil nocturnæ quietis impertit? An tibi ingenuo, erudito, ac Sacerdoti eandem legem eſſe latam credis, quam ſeruis tulit Ariſtoteles, quibus nullas ferias eſſe dixit? Nihil publicè priuatimque commouetur, quin

quin ad te Elogij aut carminis cauſa decurratur. nemo magno conuentu ciuium theſes propugnat, quin tu paratus antagoniſta ſis, qui obnitaris, atque ad rauim vſque reclames. nullum ciuem honeſtiorem mors extinguit, quin eius tu funus nænia proſequi iubearis. nullum ex aduerſa valetudine ſalus incolumem ſeruat, quin illi ſcribere Soteria compellaris. vix vllam honeſtiorem virginem viro tradit Venus pronuba, quin ſit, qui te roget Epithalamium. vix quiſquam dignitate, vix quiſquam filiolo augetur, quin tibi ludendum carmine ſit. nunquam Præſul Prætorue ad remp. gerendam accedit, aut rep. benè geſta decedit de prouincia, quin tibi penè flagitioſum futurum ſit, niſi ceras ea de re capaces imples. ſi quid aliquando increpuerit, fac ipſe te totum excutias, atque ad pluteum & pugillaria conuoles. ſi quando, quod ſanè velim euenire frequentiùs, benè geſtæ rei nuntius alicunde afferatur, fac, Biffi, ad ſcribendum epinicium conſurgas. ſi quod denique fulmen percellit Remp., fac illico tuas Muſas ad prælij offenſionem complorandam voces. Nam quæ cauſa eſt, cur cum apud Poetam putidè, vaniſsimèque Miles Glorioſus de ſua forma queratur, quæ ſibi plures, quàm vellet, crearet ærumnas: *Nimia eſt miſeria*, inquit, *pulchrum eſſe hominem nimis*; tu itidem de doctrina tua queri dolenter non poſsis, per quam tibi eſſe otioſo nunquam licuit? Iniquiſsimè ſcilicet comparatum eſt, vt qui literas vix ſummis labris attigerunt, *qui ſi* toti æſtimentur, neges valere dupondio, ij altiſsimè ſtertant, lautiùs & ſumptuoſiùs opſonent, ſæpèque dies integros extrahant otij ac ludorum oblectatione, eoſque carminis proſæue cauſa obturbet nemo; eorum contra, qui vt viri ſeneſque poſſent cum dignitate quieſcere, propterea ſibi in adoleſcentia numquam fuiſſe conquieſcendum ſtatuerunt, ne flexu quidem ætatis laborem conſiſtere, nihiloque eſſe conditione meliore, quàm qui opus in ergaſtulo faciunt: vigilandi ac intabeſcendi nullum modum fieri, ſed odioſè ſuboriri ſemper aliquid, quo ne modicam

actu 1. ſcena 1.

quie-

quietem capiant,&ipſorum quod torqueat ingenium. Quamquam ad te, Nicolae Biffi, ſi literarijs de cauſis frequentius, quàm ſoleant ad mulctrum muſcæ, conuolant amici,teque in otio, in negotio interpellant, & onus imponunt, quod rogatus non ferat Atlas, ijs vix poſſum iraſci. quò enim conuolent aliò, quàm ad tam paratam copiam,promptamque ac obuiam benignitatem? ac vnde melius, quàm ex vberrimis integriſque fontibus tuis latices petant? Cum Biffius non ſolus teneat fontes dicendi: non ſolus famam ſeculi & publicam exiſtimationem tueatur: cum non deſint in vrbe ſummis ingenijs efferta, elegorum,aut panegyricorum artifices idonei permulti; tamen facilis eſt & plana ad eum via, qui nunquam onus ægrè tollere viſus fuit, nunquam fuit bis rogandus, nunquam ſolitudinem & ſpatium poſtulauit, numquam illum neſcio quem acceſſum & velut æſtum ingenij expectauit. Vnum cum primis inuideone, an gratulor tibi, genus dicendi pudicum, & quemadmodum *figuris iucundum, egreſſionibus amœnum, compoſitione aptum, ſententijſque dulce*, quale ſcilicet Fabius exigit ab eloquente; ita minimè ventoſum ac turgidum, quod aut verborum licentia reſultet, aut puerilibus ſententijs laſciuiat, aut inanibus locis bacchetur, aut immodico tumore turgeſcat, aut denique temerè tum argumentis, tum tranſlationibus, tum argutijs ſalibuſque frigidiſsimis inſaniat. Cæterùm cum Nicolaus Biffius tantum in dicendo gratiæ ac dignitatis, tantum in inueniendo felicitatis, atque in permouendo tantum cum adhibeat virium atque neruorum, quantum qui eum dicentem audire conſueuerunt, compertum habent ac exploratum, minimè tamen ſibi vnquam audiendum eſſe Lucianum ſtatuit, qui munere ab oratorio eſſe verecundiam ablegandam, manſuetudinemque ac erubeſcentiam domi relinquendam, & earum loco eſſe temeritatem adſciſcendam, ignorantiam afferendam in ſuggeſtum, audaciam denique ac impudentiam res duas negotio perquàm vtiles ac opportunas adhibendas, magnoperè cen-

Lib. 12. cap. 10.

Lucian. in rhet. præcept.

cenſuit. Proh Diuùm hominumque fidem! quid eſt, Luciane, quod ais? an ſatis intelligis, qualia ſint, quæ detrahis oratori, qualia quæ tribuis? an cum tu monſtrum & portentum huiuſmodi ex audacia, ex ignorantia, ex temeritate, atque impudentia conflaueris, nos illud Oratorem, virumque bonum, dicendi peritum appellabimus? an illud de ſtatu ciuitatis, de ordinanda rep., aut de ciuium repurgandis, caſtigandiſque moribus grauiſsimas ſententias dicet? Diuùm hominumque irriſor Luciane, non Oratorem inſtruis, ſed Cyclopem occæcas, ſed ſicarium & ſycophantam armas furore, cuiuis vt inſultet, ac proteruè miſceat vniuerſa: tuumque furentis conſilium tum audiet Biffius, cum te omnes conuellentem religiones, cum bella mouentem Dijs, illiſque negantem curæ eſſe res mortalium, cum poſt breuem huius lucis vſuram animos quoque interimentem, cum diripientem è cælo deturbantemque omnes ſuperos, audiendum exiſtimabit. Qui cum tanti ſemper fecerit literas, vt nunquam dubitauerit, quin eæ ſibi vel ipſius valetudinis diſpendio colendæ ſint, & quo ſe die lautiſsimè velit accipere, ſeſe in eas totum abdat; plus tamen ſibi ſuauitate morum ſuorum placet, eiuſque poſſeſsionem interdictis defendet ſemper omnibus; optioque ſi detur, vtrum malit, vitam illiteratam, an inuerecundam agere, nihil dubitet literas ſuas tam ſuaues, hoc eſt, ſuas delicias ac amores, ſuaque vtriuſque fortunæ tum ornamenta, tum præſidia, quæ ſecum peregrinantur ac ruſticantur, in quibus conquieſcit è curis humanæ vitæ, vnde recreat, inſtaurat, ac oblectat vitam ſuam, quò ſe æger animo tanquam in portum è fluctibus, atque à ruta ad pulegium confert, eas, inquam, literas ad pudorem comparatas nihil dubitet aſpernari. Nam ſi Lege Cornelia de Falſis agere velit cum Luciano, quomodo ſophiſta vaferrimus ac ſceleſtiſsimus malum effugiat, non video. Hominem certè vanitatis arguit ſuo Nicolaus exemplo, quem nihil magis commendat concioni, quàm pudor ſuus. Quid enim eſt, quapropter

ei

ei loquenti tam impenſè fauemus? quid quod dicentis ab ore pendemus tam attenti? quid quod auribus tam pronis ea,quæ à Biſſio dicuntur accipimus, atque tam altè in animos noſtros demittimus? quid quod plaudimus & eum oſculis excipimus? quid etiam quod abeunti penè floſculos ſubſternimus? Sed cum doctrinarum conſenſum eſſe quendam, concentumque, vnoque eas omnes velut ſocietatis atque neceſſitudinis vinculo contineri dixerit Plato, quas ſi quis Muſis propitijs aſſequatur, tum illam effici rerum optimarum permixtionem coniunctionemque, quam Fabius orbem doctrinæ nominauit, an ne vos Muſarum tantùm, neque non & Gratiarum eſſe hunc concentum arbitramini? Solas ne literas & doctrinas officio munereque coniunctas eſſe, quodamque quaſi nexu eſſe conſtrictas iudicatis; pietatem verò, iuſtitiam, religionem, Chriſtianæ mentis ſobrietatem, ac modeſtiam, illarum à cœtu excluditis? Tuam ego verò quantamcunque doctrinam, Nicolae, nihil morarer, ſi tibi ad ea ſtudia, quibus Deum demeremur, otij nihil ſupereſſet: immo & demirarer, quis te genius ita literulis addiceret, vt virtutem doceret aſpernari: quis te ſic doctrinarum ſtudijs tanquam quandam Andromeden ſcopulis affigeret, vt te virtutis causâ commouere non poſſes: immo etiam ſanam tibi mentem precarer, ſi cum tam laborioſè eas notitias confecteris, quibus te ipſum viris doctis doctiſſimum probes, ea parare penſi nihil haberes, quibus animus ad immortalitatem beatæ vitæ præparetur. Verùm enim verò ſtolidorum eſt hæc ratio, præpoſterè iudicantium de rebus, non eſt Biſſij viri peracuti & ſapientis, cuius ingenio nihil vſquam natura finxit vel præſtantius, vel dexterius, vel dulcius, vel felicius. qui ſcilicet literas eatenus colit, quoad pietatis ferunt rationes: eas ita pretio in primo habet, vt morum ſtudium, vitæque caſtigandæ curam habeat extra pretium: neque dubitat quin ſibi,quotidie ſcilicet, aliò properanti, tanta vis doctrinę, ſarcinę potius, quàm viatici loco eſſe debeat: ſemperque eos irriſit, quos

In Phædro.

Inſtit. lib. 1.

Ter-

Tertullianus *fama negotiatores*, D. Hieronymus *gloria animalia*, Agellius *nugatores*, quos denique è diuino Platone Themiſtius *inſolenti arrogantia plenos* appellat; qui ſcilicet ſciendi ac oſtentandi cauſa literas colunt, quas debent ad Deum auctorem referre. Illud enimuerò & optimo viro & ciue præſtantiſsimo dignum, Nicolae, feciſti, quod cum tecum aliquando vigilias tuas, literaſque emori ac extingui neceſſe foret; maneſque ijdem, qui te ipſum, doctrinam quoque tuam manerent. excogitata, initaque à te ratio fuit, tum vt tantus iſte doctrinæ apparatus quamplurimorum commodis deſeruiret, tum vt quodammodo latiùs propagaretur, eiuſque fructum quàm vberrimè & quàm diutiſsimè impertires reip. tuæ, tum etiam vt funeris expers eſſet. Quid ita? inquis: accipe; rem ipſam narro tibi. Anno plus vno ſolido ephebos ad eloquentiam informauiſti, cum annis plus duobus manipulos & greges adoleſcentum inſtitueris ad philoſophiam. Philonem in eo, ac Ariſtotelem imitatus, quorum vterque alio tempore rhetorum præcepta, alio philoſophorum tradiderunt. Qui ſi eo metu, necubi tibi ſomnus obreperet, atque ne non tibi ſatis temporis tui ratio conſtaret, huc ad erudiendam iuuentutem animum appuliſti, qua in re publico plurimum prodeſſe poſſet induſtria tua, ſatis equidem mirari non poſſum, quod cum Demetrium Phalereum ſtatuis trecentis ſexaginta donauerint Graij veteres, tibi nullam hactenus patria tua, illa ſcilicet ingeniorum altrix & admiratrix, poſuerit. Vobis, Bergomates, auriculam peruello. Ciue de tanto ornando non laboratis? de præmijs tanto viro decernendis nullam cogitationem ſuſcipitis? cæteris de rebus publicis priuatiſque in conſilium ibitis quotidie, de Biffij honore ac dignitate, qui mentem, qui mores, qui orationem liberorum veſtrorum, hortatu præceptiſque ſuis conformauit; qui eos vobis dignos effinxit, & per quem eſt effectum, ne ij quos ipſi genuiſtis, tanquam lapides ſederent in lapide, nemo referet ad conſilium? Si vos rectis ingenijs fauetis, ſi quis ve-

In apologet. Hieron. Agell. 5. orat. 1.

Cic. 2. Tuſcul.

ſtræ reip. reſpectus eſt, cuius intereſt permagni, quàmplurimos ad bonas artes inuitari, ſi denique liuor abeſt, præmia tantæ virtuti deeſſe non poſſunt. an verò incolumi veſtra rep., florentique ſtatu veſtræ Ciuitatis migrare aliquò Nicolaum oportet, & cuiquam extero principi, reiue publicæ ſupplicem eſſe? Sin & iſtic obtrectatio liuorque induſtriam limis, quod aiunt, oculis intuetur, & quam certamine quodam animorum veſtrorum euehi, atque aut ære collatitio locupletari, aut ali de publico par eſſet, eam inuidia odiumque premit, quid eſt cauſæ, quin clamem, *Veios migrate, Quirites*? Satis iam multa verba fecimus. Hoc me forſan non abſurdiſsimè feciſſe cenſebitis, quod ſummotis vndique Veneribus, nulliſque ne illis quidem, ſi qui veluti iniuſsi in hanc laudationem immigrarent, receptis leporibus nudam veritatem, non coloribus oblitam, non calamiſtratam exhibui. Illud equidem etiam atque etiam expendi, quid potiſsimum Theologus, & quid aptiſsimè de Theologo poſſem prædicare. Quidni *fortia potius quàm diſerta loquerer* de viro, cuius vita triſti ac ſeuera diſciplina ſemper, ſic dicam, diriguit? quidni putidum futurum putarem ſi leuiter de viro grauiſsimo, & ſi nitidulè de homine conſtantiſsimo vellem diſſerere? Illud verendum eſt mihi, ne tu, Nicolae, non ſatis te ipſum, & morum tuorum imaginem in verbis meis agnoſcas, ac propterea ne tacitus queraris, me diu multumque agendo, nihil egiſſe, niſi vmbram tuis luminibus addidiſſe. Amorem tibi meum, non eloquentiam probare ſtudui: id ſi conſecutus ſum, minus fero iniquo animo, mihi dicendi facultatem non contigiſſe. Contentione virium, prolixitate orationis, ipſa denique oris ac vocis alacritate videor conſecutus fuiſſe, vt plures fortaſſe meum artificium, nemo certè ſtudium requirat. Ferre, Biffi, debes non iniquiſsimè, ſi tu ipſe ingenio ardoreque vltra eas metas progreſſus, quas ſibi figit hominum inertia, capis ex tua magnitudine id detrimenti atque incommodi, vt à quocunque demum lauderis, à viro te ipſo multis partibus imbecilliore lauderis. Dixi.

Sueton. in Nerone 39.

D. Cypr.

In

In Laurea
IOANNIS BAPTISTÆ ROVERÆ
PANEGYRICVS.

SI quod Periclem factitaſſe ferunt, illum domi foriſque virum clariſsimum, nec magis oratorem copioſum ac vehementem, quàm & fortem abſtinentemque magiſtratum, & imperatorem eximium, qui aliquanto ante, quàm aut curiam ad ſententiam de rep. dicendam iniret, aut expeditionis alicuius cauſa dux creatus exercitus chlamydem indueret, ne quid ſuſciperet temerè, inconſultèque, ea memoriæ ſuæ ſolebat infigere; En tibi Pericles, liberis imperas, Græcis imperas, Athenienſibus imperas: huius exemplo ſi ego facerem, ac antequam ad Ioannis Baptiſtæ Roueræ laudes dicendas accederem, ſic ipſe me alloquerer, & commonerem, vide quid agas: es virum doctum laudaturus; es Roueram laudaturus; hærerem herclè anceps, & quid mihi in re tanta eſſet faciendum, timidius cogitarem. Neque enim dubito, quin ab amoris abundantia, & à quadam incogitantia cæca temerè in eum locum fuerim coniectus, vnde receptus nullus ſit, progreſsio verò difficilis; receptæque à me fuerint partes oratoris, quas nullo modo poſsim ſuſtinere. Me verò quis ferre poſſet, ſi dum omnium feruerent ſtudia, atque de præmijs excellentis induſtriæ capita conferrentur, dum etiam non vnus aliquis, ſed palam vniuerſi in ornanda virtute optimi adoleſcentis ſatagerent, vnus ego eſſem expers communis officij, & minimè quidem more illo Socratico, ſed alio quodam inurbano, & agreſti

Apophth. in Pericle.

nihil hodie viderer mirari, ac omnino tanto ſpectaculo mutus intereſſem? nam vt veſtram, Viri Clariſsimi, qui humaniſsimi eſtis, reprehenſionem effugerem, Plutarchi certè effugere nullo modo poſſem, qui ijs, qui adducto ſupercilio & inſolentis grauitatis ſpecie ſilent, quum laudem præſtantibus ingenijs tribui oportet, inhumanitatis atque ſuperbiæ crimen impingit. Ego autem aut ſuperbus, aut inhumanus? Diui tantam turpitudinem atque flagitium prohibete. Mihi quoque vox eſt, & ea modicè inſtructa literis; quam ſi expediero, multo erit facilior incipiendi ratio, quàm modus deſinendi. Quicunque meum ſtudium maneat euentus, minimè ſanè committam, vt Ioannem Baptiſtam Roueram, tantum adoleſcentem, qui mihi adhuc inſtar cotis fuit, quicum vixi coniunctiſsimè, & quem velut quadrigis per medias laudes vehentem fui ſemper ſuis veſtigijs perſecutus, hodie prædicatione mea, ac debito teſtimonio virtutis, præſertim tempore ipſius tàm neceſſario defraudem. Qui ſi adhuc manibus, quod aiunt compreſsis interfui, dum nemo veſtrum non quaternas manus optauit Apollinis Lacedæmonij, neque tantùm quaternas manus, verùm etiam quaternas, & linguas & tabulas, quò poſſet vberius aliquid, & prolixius exhibere; ita exiſtimare vos velim, me adhuc inſtar noctuæ in tanto lumine caligaſſe, neque occupatis vobis auſum interfari: ſi quid etiam multis aliud, non recuſo, modò ne illud exiſtimetis, plus quemquam, quàm me Ioannis Baptiſtæ ingenio, modeſtiæ atque doctrinæ tribuere. Iam verò facta dicendi poteſtate iudicium de te meum, Ioannes Baptiſta Rouera, adhuc incluſum in animo proferam, & ita proferam, vt omnes intelligant, quemcunque alium vberiùs, neminem amantiùs hoc munere potuiſſe perfungi. Rem inſtituamus. Principium tum agendi rectè, tum acutè intelligendi, non equidem eſſe arbitror aliud, quàm ſi quis celeres motus ingenij & bonam animam nanciſcatur, qualem ſibi ſortitò Regum ſapientiſsimus memorat obtigiſſe. Neque enim

Plut. de audien. poëtis.

Sapient. 8.

enim aliò pertinere videtur, quod ait Zoroaſter, hominum aliquos naſci alatos, aliquos implumes; niſi quod natura fingit quoſdam ingenio veloci, promptiſsimo, ac penè diuino, quòd ita celeriter commonſtratas facultates & doctrinas arripit, vt declaret, ſe non tam illas diſcere, quàm reminiſcendo recognoſcere; quale fortaſſe Theopompi fuit, quale fuit eorum omnium, à quibus inuentæ, amplificatæque doctrinæ fuerunt. quoſdam contra fingit ingenio hebete ac tardiore, quibus non ſunt tradendæ, ſed inculcandæ ac infigendæ doctrinæ; cuiuſmodi fuiſſe ferunt ingenium Ephori, quem Iſocrates nomine contemptiſsimo Sellam nominauit, quem etiam cum proficeret nihil, è ſuo ludo dimiſit. Ioannem Baptiſtam Roueram mea fide atque periculo dicite alatum fuiſſe. Etenim quis illo ſubtilior? quis vberior? quis ſolertior, ac ingenioſior in omni munere & docti & eloquentis? quis de quaque re promptiorem in ore, & magis in procinctu eloquentiam habuit, magiſque & repentinus & præparatus dixit nitidè atque copiosè? quis in diſsimillimis perſonis modò Poeta, modò orator, modò philoſophus, cumulatius ſatisfecit? quis ſæpius virtutis cauſa fuit donatus? quis denique illi perinde in Rhetoricis, atque Phyſicis, ne primus eſſet, quantacunque demum contentione virium præripere potuit? Agrum nos quidem ſi videmus nitentem frugibus, arboreſque ſicubi diffuſis latè ramis ſub onere laborantes intuemur, ſolemus cum terræ vbertatem æſtimare, tum laudare vinitorum induſtriam: ſed præcipuè magnam partem ſibi vindicat fortuna, quæ cælum modò ſerenum, modò pluuium temperauit, ſolem fuit æſtumque moderata, ventos certis temporibus accerſiuit, ac dimiſit, nubibuſque imbres certo velut modio, certiſque legibus defudit. Nemo ſanè mirabitur ſi artes, & facultates tum eas, quibus animus ad humanitatem informatur: tum illas quæ aut rectiſsimè de moribus præcipiunt, aut notione rerum pulcherrimarum alunt ingenium; quas rectè ordineque viri

Plutarc. in Iſocr. & Suidas.

ſapientes vitæ inſtrumenta ac ornamenta appellarunt, eas à me audiat temporis cauſa, agelli fruges appellari. Diui me iuuent, vt tantis de rebus ſaltem aliquid ſignificem: opponas enim licet Gargara tuas ſegetes poëtæ carmine celebratas, licet iactes Methymna tuos racemos & vindemias, non ea veſtris agris vbertas eſt, non is veſtris frugibus ſapor & ſuccus, denique non idem annonæ veſtræ pretium & dignitas, quæ ijs frugibus eſt, quas è ſuo candidatus noſter agro demetit. Nam illa quæ ſeruata in conditis effluere poſſunt, multiſque caſibus corrumpi, ipſiſque adeò à muſculis arrodi atque conſumi, alant ſanè corpora, & ad propagandam vitam valeant, ad eam in immenſum extendendam non valent. hæ fruges, quæ animi ſunt, pertinentque ad diuinam partem hominis, grandinem, & tempeſtatem nullam metuunt, prædatorem non formidant, ac hominem velut cibis diuinis innutritum, omninò vetant interire. Neque tamen has fudit iniuſſa tellus, & abſque vlla cultione ſponte prouenerunt: neque inſtrumenta ad iuſſum nutumque Ioannis Baptiſtæ confecerunt opus ſuum, quemadmodum Dędali, aut Vulcani tripodes, quos inquit poeta, ſponte ſua in diuinum certamen prodijſſe: ſed excolendi, conſerendique cura, ſed repurgandi ſepiendique ſedulitate, ſed nitendi, vigilandique ac denique etiam imperandi ſolertia (quis enim ignorat, ſic ingenium, quemadmodum & tellurem imperia pati?) Ioannes Baptiſta extudit, vt pomis, frugibus, & largis vindemijs exuberaret. Memorabat in Phrygij fabulatoris apologis adoleſcens vaniſsimus, ſe ab domo, patriáque peregrinantem, multa Rhodi fortiter feciſſe, quapropter eſſet ibi ſua clara & ſpectata induſtria. hæc cum domum reuerſus, inſolentiùs iactare non deſineret, & cum nouis quotidie fabulis credulitati ſuorum conaretur illudere, quas eo confidentiùs in omni ſermone fingebat, quo difficiliùs crederet, propter longinquitatem inſulæ ſua poſſe mendacia reuinci, animos offendit ſuorum importunâ iactatione, inuenitque hominem haud ineptiſſimum,

Ouid. 1. de arte.

ſimum, certè non illepidum intempeſtiuæ ac immodicæ leuitatis caſtigatorem, qui diceret, HIC RHODVS, hìc ſaltus. Ioanni Baptiſtæ veris, illuſtribuſque ornamentis perpolito, vt aut Titanum pugnas, aut ſuas in Olympijs victorias, aut vlla cuiuſuis generis admirabilia ementiatur, nulla cauſa debet perſuadere. Neque enim ſeſe quoquam ab domo commouit, neque longinqui itineris cauſa è finibus ſuis exceſsit, ſed in vrbe ſua, atque ſuæ Ciuitatis ob oculos multo amplius & ſudauit & præſtitit in omni genere laudis, quàm plerique faciant eorum, qui peregre virtutem quærentes ad omne litus alliduntur. Veſtros ob oculos, ac penè veſtras inter manus creuit Ioannes Baptiſta, ita altus ac educatus, vt indulgentia nulla potuerint eius lacerti virtutis infringi, nulla ſpes veniæ fuerit malefactis propoſita, nulluſque honos niſi meritis conſueuerit haberi, ac omne tempus habuerit ad clepſydram dimenſum ac diſtributum. quis locus mendacio? quæue ratio cur inter tanta domeſtica decora aut ipſe de ſe, aut quiſquam alius de ipſo peregrinas palmas, ac Rhodienſes dimicationes comminiſcatur? Neque tamen cur hunc adoleſcentem permagno æſtimem, ſemperque æſtimarim effecit deteriorum comparatio, qui magno numero, multiſque manipulis in vrbe noſtra, abſque negotio, abſque honeſto vllo otio, nullo rectore, & tamquam ſine frænis equi paſſim totis vicis vagantur. Nemo Achillis robur collatione Drancis, aut Therſitis æſtimauit: non propterea habitus fuit Crœſus ditiſſimus, quod Cynicos omnes aduersùs famem & frigus malè inſtructos multis millibus opulentia ſuperaret: neque iccirco viſum Solis ſignum Rhodium admirabile, quod mole tantum ſupra parua ſigilla emineret: nec Helena ob eam cauſam credita ſeculi ſui formoſiſſima fuit, quod præſtaret Hecubæ, mulieri floris extincti, quo tempore anus, & Græcis probra ingerens meruit canis appellari.. quis enim me ipſo magis comperta atque teſtata poteſt afferre? fuit enim mecum doctiſsimus Rouera cum amicitia, tum ſtudijs exercitationibuſque con-

coniunctus; neque tantùm coniunctus, ſed etiam in omnibus diatribis, ſeu concertationibus literarijs aſsiduus & peruicax aduerſarius: & cum adoleſcentum, ceu quorundam legitimorum gladiatorum alia atque alia paria committerentur in certamen, ille mecum, ego cum illo ſæpè diuque manus conſeruimus. Sed erat nihilo minus diſpar & iniqua concertatio, quàm ſi ranam comparaſſetis ad vitulum, & culicem ad elephantem. Sequebar quamquam non paſſibus æquis, nitebar ſedulò, denique prætermittebam nihil, quod in virium contentione poſitum eſſet; ſed cum eius veluti nauis remis veliſque veheretur, meam palmulis & remis moliri atque incitare ſtuderem, idem ſcilicet conabamur vterque, & votis idem petebamus, ſed non idem vterque aſſequebamur. Minimè ſua Ioannem Baptiſtam eloquentia deſtituit in carminibus: quin immo qui commodius ſcriberet carmen, qui lepidius clauderet epigramma, vidi neminem. Cuius nos quidem ita mirabamur venam nec exilem, nec vnquam exareſcentem, vt agnoſceremus ingenium. Anniceris Cyrenenſis aliquando artis equitandi, curuumque regendorum ſpecimen Platoni præclarum exhibuerat, quum demirantibus omnibus ac obſtupeſcentibus Plato contracto vultu nimiam illius in re nihili induſtriam reprehendit; quòd eum qui rebus leuiſſimis operam nauaret tam diligentem, poſſe magnis & præclaris negotijs vacare negaret. Ignoſcat mihi tuus genius, Plato, ſi à tanto generis humani magiſtro audeo diſſentire. Quid enim aliud ſic è tanta Anniceris moderandi currus arte ac ſolertia, quemadmodum è tam eximia Ioannis Baptiſtæ Rouerae comendi carminis induſtria conijcerem, quàm ſi vterque ſeſe ad grauiſſima ſtudia & negotia conferret, in ijs eſſe cum ſumma laude verſaturum? Quid leuius & facilius, qu m hortuli cultura, quàm areolarum dimenſio, quàm floſculorum, holerumque & arbuſcularum tum conſitio, tum inſitio? hinc tamen priſcos agricolas fuiſſe ſolitos æſtimari narrat Plinius, & quanti in aruo, in vi-

Ælian. 2. 27.

nea,

nea, in prato cenſendi coloni forent, ex eo fieri coniecturam conſueuiſſe, ſi hortum diligenter curarent, nec eum ſordeſcere paterentur. quam iuditij ſeueritatem ad fœminas quoque peruenisſe Plinius idem tradit, quas ſi neutiquam eſſet hortus indiligens, cauleſque & holuſcula curarentur attentiùs, matres familias non dubitabant præclaras, vigilantes & rebus alijs omnibus gerendis natas prædicare. Qui ſcriptor rerum naturalium locupletiſſimus, cum de Serrano loquitur, quem ſerentem delati honores inuenerunt; cum de Cincinnato, cui nudo, ac ſua in Vaticano quatuor aranti iugera Dictaturam viator attulit, eadem cura memorat ſemina tractaſſe, qua bella, eademque diligentia arua, qua caſtra, triumphales aratores diſpoſuiſſe. Ac ne Cyrum illum maiorem excitemus è mortuis, quem venatorem, an imperatorem appelletis præſtantiorem, iure dubitare poteſtis, quid modò Ferdinandi Cæſaris in aula? quo ſtudio excitant è luſtris, agitantque & configunt feras? quo etiam muſicen colunt? qui tamen ſicundè tumultus concrepuerint, ſi quis caſus & copias & vires animoſque fortes deſideret, illico numerorum, ceruorumque obliti proſiliunt ad arma, atque ad conſerendas manus procurrunt. Scribat Ioannes Baptiſta carmen, elegiaco benè precetur antiſtiti ſuo, ſoterijs gratuletur ſalutem amicis, epicedio funus proſequatur optimatum, canat victoribus epinicium, genethliaco benè auguretur naſcentibus; num qui hæc ſolerter & concinnè facit, minùs ſolerter, ac minùs concinnè cuiuis Diuorum panegyricum dicet, minùs callidè innectet argumentationum laqueos, minus acutè de molimine mundi, de corporum affectionibus, de concurſu cauſarum inueſtigabit. minùs feliciter dogmata propugnabit noſtræ religionis, minore denique ratione atque conſilio rem & publicam, & familiarem adminiſtrabit? Idem ingenium, ac idem iudicium, quibus Ioannes Baptiſta plurimum valet, haud dubiè, quocunque conferentur, emicabunt. Sed gradum ad proxima quæque proferamus. Ioannem Baptiſtam

Lib. 19. cap. 4.

Lib. 18. cap. 3.

Xenoph. in Cyrupæ.

in

in metis extremis pueritiæ ſeminario pater incluſit; Seminarium verò, ſiue hoc nomine appellemus illa rigentia ſaxis conclauia, ſeù deſcriptas lacrymis veriùs, quàm vllo atramento leges & ſanctiones, totum, quantum eſt, pueris eſt magis terribile, quàm antrum Polyphemi. quamquam enim ſtant regiæ magnificentiæ atria, excurrunt ſuffultæ plurimis, maximiſque columnis porticus inuidendæ, cætera tamen ſunt infra Cynicam diſciplinam anguſtiora. Iam quæ minæ perſtrepunt? qui terrores intentantur? quæ cibi, quæ ſomni ratio? quibus pœnis errata vindicantur? nam vt miſſa faciam moderatorum ſupercilia, imperiaque Manliana, quæ inibi trepidationes adoleſcentulorum? quæ incommoda? qui labores? hæc ſi me narrantem audiat quiſquam mollius educatus, profectò verborum ipſorum moleſtiam delicatæ aures non poſſint ſuſtinere. quæ tamen omnia ſi minus libenti, certè forti animo perferuntur ab ijs, qui quemadmodum æui breuitatem poſſint rectè factis extendere, impensè laborant. Rouera quidem pro ea voce Attali Stoici de ſe magnificè commemorantis, *Malle ſe fortuna in caſtris ſuis haberet, quàm in delicijs*, illam vocem gemellam vſurpabat, malo me perpeſſione malorum pietas exerceat, quàm vſu voluptatum, delicijſque ſuis ſaginet intemperantia. Nam ſi quis ex ijs, qui adhuc Rouera familiarius vſi fuerunt, imperitus ſcilicet rerum, nec admodum acuto ingenio neget ſe à Ioanne Baptiſta quidquam audiſſe eiuſmodi, quid amabo quiſquam tantum inſaniat? an vt ſciatis quid quiſquam ſentiat, expectandum eſt quid is loquatur? an de cuiuſque animo non antè exiſtimetis, quàm eius auctoritatem vocis audiatis? an cum multis poſſitis; & certiſſimis argumentis niti, mauultis de quoque ex eius ipſius oratione, quæ mentitur ſæpiſſimè, ſtatuere? an cum aliquem videatis nihil aſperum formidare, ſibi vltrò ardua depoſcere, ac dare nomen in militiam ſeueriſſimæ diſciplinæ, dubium eſſe poteſt, quin is ſecum tacitus dicat, Malle ſe virtutis in caſtris laborioſam, ærumnoſamque vitam,

tam, quàm deliciarum in ſolarijs & vmbraculis agere deſidioſam? an cum adoleſcentulorum ætas improuida *Viam palans quærat vita*, atque adeò ſæpè ludicris, ſtudijſque deterioribus occupata eam viam ne quærat quidem, quid quiſquam de virtute ſentiat, liquidius poſſumus cognoſcere, quàm ſi ſeſe liber, doctrinarum ac diſciplinę cauſa, ſpontè velut in cuſtodiam tradat, lautè adhuc habitus in ſummas anguſtias conijciat, illud vitæ genus ſequatur, in quo noxæ pueriles pœnis ſexcentis vindicentur, omnem ſibi ſciens volenſque deliciarum, vitæque mollioris facultatem præcidat, multoſque pro vno parente pati poſſit, penè vitæ ſuæ necilque dominos, verbera, æſtumque & ſitim nobilitate Spartana toleret, & quæcunque ſunt perpeſſu difficillima, alienam arrogantiam, crudelitatem, impotentiam, perferenda ſibi ſtatuat? De Seminario ſanè cum multi ephebi grauius loquantur, quàm quiſquam ſit vnquam de Tulliano, aut de Latomijs locutus; illud Ioannes Baptiſta nunquam non cum præfatione honoris nominauit, Illam religionis arcem eſſe, illam eſſe officinam bonarum artium, alibi homines, ibi viros gigni, nuſquam melius hoſpitari pietatem, optimis ibi ſeminibus animos conſeri iuuentutis, tradique eam doctrinam, quæ paucorum auribus excepta, mox velut quidam per Eccleſiæ noſtræ venas ſalubris ſuccus diffundatur: illud eſſe præclariſſimum, quod ibi vno tempore lingua, mens, animus ad ſuam quæque laudem erudiuntur: illud lepidiſſimum, aſſiduis concertationibus, nullius præterquam inſcitiæ iugulum peti: denique illud certiſſimum, deſperato eſſe oportere ingenio eos omnes adoleſcentes, qui è tanto ludo domum neque doctrinam, neque pietatem reportant. Eloquentiam quod genus mercimonij quamquam eſt apud noſtrates in magno pretio atque exiſtimatione, tamen minus multos emptores inuenit, quàm plauſores ac admiratores, præcipuè ſemper habuit in delicijs Candidatus noſter, non illam pueriliter exultantem, eneruem, futilemque & argutias atque ſententiolas vndecunque

Lucret. lib.

decunque petitas glomerantem, qua me ſanè ridente multi hodie ſibi permagni videntur: ſed illam ſobriam, iucundam tamen, aptam numeris, membris cohærentem, dignitate grauiſſimam, & rem telis delibutis gerentem; quæ ita ſuauitate perfundat ac permulceat animos, vt vi lacertiſque perfringat. Nuſquam enim lentus aut otioſus eſt, nuſquam ieiunus, nuſquam torpens aut frigens, & eius nuſquam tarda, inerſque ſtructura. commouetur, commouetque; incaleſcit, acceditque, idem numeroſus, ſplendidus, plenus, vehemenſque, mirus vbique & rerum, & verborum delectus, variata compoſitio, plurimi ſenſus optimi, ſæpè loci attentati lætiores, ptolatæque è poetarum & philoſophorum ſacratio gemmæ nitidiores. quo licet adijciatis & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. Quoties hac eloquentia, penè adhuc naſcente, certè nondum ſatis adulta, eſt hilarata ciuitas noſtra? quoties eſt tantam vbertatem & copiam, & cum ſummo ingenio, ac ſpiritu tantum artis, eruditioniſque admirata? Ego ſanè (nam hoc quoque pro meo candore præ me ferre non dubibito.) quoties vſuuenit, vt populo immiſtus numeroſam illam Rouerae & concinnam & luminibus omnibus diſtinctam orationem audirem, tam elegantem ſplendore verborum, tam aptam compoſitione, atque facultate tam copioſam, toties venit in mentem, abijcere haſtam, & aliquid circunſpicere, vbi nemo tantum meis luminibus obſtrueret: parentibuſque toties ſuccenſui meis, qui me literas docuiſſent: denique toties poſt Roueram ſilere, modeſtiſſimum eſſe futurum iudicaui. Non equidem eſt meum Rouerae aut cuiuſquam gloriæ inuidere, obtrectareue; me tamen vrebat intimis medullis æmulatio, dolebantque oculi, & cum ijs quæ audirem, paria me facere poſſe diffiderem, Rouera dicente, & ſuam illam triumphantem exhibente eloquentiam in cauſa diſſimillima ijdem mihi dolores, ac eædem febres oboriebantur, quas oriri Theophraſtus viris elegantibus dicit, quibus mundiciei ac delicijs aſſuetis cuiuſdam pictæ atque fulgu-

In charact.

fulgurantis eloquentiæ ſcythicam & barbaram orationem audire vſuueniat. Auguſtinus delectari ſe conſueuiſſe dicit Ambroſij parentis noſtræ vrbis ſuauitate ſermonis, multiſque eius ac interioribus literis: negauit tamen facundiam æquè in eo, atque in Fauſto Manichæo hilareſcentem, atque mulcentem fuiſſe. Ioanni Baptiſtæ quis ita tribuit ſuauitatem, vt lepores, Venereſque ac lacertos detrahat? nihil in eo remiſſum & languidum, nihil vulgare, ſordidum aut expoſitum, nihil denique non ardens, non ſplendidum, non admirabile. qui quoties è loco ſuperiore dicit, toties eſt concio tam erecta, atque ſilentium tam religioſum, atque à loquente ita ſuſpenſi pendent vniuerſi, vt qui hæc procul videat, etſi quid agatur, ignoret, *at in ſcena eſſe Roſcium intelligat*. Minimè ſanè ſe Ioannes Baptiſta Rouera Gorgiæ Leontino æquiparat, vt quod ille ſui penè diuini ingenij admiratione fuit conſecutus, idem ſibi ab vlla gente poſtulet exhiberi. attamen cum ei Græci Delphis ſtatuam auream poſuerint, eoſque dies, quibus ab eo habitæ orationes fuiſſent, feſtos eſſe iuſſerint, & orationes ipſas, lampades nominauerint; torqueor intimis ſenſibus atque diſcrucior, quòd non publicè, non priuatim ciues noſtri de ornanda Roueræ eloquentia laborent, contentique illo tinnitu, qui cum ſumma dulcedine illabitur in animum, de præmijs artificis nihilo plus, quàm de Corinthi Iſthmo perfodiendo cogitent. At enim quid tandiu de Roueræ facundia rhetoricamur? Satis è ſcholа comptus erat, ætaſque iam eius eò fuerat progreſſa, vt è vernantibus hortis eſſet in aciem educendus; ne ſi in amœnis illis iſtudijs diutius deſediſſet, idem de Ioanne Baptiſta dici poſſet, quod de Athenis Ariſtoteles, quas ille quidem pulcherrimas eſſe prædicauit, ſed tamen eiuſmodi, in quibus poſt ficum ficus apponeretur, & vbi pyra malaque multa priores fructus exciperent: mihi verò permirum videtur, quod adoleſcentulo delicijs adhuc, & mulſo atque bellarijs aſſueto caput ex inſolentia nouorum alimentorum non indoluerit. Anne magis diſſimiles Nereus atque Therſites, quàm

Confeſſ. lib. 5. cap 13

M. Tull. in Bruto

Ludouic. Cryſol. Theatr. rhetorũ li. 1. c. 5.

Var. hiſt. Ælian. 3. 36.

rhetor

rhetor qui vt ait Ariſtophanes, *roſas loquitur*, & dia-
lecticus quem Megadorus ſenex Plautinus *loqui lapi-*
des diceret? vulnerant hi ſanè incompti ſermones de-
licatas aures, & quandam velut ex olentis odore ſen-
tinæ nauſeæ moleſtiam afferunt: Sed Orionis Ceda-
lionem portantis meminit Io. Baptiſta, mutuique vſus
eloquentiæ atque dialecticæ, multarumque opportu-
nitatum, quas habet illa diſceptandi diſciplina: maxi-
mèque illum permouit auctoritas viri grauiſſimi, qui
febriculoſam, inopem, ac miſeram appellauit eam
eloquentiam, quam grauiorum artium inſtrumenta
non locupletent. Ergo ad has ſe literas contulit. ne
quærite quo genio, cum enim illas non ſuauitate,
quam habent nullam, ſed vtilitate ac dignitate expen-
deret, maiuſque ſibi aliquid ex illarum notitia deſ-
ponderet, quàm quod in ſtrepitu, clamoreque alter-
cantium eſſe poſitum videretur, eas breui progreſſio-
nes habuit, vt Roueram natum artibus omnibus, &
Roueræ omnes natas artes appareret. quid enim fecit
aliud Ioannes Baptiſta, quàm quod Venerem factitaſſe
ferunt, quæ dum ad Eurotam flumen accedebat, &
erat fines ingreſſura Spartanorum, duræ bello gentis,
poſito ſpeculo, floſculis, & odoramentis, ſumptaque
in manus Aegide, & haſta, ſe Lycurgo exornabat?
quid iam monilia? quid diffluens luxu cultus? quid
flabella, & pigmenta? hæc verò valeant, dum ſic
adyta philoſophorum tamquam Laconum limites ini-
mus. eorum enim vt etiam Lacedæmoniorum, eſt
natio cerebroſa, peruicax, & pugnaciſſima: non qui
nitidior, neque qui magis vnguentis delibutus, ſed
qui vehementior, ardentiorque ad certamen & magis
aptus in armis: non qui Euphorbi Troiani ſimilis eſt,
qui auro, & argento comis intexto prodijt pugnatu-
rus cum Achiuis, ſed qui ære grauis, ſuccinctus aci-
nace, & cono criſtiſque horreſcens ſpirat martem, is
huic militiæ eſt aptus ac appoſitus. Sed ades Ioannes
Baptiſta Rouera: dum ſummâ frequentiâ populi theſes
propugnauiſti, quæ tum abfuit imago belli? quale il-
lud iuſtæ pugnæ ſimulacrum fuit? ardor animorum
idem,

Plaut. Aulul. 2. 3.

Luciani Dialog.

Plutar. de felic. Roman.

Lucian. in ſomnio ſiue Gallo.

idem, ijdem vtrinque clamores, eadem peruicatia, & penè eadem ſpatia, artes verò ſimillimæ hoſtis peruertendi. Cum ſtares contra peracres aduerſarios, cum illi contra te, vtrique magnorum exercituum ſpiritus gerebatis; vt vos ſanè non paria philoſophorum commiſſa in certamen, ſed acies duas de imperio, ac de ſumma ſalute dimicantes videremur intueri. quo tempore cum vnus contra ternos conſiſteres, peracres, & ſubactos, num te, Rouera, color & habitus oris, num tua te alacritas deſeruit? num ſunt in alea tantæ dimicationis conterritæ literæ tuæ? num vlla te perculit obuerſata ob oculos imago periculi? quid eiuſmodi? impauidus excipiebas omnem impetum, teliſque omnibus impenetrabilis ſic rem gerebas, vt ſi vel ipſum Albertum Magnum, Ioannemque Scotum, vniuerſumque philoſophorum genus, & quidquid habet hæc natio militum ferociſſimorum, tibi antagoniſtas eius fortuna diei dediſſet: denique ſi ſuos in te iaculatus fuiſſet Monychus ornos, non te poſſe terreri; facilè appareret, quid enim ea te abſterrerent, quæ contra te proferebantur, cum illa tibi ſæpe diuque in manibus eſſe iactata & excuſſa probares? ſcilicet Ioannes Baptiſta tam promptus bellator, tam acer & vehemens? idemne es, qui paucis ante annis delicatulus apis inſtar pratis ex omnibus conflabas mella, & nectare victitabas? ſic in mores diuerſos abijſti? ita ſanè: fecitque in te diſſimillimo, quod apud Athenæum Satyrus feciſſe Alcibiadem teſtatur, quem in Ionia omnes Iones delicijs vitæ ſuperaſſe: apud Thebanos ita corporis exercitationi operam dediſſe, vt Boetiorum nemo cum eo poſſet conferri: in Theſſalia equorum ſtudio, & aurigatione fuiſſe Aleuades ipſos prætergreſſum: eiuſdem apud Lacones tolerantiam, & diſciplinæ ſeueritatem præcipuè emicuiſſe: denique in Thracia indigenarum omnium vinolentiam exceſsiſſe memorauit. Hoc Ioannes Baptiſta fecit amplius, quàm Alcibiades, quod cum hic pro re nata, & pro diuerſis ſtudijs eorum, ad quos ſe conferret, ſtudia diuerſa ſequeretur, alius Thebis, alius Spartæ, denique alius Athenis, Rouera ſemper adhuc

Iuuenal. ſat. 1.

Gymnoſophiſt. lib. 15.

in

in eodem penè loci veſtigio, ſæpè etiam eodem die & ſtrigosè, ieiunèque de theologicis diſquiſitionibus, & copiosè cum verborum ſplendore, ac exquiſita munditie de rebus alijs diſſeruit: neque vnquam ita ſe penitus dedit muſis grauioribus, quin tum inductione ſua libentiſſimè, tum Academiæ Hermathenaicæ legibus, & inſtitutis, quæ curam expoliendi ſermonis vetant dimitti, ad rhetorum olim adamatas officinas identidem reſpiceret. hæc è ſententia procedebant, ſolutuſque omni cura vincebat præceptorum vota adoleſcentum optimus, cum repentè brutum fulmen domum eius perculit, ſubitoque mimo, erepta matre, & ſuperinducta nouerca; è filio priuignus euaſit. geminum hoc ſanè vulnus fuit, ac neſcio vtrum ad perferendum grauius & acerbius, flammæ ne rogi, quibus fuit elata mater, an faces, quibus in vacuam domum fuit nouerca recepta. Nam cum eſt acerbiſſimum abſtrahi, ac diuelli ab ea, quæ te peperit, & quæ te oculis plus ſuis amauit; tum eſt longè calamitoſiſſimum tradi Phædræ cuipiam ad ſupplicium, & quod feræ genus nouerca ſit, domo diſcere, ac ſuo tanto incommodo experiri. Sedenim cum verè dixiſſet vetus poeta *duplo videre plus, qui literas didicerunt*, vbi ſe paulum ab animi conſternatione collegit Rouera, & vbi pati remedium vulnus potuit, cognouit, neque præcipuum quidquam contigiſſe parenti, quæ terra cum fuiſſet, eſſet terræ reddita: neque ſibi eſſe de nouerca magnopere laborandum, quam qualem eſſe vellet, eſſet in ſua poteſtate. Neque enim debetis exiſtimare, nouercà ſuperinductà, litium affatim ac turbarum in ea domo fuiſſe, ſegetem diſcordiarum vndique enatam vberrimam, pacemque nouo coniugio, & quietem, & quouis pretio vilem tranquillitatem foras è domo clamoribus, conuicijſque ac veluti furcillis eiectas è poſtico, & rerum omnium eſſe faciem immutatam. Nam cùm Ioannes Baptiſta omni obſequio demereri ſibi nouercam ſtuderet, ac illa viciſſim reſponderet in amore, ita breui coaluerunt animi, vt nec ille ſibi deeſſe matrem ſentiret,

tiret,

tiret, & illa iucundiſſimè in tam boni adoleſcentis beneuolentia & comitate conquieſceret, puerque apud matronam ſuauitatem filij, ac apud puerum matrona matris grauitatem obtineret. moribus ergo ac pietate, quanta vel in filio conſpici poſſet, illam tibi fieri matrem coegiſti. quid eiuſmodi? neque enim non eſt Senecæ verbum veriſſimum, Nulli adhuc non magno bonam nouercam conſtitiſſe. O te feliciorem Hippolyto filio Theſei, Criſpo filio Conſtantini M. & quibuſcunque alijs, quos technæ, arteſque nouercales potuerunt peruertere! docuiſti poſſe nouercas ad ſynceræ charitatis mutuos vſus ac officia conuerti. Hoc tibi palmarium eſt, & quod duodenis laboribus Herculis poteſt annumerari, quod Nouercam & Priuignum mirifico & ſanctiſſimo nexu amoris deuinxiſti. Vna in re alia tentata plus ſatis adoleſcentis verecundiſſimi patientia fuit: ſed in qua puerilis conſilij conſtantia non peruicacius oppugnata, quàm defenſa potuit de malignitate, atque de peruerſo ac prauo ſtudio multorum aduerſariorum trophæum ſtatuere. Is enim mecum, & cum æqualium adoleſcentulorum manipulo maturè lectus à Purpurato Federico Borromeo viro incomparabili fuerat, qui Græcas literas excoleret, & eam penè tota Italia profligatam facultatem ab interitu, & contemptu vendicaret. Erant ergo neſcio quo modo adeundæ Athenæ, & inibi lingua miſerrima penè ab ipſis terræ Atticæ ruderibus ac parietinis excitanda. quid faceret natus ad omnem laudem adoleſcens? an oblatam diuinitus ſuæ gloriæ cumulandæ ſegetem aſpernaretur? an aliquid excuſaret, quo ne illud noui laboris reciperet? an talem ad tantas ſuas curas literarias acceſſionem reformidaret? auctoritatem defugi diuini herois cum nulla ratio ſuaderet, conſcendit Ioannes Baptiſta cum eo globo condiſcipulorum nauiculam tranſmiſſurus in Græciam; hoc eſt, illa penè latio ignota elementa Græcæ orationis ediſcere inſtituit. Neque verò inexplorata tentantium maria, & nouos ac intutos portus quærentium non ea alacritas fuit, quam eſſe oportuit

Conſol. ad Heluian. cap. 2.

 eorum,

eorum, quibus ſitum in oculis erat decus minimè peruulgatæ facultatis, cuius literis ita doctrinæ continerentur omnes, vt ſine illius præſidio ac lumine nulla ritè ac ordine, nulla commodè, nulla perfectè poſſet cognoſci. Sed quidquid magnæ rei moliamini, adeſt è veſtigio liuor: veræ gloriæ ſplendor ſtatim in oculos inuidorum incurrit: inſcitia continuò ceruicem iactat, omneſque ab Acheronte furias accerſit. Illi, illi (proh pudor!) quos maximè omnium benè precari ſoluentibus, & noſtris cœptis fauere oportuerat, quàm ſe infenſos pulcherrimæ expeditioni, infeſtoſque præbuerunt? quibus, ſi Diuis placet, cuniculis ſubruere Græciam reſurgentem ſtuduerunt? miſeria eſt illa meminiſſe, quæ tum noſter ille conatus perpeſſus eorum conſpiratione fuit, qui nec Græcè, nec mediocriter latinè ſcientes, ea ſuo digna odio ſunt arbitrati, quæ quanti eſſent, nunquam ſuſpicari potuerunt. quid nos hoc nomine tanta deflagraremus inuidia, quod onere prægrauaremur præcipuo? quid noſtram induſtriam indignatione liberrima vellicarent? Vos certè, V. Illuſtriſſimi, ſeri à peſſimis hominibus ocymum, atque cuminum, aut Herculi à Lyndijs bouem aratorem immolari crediddiſſetis. neque enim minoribus iurgijs, & conuicijs leuioribus Græcam linguam aggrediebantur, quàm ſi prouenire aliter non poſſet, quàm ſi cum maledictis ſereretur. Diui boni! quid ita commeruerunt miſellæ eæ literæ, quæ adhuc aut conculcatæ aut exules, cum primùm velut ad ſpem vitæ, atque ad ſpem dignitatis vocantur, & cum primum velut in lucem ac ſplendorem proferuntur, penè more Plautini muris, ſuo indicio perierunt? Iam à principio à claudo præceptore tradi cœperunt omine infeliciſſimo: tum liuor, tum obtrectatio, & omnium ordinum obmurmuratio debacchari inſtituit, & creſcentem in medio laudem coniurauit opprimere: poſt illa ludens odioſè peſtis miſcuit omnia, & gregem diſſipauit: nouiſſimè mors ipſa FEDERICI, cuius pendebant à ſpiritu tum illæ exoticæ ac peregrinæ literæ, tum omnes in hac vrbe doctrinæ,

Plin. lib. 19. ca. 7.

ad

ad ſummam deſperationem à ſpe ſumma miſeras deiecit. In hos ſcopulos impacta noſtra nauicula fuit. Hominum vt aut vincere aut ferre vellet iniurias, potuit optimus adoleſcens à ſe ipſo impetrare. at fuit alia ineluctabilis, eaque luctuoſiſſima calamitas, quæ in tuam adoleſcentiam tranſuerſa incurrit, quæ curſum ingenij tui, Rouera, tuæque domus bene explicatas rationes miſerandum in modum conturbauit. Nimirum ne eſſent otioſæ animi tui dotes, & omnis iſte doctrinarum apparatus, corripuit proterua peſtilentia tuam gentem, intulitque cruenta & funeſta ſigna in tuas ædes. quæ ſi poſſent à me ſileri, aut ſi à tua laudatione poſſet ea ſeiungi calamitas, non facerem hodie, vt te ad illius temporis funeſtiſsimi recordationem reuocarem. Audi tuos luctus, Candidate, ſed audi illud quoque, ſummæ tuæ virtutis ac pietatis fuiſſe, numquam defuiſse temporibus optimorum parentum, obieciſſe te ſemper in apertiſsimum diſcrimen caput tuum, vt laborantibus tuis, & ægrotantibus opem ferres, tuiſque extinctis penè ab ſtirpe omnibus non obſtupuiſſe te, neque ex ſummi doloris acerbitate Niobis exemplo diriguiſſe. Erat ea quidem certè voraciſſima flamma, quæ proxima quæque corripiens, ac ſenſim per continentia ædificia peruagata, totam vrbem populabatur: ſed cum eius mali ſenſus pertineret ad omnes, & cum ſuus quemque dolor à communis excidij ſpectaculo ad ſuam deplorandam vicem vocaret, an vlla domus fuit, quæ impuriſſimum buſtuariorum genus ſæpius accerſeret, quàm domus tua, cum columen generis patrem efferres, cum paucis poſt horis expirare tuos ob oculos nouercam intuereris, cum nondum eà foras elatà perire cerneres inſtar victimarum fratres & ſorores, cum denique ita de tuorum ſepultura laborares, vt ipſe legem fati tui in horas ſingulas expectares, relictuſque videreris, qui cum tuis omnibus funeris cauſa leſſum habuiſſes, clauderes poſtremus agmen funeſtum? Verumtamen habes, adoleſcentum ſuauiſſime, quod Deo miſeranti acceptum referre poſsis, qui alijs alios

ciues in caſum trahentibus, funerataque penè iam vniuerſa tua ciuitate te cum paucis conſeruauit, qui cum eis ipſis Iudæ illius Machabæi exemplo inſtaurares Eccleſiam Dei, eique cum ætas tuliſſet, pacificas hoſtias immolares. Nobis quidem euentorum cauſas, & mentis diuinæ conſilia ſuo cuncta nutu temperantis tam eſt periculoſum, quàm arduum & obſcurum indagare: Tamen ſi quod factum eſt, id volumus expendere, te conſeruato pepercit Deus rei pretioſiſſimæ, texit familiæ tuæ partem optimam, ac velut ex incendio præclaras ſtirpis reliquias extulit. Tu verò ſoſpes periculoque defunctus, complexuſque cura, & cogitatione velut tabulas naufragij tui, non ipſe te muliebriter afflictauiſti; ſed cum tibi in vidua ac orba domo nihil ſæpius, quàm vmbræ & charæ tuorum imagines occurrerent, maluiſti ſemper aduersùs illum Deum gratus eſſe, qui te ſeruauerit, quàm aduersùs eundem querulus, qui te tuis fermè vniuerſis mulctauerit. Sed enim quid ego tandiù, niſi refrico vulnus, vel obductam iam cicatricem reſcindo? quid niſi lætitiam huius diei commemoratione minimè commoda interpello? Deſæuijt enim illa penè fatalis & atrociſſima tempeſtas, iræque ſuperum deflagrauerunt. Illud rectè, feliciterque quod non ſolùm tanta tibi calamitas eà tua ætate vſque rerum interuenit, quum iam ſine cortice natare poteras; verùm etiam qod ita interuenit, vt ad te quod attinet, nihil irato Neptuno præter vuida veſtimenta iure poſſis exprobrare. Quid ſimile Poetæ Simonidis in caſu? cuius cum nauis diu iactata fluctibuſque euerberata diſſilijſſet, ipſe nudus è naufragio, rerum omnium egens, miſerrimuſque enatauit; quem niſi hoſpitio, igne, ciboque benignitas incolarum refouiſſet, abſuit nihil, quo minus ei fuerit conſeneſcendum in litore, atque ex frigore, inediaque pereundum. Succeſſiſti, Rouera, in rem bene ſtructam, in lautam, ac benè auctam partem ſucceſſiſti: eſt vndè commoditates vitæ, ſi ita ſtudium eſt, conſecteris, vnde tuum iſtud otium alas literarium, vnde muſis tuis inſtrumenta compares, vnde ſuppedites egenis, ac denique vnde

Phædr. Liberti lib. 4. ca. 24.

vnde aliquid etiam decidas amicis. Neque tamen dubito quin tantum opum, atque tam amplam pecuniam in vna domo cumulatam cum offendiſti, eam continuo induſtriæ ſubſidia, atque inſtrumenta virtutis eſſe debere, non in libidine audaciaque conſumendam conſtitueris. Verumenimuero iſto ingenio quid facias? quid iſta doctrina ac tanta Græcarum, latinarumque literarum notitia? Malim hercle te Platonem ipſum imitari, qui ſe non Dionis amicitia, non auctoritate Dionyſij, non inani ſtudio gloriæ, non ſpe denique vlla rei aut dignitatis amplificandæ, ſed ſcientiæ ſuæ quadam verecundia adductum fuiſſe teſtatur, vt Athenis relictis ſe iterum Syracuſas conferret, & caput ſuum terra marique tot periculis obijceret, ne ſibi ſoli ſaperet, neuè ſapientiam, quam bono, & commodo tot mortalium poſſet proferre, tanquam gladium vagina conditum retineret; cum ita ſecum diſputaret, futurum ſibi fraudi, pudorique niſi cum poſſet Dionyſium tyrannum ad moderata conſilia reuocare, & Siculorum coercere intemperantiam, Inſulamque eam totam inſanientem à probro vendicare, maturiſſimè id faceret. Quo loco ſit exiſtimatio Ciuitatis huius, Doctiſſime Rouera, quo res literaria, vides, & præſertim quàm lapſa morum diſciplina. quin ſi quid opis eſt in te, quod certè permultum eſt, id eſſe tibi conferendum ſtatuis ad ſubleuandum ſtatum reip. & partim ingenij tui viribus, quibus vnicè ac mirificè polles, partim conſiliorum conſtantia, partim etiam ſeuerioris exemplo diſciplinæ, corrupta caſtigas, excitas iacentia, & luxata reponis? Aggrega te in numerum bonorum ciuium, ac vtere viribus tuis in ea re, quæ tantum habet ſplendoris, vt literis per te dignitas acquiratur, tum eis, quas à Prometheo, tum illis, quas à Ioue tradi hominibus ait diuinus Plato: ne ſi miſellæ Cadmi filiæ ſegnes, inutileſque apud te deſederint, neque Dei Eccleſiæ, hominumque deſeruierint rationibus, quiſquam inde creet inuidiam tibi, ac dicat, tibi ne, an coruo ſint traditæ literæ, non multum intereſſe. Dixi.

Plato li. 36. ad propinquos Dionis.

In Protagora

In Laurea
PETRI ANTONII ARNALDI
PANEGYRICVS.

Plautus Perſa 3. 3.

QVOD multis ab hinc ſeculis homo ſacerrimus & impuriſsimus linguæ ſuæ minitabatur, cui negabat ſe vnquam permiſſurum eſſe, ſalem vt delingeret, niſi laceſſita remorderet in tempore, & conuicijs atque maledictis appetita, gratiam cumulatè reponeret: idem ego ſeuerè conſtanterque minitor linguæ meæ, nunquam ei delingendum ſalem eſſe, *quandiu regnum Iupiter obtinebit*, niſi cum hodie fortuna mihi ornandum exhibeat adoleſcentem excellentis ingenij, omnique laude cumulatum, ipſa proferat ex ſeſe aliquid, & ſtudioſius aliquid elaboret, ne peplo dignas virtutes pœniteat in meas manus incidiſſe. At enim quid ago? qui ſi vanis promiſſis ſpes tuas, ò Phœnix ingeniorum Arnalde, poſtulem inflare, quaſi diuinam Palladis artem ſic habeam in poteſtate, vt pro temporum varietate alias, atque alias eloquentiæ formas, hodie verò formam perfectiſſimam valeam afferre, non minus poſsim irrideri, quàm ſi aut Perſicam gazam polliceatur ille paupertate notiſsimus Irus: aut gemmas ac monilia promittat nugator aliquis, qui vendendis vilibus ſcrutis vitam ægrè ſuſtentet. Me verò nondum ita communis philautia decepit, vt non me ſæpe meaſque rationes inſpiciam: & quin identidem explorem attentius, quàm ſit mihi ſic artis dicendi, quemadmodum & aliarum rerum facultas & copia exilis. Illud vnum indiſerto, inſuaui, verborumque atque ſententiarum egentiſsimo reſtare, Arnalde, videtur, vt primò te dicturus, principio meam vicem deplorem; quòd cum mulier-

mulierculæ non ſolùm oris maciem fuco & ceruſſa emendent, verùm etiam breuitatem corporum crepidis ligneis extollant: cum ſtatuarij & architecti ſua ſigna & ſimulacra imponant machinis, quò aſpectu ea pleniore oculos ſic dicam impleant intuentium: cum denique ciues minus locupletes, qui propter egeſtatem potius, quàm propter vllum metum, reſpectumue Sumptuariarum Legum, auro argentoque abacum exornare non poſſunt, ſtannum, ferrumque inaurent, & lautiorum magnificentiam rebus falſis imitentur; ipſe comminiſci & excogitare poſsim nihil, quo mea vox abſurda, quo artificium obſoletum, quo denique, ſic dicam, pallens oratio trahere colorem aliquem, depingique poſſe videatur. Sed qui pigmenta, cothurnos, ac baſes fruſtra iamdudum exopto, faciam hoc ſaltem, quod proximum eſt atque procliue, eos imitabor, qui vt paululum emineant, in ſummos pedes atque in digitos eriguntur. Quod enim à genere dicendi, atque à verborum luminibus, multoque magis à rerum dignitate me conſecuturum deſpero, vt oratio mea grandior ac ſplendidior, qualem hæc ſubſellia, tempuſque deſiderant, exiſtat; nitar quantùm potero, vt hanc rem contentione vocis, atque ipſa agendi alacritate videar eſſe conſecutus.

At enim Arnaldi longè aliam menti meæ imaginem ac ſpeciem fingit admiratio, quàm ea ſit, quam oculis noſtris intuemur. Neque enim adoleſcente de quopiam videor eſſe dicturus, qui poſita prætexta togam nuper virilem ſumpſerit; ſed grandæuo de aliquo, qui annos octogenos in literis conſumpſerit; parantemque dicere, ea me tum multitudo rerum, tum varietas circumſtat, vt quo delectu, quoue ordine rem inſtituam, non magis hæream anceps, quàm olim hæſerit Vlyſſes Homericus, qui ab Alcinoo inter cœnam rogatus, vt ſuos caſus enarraret; *Quid primum*, inquit, *quid mox*, *& quæ tandem vltima dicam?* Valeat ſanè hodie mos, inſtitutumque veterum Sophiſtarum, qui multa de tellure, quæ quem- Odyſſ. lib. 9.

que genuit, plurima de parentibus afferre conſueuerunt; totus valeat locus hic generis, & antiquitatis; cuius tamen dignitatem non minus barbarum eſt contemnere, quàm ſtultum nimis admirari. Neque tamen locum Oratori tam vberem & copioſum ob eam cauſam intactum prætereo, quod Arnaldum ſui generis atque maiorum pœniteat, quibus nunquam nec animus ad ſubeunda Martis diſcrimina: nec ingenium aut induſtria ad omnem diſciplinam, eruditionemque percipiendam defuit: cum etiam Belmontios ſplendoris familiam antiquiſsimi, multis hodie quoque Hieroſolymitanis Equitibus, viris fortiſsimis, inſignem, arcta cognatione contingat. Vana ſunt, aliena ſunt, ac ea nos tantùm in parergis numeramus. Quibus rebus colligendis ij licet immorentur, quibus otium ſupereſt, & quos ab ſuis inopes ornamentis plumas alicunde Graculi Æſopici exemplo ſumere vtendas oportet. Ergo miſſa penè olente memoria antiquitatis, naſcendique auſpicijs ſtatim proferam Arnaldum ipſum, & tanquam in argumenti arcem inuadam. Annos octo natus è nidulo auolauit, vocatuque patrui ſui, viri optimi & ſpectatiſſimi in hanc vrbem venit: & cum domo ſecum nihil, niſi feruens ingenium, ſpem ſummam, rectamque indolem, puerilem verò inſtitutionem perquàm egregiam, & tantùm quædam Grammatices elementa extuliſſet, eidem ſe Patruo tradidit in diſciplinam; ac ei tanquam ſacramento miles adactus, religioſe corpus, animamque addixit. Eius ſi tum ætatulæ

Mart. lib. 97. ſpectaſſetis Arnaldum, quem Poeta *cum violis, roſiſque natum* dixiſſet, quem D. Hieronymus *liliorum*

D. Hier. in epiſt. ſelectis lib. 3. ep. 9. *rum calathum* appellaſſet, tam concinnum, ſuauemque puſionem, tam auidum cognoſcendarum omnium rerum, tam cupidum gloriolæ, tam tinnulum, ingenij tam experrecti, feruidi, & concitati, nihil leuiter nec appetentem, nec auerſantem, qui poſitu in vno diutius conſiſtere non poſſet, & quiduis potius, quàm otium pateretur, expreſſum procul dubio in hoc puero puerum Cyrum maiorem agnouiſſetis,

qualem

qualem Socraticus ille Xenophon effinxit? Quis enim neget adoleſcentum, qui famæ ſtadium ingrediuntur, & ſcholas frequentant, rationem eſſe prorſus eandem, atque quadrigarum fuit, quæ olim in ſpatijs Iſthmijs decurrerunt? Cum enim aliquæ ſegnius, ocyus aliæ ea ſpatia percurrerent, nonne quæ impetu maiore ſeſe carceribus effuderant, eæ aut impactæ diſſiliebant, aut auferebantur, *dum fruſtra retinacula tendens, Fertur equis auriga, neque audit currus habenas?* Ea tamen vis ingenij in Arnaldo, quo minus ſe partem daret in deteriorem, moderatorem nacta vigilantem fuit: qui cum probè nouiſſet, pullos equorum, quò ſunt natura ferociores ac velut alacriores, eò domitos effici noſtris obſequijs aptiores, neutiquam dubitauit, quin acris illa, erecta, vehemenſque indoles Arnaldi ſui, ſi curam ipſe adhiberet, ſi frænos eoſdem, quos olim in Ephoro ſuo adhibendos fuiſſe cenſuit Iſocrates, ſummam aliquando frugem eſſet datura. Saluæ res ſunt; ceſſit Arnaldo proſperè viuida vis animi ſui: habeſque Antoni, fratris tui filium, qualem voluiſti, qualemque fingere ſtuduiſti, quo, in literarum negotio, ne à Deo quidem immortali magis accuratum exoptare potuiſti: habes bonum, callidumque agitatorem, qui feruidis metam rotis curſu inoffenſo euitauit: adoleſcentem habes ſimulacris omnibus emendatiorem; omni maiorem prædicatione, votiſque adeò tuis doctiorem; qui pectore ardenti, indole viuida, iudicio peracri, emunctiſſima nare, ac rerum optimarum ſummo ſtudio, & ſuper omnia moribus integris, atque illibata fama, illius denique Hippolyti Euripidæi ſimillimum, qui ſe fædarum voluptatum ex vniuerſo genere nihil dixit habuiſſe compertum; niſi quantum inuitus ex alieno ſermone, & pictis ex tabulis didiciſſet; qui etiam Deorum in cultu cum cederet omnino nemini, vnam tamen Venerem procul ab ſeſe ſalutare conſueuit. Quid enim hæc, niſi fabula eſt? Tu mihi Hippolytus es, & eo ſanè caſtior, qui minimè religioſum habuiſti, cum ille Venerem

Cyrop. lib. 1.

Virg. Georg. 1.

Suidas

turpium matrem Amorem non niſi magno ex interuallo coleret, nullo modo, ne abſentem quidem, remotamque venerari. Num tibi defuit elegantia formæ? num venuſtas? num feſtiuitas ac lepos? nihil tamen ſibi in te permiſit alienæ linguæ procacitas, quæ de ijs, quorum in primore adoleſcentia forma & ſpecies eſt liberalis, tum libentiſſimè, tum petulantiſſimè ſolet mentiri. Quid enim qui totus è ſchola politus incederes, & qui te Palladi fingendum commendumque præbuiſſes, conſilij tui ac inſtituti parùm memor ad turpia deſciſceres? Quid cœno demergeres indolem tuam iſtam, Italiæ noſtræ daturam aliquando Heroa: & Mirandulanum Picum non malis carminibus, ſed ſtudiorum, ingenijque ſimilitudine excitaturam ex inferis? Quid? qui te abſenti Luciano patri, viro grauiſſimo & integerrimo, qui Antonio patruo præſenti, ac in te dies, noctesque intuenti, qui tuam conſcientiam ſpectanti omnia Chriſto ſtuderes approbare, qui denique varijs doctrinarum ex ornamentis tanquam aliquod vermiculati operis emblema compingendum ſuſcepiſſes, quid inquam repentè animo degenere in alia caſtra ad ſpurcum voluptatis auctorem transfugeres? Arnaldum ego cum video, quo ſtudio artes honeſtas arripiat, & quo pudore ſua bona tum cumulet, tum etiam nobis commendet, probo tuum, Cornelia Gracchorum mater, conſilium, cui cum Campana Matrona apud te hoſpita, iactantius quàm par eſſet, ornamenta ſua illo ſeculo pulcherrima oſtenderet, ei tu viciſſim tuos è ludo literario redeuntes liberos, voce, digitoque monſtrauiſti, verbumque Romana maieſtate addidiſti vnum digniſſimum, *& hæc*, inquit, *ornamenta mea ſunt*. Quæcunque vos tellus habet, vos vos appello Arnaldi parentes; vobis quid felicius beatiuſue? quibus ſi quis fortè Campana ſuperbia ſuam ſupellectilem oſtentet, ſi vaſa Deliaca, ſi multum pretioſæ veſtis, ſi multum ſignorum, tabularumque, ſi vim magnam puri, ſignatique argenti, ſi plurimum pecuniæ fundis nominibuſque depo-

Valer. Max. l. 4 cap. 4.

depoſitum, ſi ædes, ſi villas operis elegantiſſimi, ſi gazam, ſi armillas recenſeat, vos contra facite, quod ſui glorioſulo iſti oculi doleant; pro ſuis ipſius omnibus ornamentis veſtros illi liberos oſtendite tam eleganter doctos, & tam liberaliter inſtitutos; qui ſanè pretij quantiuis ſunt, ſi æſtimatores æquos ac intelligentes nanciſcantur. Adoleſcentibus eiuſmodi, qui nullis prauitatibus detortam habeant naturam, qui ſenſu ad alias voluptates pene ſtupente ſummum fructum voluptatis capiant è literis, nihil appetant, cogitent nihil, nihil loquantur, niſi ſtudia doctrinarum, quid eſſe poteſt magis pretioſum? Quo loco mihi venit in mentem Leonidis eius, qui pater Origenis fuit, qui cum incredibiliter exultaret, Deoque gratias ageret immortales, quod ſibi talem ſobolem dediſſet, frequenter dicitur dormienti puero religioſus ac ſollicitus ſuperueniſſe, lodiceinque, nocturnaſque cæteras veſtes, ac operimenta detraxiſſe corporis, vt pectus illud ſapientia plenum, tanquam templum aliquod, in quo præſens lateret Deus, veneraretur, exoſcularetur, manibuſque contrectaret. Anne parens quoque tuus, Arnalde, te filio, tam ad omnes benè audiendi partes incitato, tantaque ac tam præcoci fructuum vbertate, non ſe ipſum Deo præpotenti, beneficio eſſe obſtrictum immortali fateatur? non ſe ipſum omnium fortunas parentum ſuperare prædicet? neque ſic in te oculos deponat ſuos, tanquam in arculam aliquam rerum pretioſarum, & in ſimulacrum virtutis? ſecuſque de te ipſo, quàm de oraculo, de organo Dei, atque de adyto quodam exiſtimet? Qui quod alios, alioſque audiens Doctores progreſſus breui tam admirabiles habueris, mirer ego ſanè, ſi quibus naturæ præſidijs, & quibus induſtriæ ad literas tractandas acceſſeris, ignorem. Quiduis imperare naturæ tuæ potes, quiduis aſſequi; quiduis potes extundere ab iſto ingenio, præſertim tanto adhibito ſtudio, cum te quemadmodum olim Syracuſanum Archimedem, affixum tabulæ, libriſque, toties inuitum auellat, cibumque ac ſomnum capere

Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. c. 2.

patrui

patrui tui compellat auctoritas. Nam quod Angelus Politianus gloriamne captans ex re leuiſſima, an ineptias excuſans ætatis, nouo more, annos, quot ipſe natus erat, ſuis multis carminibus præfixit, XVIII. XIX. & XXI. eoque tam præclaro inuento oculos ſe confixiſſe cornicibus, aliјſque quotquot & tum forent, & antea fuiſſent poetis, ſe pene primas præripuiſſe, ſibi perſuaſit; is hodie ſi vno, alteroque poſt ſeculo eſſet ſuperſtes, nonne obmuteſceret, verteret ſtylum, ſpongiamque numeris, ac fortaſſe & carminum pleriſque delendis adhiberet, ſuamque ſibi tam charam laureolam doleret exareſcere, cum & beatam Arnaldi adoleſcentuli venam omnibus ludentem metris intueretur, & alicubi millenis carminibus in ALEXANDRI VII Pontificis Maximi inauguratione ab eodem Arnaldo conſcriptis annos ſeptendecim præfixos videret? Eadem ferme ætate, paulo certè natu grandior, iuſto volumine Monœcæi Principis laudes cecinit, & Reip. Venetæ victoriam, receptamque de Turca Tenedon gratulatus epinicio fuit, & Epiſcopo Nicienſi ſuo quaternis plauſit elogijs, & orationes tum italicè, tum latinè ſcriptas habuit permultas. Quid enim omnia colligam, cum nihil faciat frequentius Arnaldus, quàm vt ſuum typographis nomen ſuaſque vigilias æneis formis deſcribendas exhibeat? Et quando me huc ratio ordoque dicendi perduxit, tuæ vt artis oratoriæ meminiſſe debeam, qua perinde vales, quaſi ea vna facultate volueris cenſeri, cum ita in alijs excellas, quaſi minime rhetoricen attigeris, quid ego dicam? niſi interfuiſſe me aliquoties, cum è loco ſuperiore recitares, ac vnde tanta vbertas, tam pleno gurgite deflueret, vnde tam adoleſcenti tanta velut caſtitas, nitorque conſtaret latinæ facultatis, vnde tam elegans, tam compta, tam publici ſaporis eloquentia, ac denique vnde vis tanta interiorum literarum peteretur, miratum perſæpe fuiſſe; cum peruenuſta procederet oratio tua, cum ægidem concuteres, cum haſtam vibrares; vt permirum videretur, niſi tu ea

Pallas

Pallas eſſes, quam Iouis è cerebro enatam poetæ loquuntur. Si quis enim mecum alius ex iſta corona eadem audiuit, eius ego ſenſus interrogo: quid inibì obſoletum? quidue vt ita loquar triuiali percuſſum moneta fuit? Neque enim Arnaldus vllam iudicauit eloquentiam, niſi quæ admirationem haberet: & ipſe ex Fabij Quintiliani præſcripto, *quicquid eſt ſententijs populare, verbis nitidum, figuris iucundum, translationibus magnificum, compoſitione elaboratum*, velut inſtitor quidam eloquentiæ ſolet intuendum proponere. At enim quod perrarum & pulcherrimum eſt, cum vim Arnaldus eandem ingenij ſui, cum ſtudium ac induſtriam aliò ad muſas illas ſeueriores philoſophiæ, atque theologiæ tranſtuliſſet, perinde quaſi à Siculis agris ad ſiticuloſos Apuliæ campos demigraſſet, tranſtulit & percipiendi felicitatem: virgineſque imitatus verecundas & pudicas, quæ ſibi ſponſum animo, non oculis eligunt, haſce doctrinas tametſi minùs comptas, more tamen virginum Lacænarum actuoſas, amore ſuo digniſſimas iudicauit. Res duas neceſſitudine, cognatione, munereque ſuo coniunctiſſimas, artem dicendi, & ſapientiam, quid aliud, quàm hominum error diuellarat, diſtraxeratque? qui cum neutiquam intelligerent, quàm foret tum ineptum, tum etiam ſceleratum, & linguam adimere philoſophiæ, & linguæ philoſophiam, non eiuſdem eſſe diſputauerunt, & elegantem eſſe in dicendo, & doctum in diſputando. His qui aſſenſerunt, artem vt alterutram altera relicta ſequerentur, nimirum fecerunt, quod diuerſis eadem ætate exemplis ciues duos Romæ clariſſimos L. Lucullum, & Q. Scæuolam feciſſe narrat Columella, quos ait permultum *vtroſque deerrauiſſe, quorum alter maiores, alter minus amplas, quàm poſtulauit modus agri, villas extruxit*. quàm in eandem ſententiam ita lepidiſſimè Plinius: *Villam Luculli caruiſſe fundo, Scæuolæ fundo villam defuiſſe*. Quibus & ſummis in omni munere Reip. viris, & doctiſſimis quanto plus viderit Arnaldus, quanto fece-

Inſtitut. orator. li.10.c.3.

De Re Ruſt. lib. 1. c. 4.

Natur. hiſt l. 18. c. 6.

rit conſtantius, qui ne ſua foret inanis eloquentia, ne ſua foret philoſophia muta & indiſerta, proſpexit: geminaſque ac gemellas facultates connubio iunxit ſtabili, veſtra, optimi Ciuium, eſto exiſtimatio. Alternis id facit quotidie, & meo quidem iudicio rem ſummo ſuo ingenio dignam facit, ac in eo Paulum Æmilium ducem Romanum imitatur, qui debellato, captoque Perſeo Macedonum Rege, cum cœnis ſumptuoſioribus amicos acciperet, fertur dixiſſe, *Eiuſdem eſſe viri, & aciem terribilem, & conuiuium latiſſimum inſtruere*. Quanti verò ſit Arnaldus, minimè ſanè velim vos de meis verbis æſtimare. qui omnes quæ in adoleſcentem cadunt laudes ſupergreſſus, non is foret, quem noſtra ciuitas miratur, cui toties plauſerunt theatra, quem digito monſtrant alijs alij, cui denique communis fauor & exiſtimatio præmia, quæ virtus conſequi poteſt ampliſſima, deſpondet; non, inquàm, is eſſet, ſi quis eum dicendo poſſet exæquare. Mea verò nimiùm quantum infra rei dignitatem atque magnitudinem ſubſidit oratio. Vocem Petro Antonio Arnaldo, ſermonemque artes multæ velut pædagogi, conformauerunt. Nam quibus verba ſonis proferrentur, quibus conſignarentur literis, id primùm docuit Arnaldum grammatica. Tum verò quàm diceret eleganter, quàm aptè ac ſplendidè, hoc illi rhetorica tradidit. Iam ne falſa, ne pugnantia loqueretur, quæ demum ars ei, niſi dialectica præcepit? Ne ſermo fæcibus obſoleſceret, ne periuria, ne probra, ne contumelias iactare moris haberet, pietas ac educatio effecit. Ne quid denique eum fugeret rerum grauiſſimarum, philoſophia illum, ethica, ac theologia, in adyta ſua perduxit; vix vt poſſim, quin exclamem, Deus Immortalis, quot vnius lingua, ſic dicam, *comptrices* habuit! quot vni inſtruendo adoleſcenti operas contribuere ſuas! quot denique ſic vnius orationi, tanquam cuipiam Perſarum ornandæ Reginæ ſua munera contulerunt!

Plutarc. probl ſympoſ. Dec. 1. c. 2. & T Liuius Dec. 5. lib. 1.

Sed enim *terram ſicco ſpuit ore viator aridus*. Extrema oratione quæ dicam, quæ faciam, mihi ſanè multa

Virg. Georg. 4.

multa veniunt in mentem. Ac primò quidem intelligo, adeundos eſſe mihi, appellandoſque ſuppliciter omnes ſuperos, vt tanti vſuram boni velint eſſe diuturnam. Tum vos, Auditores ornatiſſimi, conteſtandi eſſe videmini; vt Arnaldum pro eo quanti eſt, ametis, & honore quem ſummum habetis proſequamini; in quo ſe mihi ſi quis minus morigerum præbuerit, eum Æſchili Poetæ verbis conterrebo, *mihi virum eiuſmodi neque commilitonem futurum, neque propinquum*. Poſtremum illud eſt, quod ego à te ſummopere contendo, Arnalde, ne vnquam eius apud Ariſtænetum meretriculæ obliuiſcaris, quæ iuuenem auerſabatur Philonem, quod pulcher cum eſſet & comptus, dignum ſe cenſeret, quem omnes efflictim amarent. Cæterùm cum foris, Arnalde, tam bene rem geſſeris, tandiu cum tuorum parentum pertuleris deſiderium, fac iam Codicis Theodoſiani memineris, præcipientis, *vt reddatur vnuſquiſque patriæ ſuæ*. Quid cunctaris? quid moras nectis? quin eorum exemplo, qui triumphantes, curruque ſublimes ſuam in ſinum Iouis lauream deferebant, tu tuam in ſinum Luciani parentis tui maturas deferre? Qui quandiu tu abes, vitam ſibi putat acerbam, qui quotidie pro tuo reditu vota nuncupat ad omnes aras, qui moritur deſiderio tui, qui dies, horaſque, & vel ipſa momenta computat, cui denique dies tui reditus optatiſſimi non ſolùm veterem illam gaudiorum ſortem annumerabit, verùm inſuper inæſtimabilem vſuram apponet. Ego verò non alia re aptius, quàm verbis Æſchinis ex extrema in Cteſiphontem oratione munus hoc meum, officiumque videor eſſe terminaturus. Ergo ſic habetote, Viri Clariſsimi; *Si bene pro magnitudine & grauitate rei cauſam egi, dixi quemadmodum volui; ſin deterius, quàm res poſtulabat, dixi quemadmodum potui*.

Apud Ariſtid. orat. tom. 3.

epiſt. lib. 1.

Æſchines.

In Laurea
HIERONYMI MOMBELLI
PANEGYRICUS.

SI quis fortè ita cogitat, cum hominum aliqui magis vmbra ſua muti, nulla re ſe viuere probent, niſi quod panem arrodunt, augentque pretium annonæ: aliqui contra cicadis, paluſtribuſque ranis vocaliores ita loquantur, vt cuiuis maledicere ſtudio habeant, & multo ſe meliores inſectari, me exiſtimationis meæ cauſa facere, vt more vtriſque ſuo relicto meam vocem tot annorum laboribus atque præceptis conformatam, laudatione potius virorum illuſtrium exerceam; quod cenſeam, qualis ego ſim, vel re hac vna poſſe ſatis oſtendi, ſi apes imitatus, quæ roſis adhærent,non muſcas, quæ fæcibus, ita ornandis bonis viris addicam ætatem, vt facultatem hanc meam, ſi modo vlla eſt, tot vigilijs partam, nefas eſſe putem, cuiuſquam potius ad iniuriam conuerti: de me, inquam, ſi quis ita cogitat, haud equidem permultum repugno. Neque enim de me quæ ſit hominum opinio, non eſſe mihi magnopere laborandum exiſtimo: neque adeò quemquam in iudicando poſſe arbitror errare, qui me de omni virtute ac officio præclare ſentire exiſtimet, ea nimirum ductus coniectura, quod me videat repudiato illo aliquorum ſeuero ac pertriſti more, ſtudioque obtrectandi, inſectandique, me me totum eò contuliſſe, ac illud vnum cogitare, quemadmodum per me cuiuſque induſtriæ, rectèque factis ſplendor accedat, & plurima optimo cuique dignitas acquiratur. Mihi verò cum ſumma acerbitas & ratio parum concinna elegansque ſemper viſa fuit eorum, qui

ſibi

ſibi iambo, ſtyloque petendum latus cuiuſquam, & in mores alienos ſæuiendum ſuſceperunt: tum commodius, magiſque humaniter, ac verecundè feciſſe Pindarum nunquam non exiſtimaui, Epicoſque vniuerſos, quos equidem poetis ex omnibus plurimi ſemper feci, qui Olympicis, Nemæiſque victorijs, & virorum fortium factis immortalibus literarum lumen attulerunt. Atque ſanè, vt hactenus in dicendo progrediar, qui D. Hieronymo tantum tribuo, vt eum ſacros libros denarrantem, & commentarijs illuſtrantem doctiſsimis, Paulæque, Melenæ, & Hilarionis perſcribentem encomia legam auidiſsimè; idem, quoties ille vir ſanctiſsimus ſibi ſumit ſecandos, vt ipſe loquitur, naſos fætentes, ſtrumoſiſque minitatur, & in Vigilantium, atque Ruffinum, canes ſuos oblatrantes, ſtomachatur, quamquam cur id faciat, cauſas iuſtiſsimas habet, neſcio tamen quonam modo in Hieronymo D. Hieronymum deſidero. Quæ cum eò dicantur à me, vt intelligatis, nihil me facere libentius, quàm vt moribus ac ſtudijs ciuium elegantiſsimorum faueam, minimè ſanè vobis mirum videri poteſt, ſi Hieronymi Mombelli in honore conabor eſſe diſertus, & ſi quid maiori fortaſſe obſequendi alacritate, quàm ſpe perficiendi, ſum auſurus. Rem hodie cum ita comparatam animaduerti, mihi vt in hoc theatro locus eſſe poſſet, ipſe me continuò ſic commoui & excitaui: Forum, Alexander, nactus fuiſti. aude aliquid dignum huiuſce diei ſplendore; ac vetere poetarum inſtituto Mercurium aduoca, ſi fortè dexter adeſſe, & vim inſpirare, vocemque tuam conformare non grauetur. ſegete nunquam in vberiore verſata eſt induſtria tua. Mombellum ergo, quod bene vertat, producamus.

Illud eſt in Pythagoræ ſapientiæ decretis celebre cum primis & admirabile, *Trita via & vulgari ne incedas*. neque enim quiſquam eſt, qui mediocriter quidem doctus ignoret, latere in his verbis præceptum vitæ aliquod obſcurius, quàm quod homines rudes ac indocti poſſint ſuſpicari. Quid enim magis (Porphyrius in Pythag. vita.)

E facia-

faciamus ridiculè, quàm ſi Thebis Athenas migraturi, aut ſi Corintho Miletum, religioſum habeamus eadem via proficiſci, qua rhedarij, mulioneſque ſolent, & vulgus hominum, ſed relicta militari per auios colles & confragoſos, atque per viarum amfractus conficiendum nobis iter eſſe ſtatuamus? Quod vnum ſi præcipit vir eximius, vt omni via celebri excedamus, nec aliud in his verborum inuolucris abdit ac monet, quàm vt itinere multis paraſangis, & ſtadijs longiore, multoque difficiliore illuc demum feſsi perueniamus, quò potuimus maturius, nec ita incommodè, neque tanto conſumpto viatico peruenire, Pythagoras ſolus deſeratur in ſcholis, futiliaque ac vana præcepta venditans non audiatur. Verùm, qua eſt ingenij perſpicacitate, & quàm acri iudicio Mombellus, totum illud Pythagoræum decretum flexit aliò; qui cum parui referre videret, hac ne potius, an illa via quiſquam Tarentum proficiſceretur, permagni autem videret intereſſe, quibus moribus ac inſtitutis humanæ vitæ curſum conficeret, illa omnia repudiauit à puero, quæ vulgo ſummis ſtudijs expetuntur: populi quæ pars maxima ſit, eandem eſſe peſſimam ac deterrimam iudicauit: & multitudinis odium atque diſſimilitudinem ſibi apud bonos viros commendationi futuram exiſtimauit. Nam qui ex Annæi Senecæ verbis ſatis pro confirmato haberet, Bene ſentientis animi, rectèque de virtute exiſtimantis non aliud eſſe magis certum argumentum, quàm ſi longè alia, quàm quæ multitudo ſoleat, ſtudia moreſque ſequeretur, ſuo iudicio, non multorum, elegit, in quo poſſet honeſtiſſimè verſari. Conſtabit ſemper conſilij tui ratio, adoleſcens ornatiſſime, quandiu te difficultas exacuet, & extimulabit, quæ alios deterret & exanimat: quandiu inuiſæ pleriſque vigiliæ ac labores te ipſum oblectabunt: quandiu irriſæ ab æqualibus tuis & exploſæ pietatis poſſeſſionem interdictis quibuſuis defendes: quandiu denique nihil eſſe præclarum duces, ad quod ignaui, ſi paullum connitantur, poſsint aſpirare. Non equidem

ignoro,

ignoro, neminem tam feris moribus exiſtere, qui doctrinas palam auerſetur, & eas otioſorum hominum negotium appellet. quiſque non prorſus inhumanus, & Scytha quiddam eas eximium eſſe ſuſpicatur, neque magno negotio permouetur, vt ad eas, de quibus optime exiſtimat, quærendas, vires ſuas & conatus velit afferre. Nam quàm multi circa doctrinarum elementa deſudant? quo puerorum concurſu gymnaſia frequentantur? quàm ſe ſe in ludis premunt olidæ capellæ? à quibus omnibus ſi quæramus, quid cauſæ habeant, cur ventitent in ludum & longa ſpatia dierum inibi conſumant? reſpondebunt ſe opinione famaque literarum excitatos eſſe, vt earum cauſa perpeti quidlibet & velint & poſsint; animoſque eſſe degeneres omnium illorum, qui non aliquo loco numeroque eſſe apud doctos viros contendant. Præclara mehercule oratio; niſi mox, quæ ſummo ingenio, maximoque ardore inſtituerunt, defererent animo molliſsimo. Hinc illæ voces: Diutius ne molam in hoc piſtrino? natuſque cum iure capiendorum honorum non me quamprimum in libertatem vendicabo? neque hoc demum præſtat, actorem rerum eſſe, quàm verborum oratorem? perferam quotidie tam ſuperba imperia præceptorum, & honeſtiſsimo loco natus pergam quotidie vſque ad magiſtri faſtidium flagris concidi? hæc vociferantes, principia ſua deſerunt, dumque incautius laſciuiunt, depulſoque metu & excuſſo iugo libertate ſua immodice ac impotenter abutuntur, ij demum rempublicam labefactant & more canum, qui diu vincti catenis fuerunt, in omnes incurrunt. Itant ad ludos literarios permulti, ſed ea fortuna & euentu, quo permulti citis quadrigis ſtadia percurrerunt Olympica: quo naues quotannis complures Britannicæ, Hollandicæ, ac Luſitanæ Indicam expeditionem ſuſcipiunt: quo vniuerſus ille comitatus Vlyſsis oris è litore Troiano ſolutis Ithacam repetiuit. literas Mombellus non ardentius, quàm conſtantius adamauit. quid enim verbis opus eſt? cum quartanæ febris reuerſiones

nes importunæ & permoleſtæ multorum menſium non poſtularent, ſed flagitarent laboris intermiſſionem, minimè ea corporis imbecillitas ſatis cauſæ habere viſa fuit, cur interquieſcere vellet, & eius cuiuſdam militiæ miſſionem peteret, aut certè breuem aliquem commeatum. Scilicet immenſum ſibi quiddam ad conſequendum propoſuerat, latiſſimè fuſum, vix vllis finibus circunſcriptum: ſatiſque ſciebat, ab eo qui in oratoria, in poetica, atque in omni rhetorices munere excellere poſtularet, qui omnes euoluere libros doctiſſimorum hominum, omnem antiquitatis memoriam cognoſcere, omniaque illa, quæ interioribus literis continentur, & quæ de humanis ac de diuinis rebus diſputantur à viris doctiſſimis, tenere animo comprehenſa concupiſceret, maius negotium ſuſcipi, quàm vt feriari, vacareque in tam breui ſpatio humanæ vitæ liceret. Vna res mihi nuper & indolem approbauit Hieronymi Mombelli, & ſpem futuri temporis non dubiam attulit, quod cum is adhuc adoleſcentulus, ac ne adoleſcentulus quidem, ad me domum officij cauſa veniſſet, ac me tum maximè operantem muſis offendiſſet in cubiculo, vbi tabulæ pictæ erant artificum non ignobilium, vbi fortè erat etiam calathus florum ſuauiſſimorum cum bellarijs & placentulis muſteis adhuc & è furno recentibus, quæ mihi tum comitas donauerat amici, nuſquam aliò prius oculos adiecit, nec vſquam aliò prius porrexit manum, quàm ad libellos, de quibus multa pueriliter percontari, & quos euoluere inſtitit auidiſſimè. Id ego cum demirarer in puero, an non maiora, & magis explorata parentibus eius de tanta indole vaticinarer, quàm quæ Veneri de infantulo adhuc Cupidine Apollo augur vaniſſimus deſpondit, quem propterea quod formoſulus eſſet, & arrideret omnibus, ductus his coniecturis leuiſſimis in magnum aliquod bonum euaſurum fuiſſe pronuntiauit? Minus ambitioſè de Ocho Artaxerxis filio, quo die Perſarum Regnum capeſſiuit, iudicauere ex ſua diſciplina Magi; qui cum cuidam ex Eunuchis præcepi-

Lucian. Deorum Dial.

Aelian. lib. 2. cap. 17.

cepiſſent, vt poſita menſa animaduerteret, quibus rebus Rex primum manus inijceret: moxque ab Eunucho cum accepiſſent, Ochum dextra cultrum arripuiſſe, læua ſuſtuliſſe panem, eumque diſſectum cum carnibus comediſſe; multum eo imperante fuſum iri ſanguinis, minimè tamen annonæ copiam, & agrorum fertilitatem defuturam ceciniſſe feruntur. Quid iidem vaticinaturi fuerint, ſi Hieronymum puſiunculum adhuc vidiſſent, nulla habita ratione floſculorum, qui hortis ab Alcinoi videbantur allati, nulla mellitarum placentarum, ſe ſtatim ad libros conferre, ac eos diutius puerili manu contrectare, vix equidem poſſum dubitare. Multa de eius literarum cognitione, plurima de ſtudijs bonarum artium, atque de ingenij gloria, denique de multiplici eius doctrina multo iucundiſſima fuiſſent augurati. Sed res eſt, quæ olim ſpes fuit: herbeſcens illa viriditas exijt in frugem, maturuit ad meſſem, atque iam etiam, ſic dicam, ad corbem venit. Illa re præcipuè, Viri Clariſſimi, ſuas mihi ſtudiorum rationes Hieronymus approbauit, quod cum eos libros omnes, qui ſe poſſent aut doctiorem, aut elegantiorem efficere, ſemper in delicijs habuerit, nullis tamen lenocinijs ſe pellici paſſus fuit, vt poetas molliores, atque vt fabulas Mileſias legeret, quarum etiam libros velut tabo, ſanie, ac venenis omnibus ſtillantes à ſuis libris & ſcrinijs ablegauit. Cum enim illas Polypi capiti ſimiles eſſe dicat Plutarchus, quod eſu quidem eſt ſuauiſſimum, ſed comeſum obturbat quietem, & nos viſis ac inſomnijs horrendis & inuſitatis vexat, eas Hieronymus facilè paſſus fuit, lectores ſui ſimiles inuenire. Neque enim tanti putauit eſſe, oblectationem ex ijs quærere, aut etiam doctrinam, vt ſibi eſſe natiua ingenij probitate periclitandum cenſeret, cum à D. Hieronymo didiciſſet, *Melius eſſe aliquid neſcire ſecurè, quàm cum tanto periculo diſcere*. An ſcilicet ea legeret adoleſcens verecundiſſimus, vnde mox non poſſet, vt ait poeta, *non ex imis vnguiculis perpruriſcere?* An Ouidium euolueret, qui perpetuo volumine Artem

De audien. poet.

Epiſt. ſeq lect. 2. 17.

Plaut. Sticho. 5. 5.

tem amandi tradidit? An Lucianum multas inducentem meretriculartum confabulationes, & qua fronte eſt, concedentem philoſophis pæderaſtian? an Catullum partes corporis omnes inceſta Venere polluentem? An Ariſtenætum demirantem, ac penè querentem, quod puella tandiu virgo foret, & ſui copiam facere cunctaretur? An Euripidem Cyclopis denarrantem amores fœdiſſimos? An Petronium omne genus nequitiarum graphicè deſcribentem; apud quem fœminarum deterrima conteſtatur Diuos, & Iunonem ſibi iratam precatur, ſi ſe vnquam fuiſſe virginem meminerit? An ſalaciſſimum Apuleium, & Mephiti grauius olentem? An denique Menandrum, cuius fabulas eo ſale, ex quo Venus orta eſt, ferunt conſperſas fuiſſe? Hos toxici propolas, & mali ſucci inſtitores legerer Hieronymus, neque paulatim pudorem dediſceret? neque magnam feneſtram aperiret nequitiæ? neque ſubiret eius animum inſaniendi cupido? neque ſenſim ex Hippolyto in Paridem, & ſiquid Paride fuit nequius, immutaretur? feciſti, Hieronyme, quod dignum fuit expectatione mirifica, quam ipſe tui puer concitauiſti: & quod fuit dignum iſto tuo nomine auſpicatiſsimo, quod tibi ſacras præfecturas, & ampla ſacerdotia, neque non & infulas pollicetur. At enim ne in eo quidem ſibi Hieronymus via peruulgata cæterorum adoleſcentium eſſe incedendum exiſtimauit, vt rebus prolatis omnino ceſſaret, & omnem curam literariam abijceret. qui cum ſibi eius temporis venia eatenus vtendum ſtatueret, vt otio vigorem excitaret, & omnem triſtitiam, quæ continuatione ſtudij pertinacis eſſet adducta, feriarum hilaritate diſcuteret, miſsis interim muſis ſeuerioribus, ſibi negotij genus, ſimillimum otij delegit, vt auctores omnes idoneos latinæ linguæ percurreret. Ego verò certa nunc affero & compertiſsima. Cum enim ex neſcio quorum prædicatione me aliquid eſſe, ipſoſque adeò eloquentiæ fontes me tenere ſuſpicaretur, (in quo vos nouiſtis, quantum aberraret à vero.) me literis ſanè doctis conſuluit cum de alijs rebus literarijs

terarijs permultis, tum etiam nouiſsimè de vocibus aliquot latinis, quæ ſemel tantùm fuiſſent ab eius linguæ idoneis auctoribus vſurpatæ, præſertim in quibus aliqua mendi ſuſpicio reſideret: illudque diligenter exquiſiuit, anne ſibi ijs vocibus vti, religioſum eſſe debere cenſerem. E Lucretio enim attulit *Variantiam* pro varietate: è Propertij elegia *præſcripto ſenecta pagina gyro*, pro egreſſa: è Seneca *Canem catenarium*: è Plauto *diſſimulat*, pro aſſimulat: è Tullij Oratore *Cinnum*, pro eo, quod eſt, inter duo interiectum: ex 2. eiuſd. de nat. Deorum, *pertingere*, pro pertinere: ex Horatij arte poet. *Cinctutos Cethegos*; & eiuſdem ex ſermonibus *Abludit imago*, pro abſona eſt, & abſimilis: denique è re ruſt. Varronis *Contenebrare*. Neque enim ſe dubitare dixit, quin militabiliter, quo vſus Accius fuit, pro minaciter: quin luculentitas & pulchritas, quibus Cæcilius: quin bouinator, pro tergiuerſatore, quo Lucilius. quin albicaſcit Phœbus, quo Cn. Matius: quin villicabar, pro ruſticabar, quo apud Nonnium Turpilius: quin denique impancrare, pro inuadere, quo idem M. Varro; ſint voces deſitæ, repudiatæ, ac exploſæ, quas antiquitati oporteat relinqui. Hæc ille mecum; cum etiam, ſi alia deeſſent, ſua mihi itinera, ſuas vindemias, ſuas venationes, & conuiuia, atque adeò etiam ſuas nugas verbis lectiſſimis exequeretur, perinde quaſi parenti alicui vellet ſuam ephemeridem approbare. Neque ego deeram volenti, qui cum tantopere tum ingenio adoleſcentis eximio & luculento, tum etiam inſigni comitate delectarer, eum perſæpe literis iurgioſis, & (ſic enim dicam) litigatricibus, aut petacibus, perſæpe etiam encomiaſticis, ſemper tamen iocoſis ad ſcribendum inuitabam, ac ita in amicitiæ ſymbolum inter nos literas, tanquam arma quædam, commutabamus, quamquam id non multo facerémus congruentius, quàm olim Glaucus, ac Diomedes feciſſent. Sed vereor, ne cui fortè dum virum exorno, friuolum ac puerile videatur, eius à me formam ſi minus depingi, certè quoad eius à me fieri Homer. Iliad. 6.

poterit, verbis adumbrari. Videte, Viri Clariſſimi, quantum Hieronymo præter ætatis florem etiam formæ dignitas ſuffragetur. Congruens corporis modus eſt, os verecundum, malæ decentiſsimo, ſemperque parato purpuriſſo tinctæ, aures breuiores, modicè aquilinus naſus, tenera cutis, amici oculi, ac in ijs faces quædam tranquillæ micanteſque, tum roſea labra, tum flaua cæſaries, tum geſtus compoſiti, tum vox clariſsima, eademque ita ſuauis ac tenera, vt ipſo loquente Sirenem audire vos dicatis, tum denique quidquid loquitur, quidquid agit, eo lepore conditum, vt poſsit ſeſamo conſperſum videri. Cuius diuini muneris quæ ſit vis, illud poteſt docere, quod cum hominibus, qui nobis ingenio, nobilitate aut copijs anteeunt, niſi item munifici ſint, noſque comitate ad ſe diligendos inuitent, ſoleamus inuidere: pulchris illico beneuoli reddimur; quibus etiam ita libenter inſeruimus, vt in alios non æquè iucundè dominemur. Argumento Iſocrates feſtiuiſsimo, atque mea quidem ſententia ineluctabili Helenam illam belli Troiani cauſam deterrimam Herculi Thebano, inuictiſſimo viro, totque palmarum heroi, fuiſſe anteponendam contendit. Cum enim robur Herculi & lacertorum firmitatem à Ioue datam fuiſſe dicat, quibus cunctos alios, ipſoſque adeò gygantes poſſet ſuperare: Helenæ dicit ab eodem Ioue formam impertitam, qua de gygantum victoribus triumphare, ipſumque adeò Herculem ad ſuas accipiendas leges poſſet adigere. Nolo tamen te tuam ſpeciem demirari, Hieronyme, ac multum te tibi forma tua placere, ſi quid ea fortuitum eſt. Sin magnis mentibus natura ſolet domicilia corporum apta metari: ſin ille ſummus artifex in condendis noſtris corporibus, tanquam in aliquibus extruendis ædibus decorem cuſtodit, cuius ita demum conſtare rationem tradit Vitruuius, ſi ædificijs interioribus magnificis conuenientia præfigantur veſtibula: ſin eſſe tales oportet, qui humani generis mercantur amorem & obſequium: ſin auguſtiſsima quæque ſpecies plurimum

In eius encom.

Lib. 1.

cre-

creditur trahere è cælo; corpuſculum tuum iſtud tam affabrè factum, quod tu ceu quoddam inacceſſum pravis templum cuſtodiuiſti, tuamque iſtam formam, indicem animi tui pulcherrimi, quæ adeò commendat tuos mores, quam adeò in Alcibiade amauit Socrates, & quam veteres illi ſapientiſsimi eſſe dignam imperio iudicauerunt, minimè feras grauatè à me in tuis bonis numerari. Quid enim eam, quendam ſolſtitialem florem, aut quandam puellarum dotem appellemus, quam labor, morbus, animi denique ægritudo, & ſenectus ipſa depopulentur? Regia dos eſt, mihi credite, ſummorumque heroum. quotus enim quiſque Regum ſe Marſyæ potius, quàm Delij Apollinis ore velit effingi? hanc formam Aeneæ ſuo Virgilius, hanc ſuorum regum pleriſque Homerus, hanc Cyro Xenophon, hanc Theodoſio Latinus Pacatus, hanc Traiano Plinius, hanc Plato ipſi Virtuti, hanc adeò Dijs, Deabuſque poeſis attribuit. Dic, amabo Hieronyme, quanto plus Roma ingenio fauiſſet Clarani, viri Senecæ prædicatione præſtantiſsimi: quanto plus Perſæ illi militi deformi ac hiſpido ſtuduiſſent, quem Sambaula centurio commendatum ſibi induſtria militari adduxit in Cyri conuiuium: quanto plus Græcia tribuiſſet Hipponacti poetæ, ſi quantum animis eorum, tantum etiam corporibus indulſiſſet natura? Te verò tuo merito plurimum amamus, Hieronyme, quando gratiam corporis morum ornamentis exornas, quando Pythium audiſti oraculum; *Non miſcebis plumbum argento*: & cum Antiphilæ Terentianæ exemplo id ſtuduiſti, *Iſti forma mores vt conſimiles forent*. Qui ne forte queraris in tanta copia rerum illuſtrium quoddam à me fortuitum captari, ponique tibi ipſius naturæ munus in laude, cum induſtriæ tam multa poſsim, ſic habeto, non Helenam à me nunc Iſocratis, ſed Hectorem illum Homericum exornari: neque tuæ cuti, ac ſymmetriæ, non ingenuo vultui, non ſtatui eleganti, non alacribus oculis, & habitui iſti decoro tantum à me tribui, vt hunc locum hodie mihi vſurpandum fuiſſe cenſuerint,

Epiſt. 66.

Xenoph. Cyrup. lib. 2.

Ariſten.

Heaut. a. 3.

rint,

tim, ſi verum eſſet, quod geminis carminibus tradidit

Claud. in Stil. poeta: *quem vultus honeſtat, dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat, corpus deſtituit*: aut niſi is eſſes, in quo cætera potius omnia, quàm dignitatem oris, ac formæ venuſtatem poſſem prædicare. Dudum eſt, cum ex notis, habituque oris tui conijcio, quàm hanc gloriam aſperneris; ſed patere tu quoque in tuarum laudum parte conſtitui, id quod ſolet in alijs permultis penè ſolum laudari. Formam ſpectauiſtis adoleſcentis, iam & indolem agnoſcite. Cum timidius aliquando de ipſo cogitarem, ac eum pro mutuo inter nos amore magis ac magis obteſtarer, vt animum aliquantiſper à ſumma contentione remitteret, cauſam illico, cur ſibi tantopere deſudandum ſtatueret, Homerico verſu attulit eandem, quam olim Hector, cur aleam non defugiendam putaret

Iliad. 10. certaminis iniquiſsimi, *quòd Troianos, atque Troianas licia trahentes metueret*. Idem cum fortè interueniſſet rixantibus ſuis condiſcipulis, ac prælium futurum non tralatitium appareret, ipſe quaſi aliud ageret, Quin, inquit, laurum abijcitis? Ita cum vocis nouitate animum omnium conuertiſſet ad ſtudium

Plin. 17. 44. cognoſcendi, quid illud rei foret, quod abijci laurum præciperet? docuit lauri, quam Inſanam vocant, eſſe vim illam, vt ſi quid ex ea decerptum nauibus inferatur, gigni iurgia vel de nihilo cogat, vectoreſque & remiges compellat collidi prælio, neque niſi abiecto ramo rixandi, pugnandique poſſe modum ac finem inueniri. Deferbuerant inducta opportuna narratiuncula omnium iræ, eratque iam locus monendi, quum ille rurſus, Quæ vos, inquit, agitant intemperiæ? quiſue ſano iudicio locus eſſe poſsit, vbi lis dictat, exequitur furor, vrget temeritas, cæcitas abſoluit? Quamquam enim longè alijs vijs inſiſtebat Hieronymus, quàm quibus pleríque ſuorum æqualium, ita ſe tamen ijs dabat in conſuetudine, vt cum loquentis candorem agnoſcerent, monentis, obiurgantiſque ferre poſſent libertatem. Si quos fortè intemperantiores & effuſiores videret in Venerem, qui in

obuias

obuias aliquanto formoſiores mulierculas oculos putres deponerent, penèque ſingultirent ad omnem formam, cellulaſque meretricularum circumirent, eos verò ijs iurgijs adoriebatur, quibus ipſi hortorum cuſtodi Priapo Helleſpontiaco poſſet pudorem inijcere. Non pudet (ſic enim aiebat) adoleſcentulos ingenuos eſſe tam turpiter ſupplices ſcortis putidiſsimis? non pudet deſtinatos ſummis honoribus patriæ pati regnum mulierculartum, ac ſeſe lupis deſpoliandos præbere? an rei vllius odor ſpurcius olet, quàm libidinis, quæ hominem, quantus eſt, cæno totum immergit? Vbi quæſo inter hæc ratio? vbi dignitas? vbi viri nomen? vbi ſpes vitæ immortalis? Ne illud quidem vnquam in mentem venit, in quos ipſi vos laqueos induatis? ac ne vltrices quidem flammas, vindicemque gladium expaueſcitis eius, qui eſt in mores veſtros inquiſiturus? Quæ ſanè dicebantur eo ardore, vt non adoleſcentem, ſed Catonem, ſed Socratem loqui crederetis. Sed enim perſæpe ſurdis fabulam canebat. De dominantibus cum expoſtularent ijdem liberius, & ſe iudicijs expilari, exhauriri militum hibernis, & deſpoliari vectigalibus vociferarentur; cum ipſarum adeò ſententiarum nefariam nundinationem fieri dicerent, Hieronymus obloquentium libertatem Virgiliano verſu caſtigauit, *Claudite iam riuos pueri*, monuitque verbis grauiſsimis, vt more Scythæ Anacharſis, digitum ori imprimerent, neque ſe ac res ſuas ſeditioſis illis vocibus in magnum aliquod diſcrimen conferrent, cum eſſe diceret intutum atque ſtultiſsimum, lingua ſæuire in eos, qui ſe poſſent proſcribere, & gladio referire. Satiſne vobis hæc indolem & ſapientiam probant adoleſcentis optimi? Illud iam faxo probet acumen ac feſtiuitatem ingenij. Summa æſtate, dieque flagrantiſsimo monuerat amicus Hieronymum, vt meridie ſecederet ad quietem; cum ille continuò, Non faciam, inquit, ne derideat à cicadis. quibus verbis cum admirationem permagnam mouiſſet vniuerſis, fabulam longè elegantiſsimam è Phædro Platonis enarrauit, quemadmodum

modum natum cicadarum genus fuerit, quo pacto canant quandiu viuunt, quo Muſarum munere nactæ ſint, vt alimonia non indigeant, & quemadmodum vitæ ſpatio expleto, ſuoque decantato cantico ad Muſas proficiſcantur. Vnum addam non illepidum, nec vobis ſanè futurum iniucundum. quod cum ſuos amicos animaduerteret, ſe auidius ingurgitare cibis, & in ventrem profundum plus eſcarum infarcire, quàm quantum poſſet laborans natura concoquere, neque vnquam, niſi febri æſtuantes de victu cogitare moderatiore, eos Athenienſibus aſsimilabat, quos Demades negauit vnquam, niſi pullatos, de pace conſultare conſueuiſſe. En qua ætate, quæ funditet oracula Hieronymus. Qui enim hæc ei è ſummis labris naſci putat, ignorat quàm plenum ſapientia pectus gerat, quantum valeat iudicio, quibus ſit auſpicijs & conſilijs educatus, & quibus artibus ſit innutritus. At quandiu me deblaterantem, voſque neſcio qua vappa perfundentem feretis, Auditores Clariſsimi? minimè ſanè faciam, vt malorum depulſorem Herculem, & *auerſorem* triſtium Iouem, ſeruatoreſque neſcio quos Dioſcuros, more ſcilicet Lucianico, implorem, quorum è cælo numina iampridem noſtra religio diripuit. Tuam potius fidem implorabo, Deus Immortalis: veſtram ò mentes Diuum beatiſsimæ implorabo tum fidem, tum opem, tantam vt indolem adoleſcentis diu ſeruetis incolumem, & inſitam eius ingenio tantam virtutem in maius proueh atis. Dixi.

In

In Laurea CAROLI FRANCISCI CERESOLI In Verdelli Oppido Præpoſiti

PANEGYRICVS.

QVÆ res hodie mihi perpeſſu grauiſsima, quiue labor difficillimus contigerit, vos neque veſtro marte, Viri Clariſsimi, poſſe conijcere certo ſcio, neque mihi affirmanti eſſe facilè credituros exiſtimo. Qui ſi fortè quæratis, num Oſſæ Pelion impoſuerim? num luctatione deiecerim Antæum? num Danaes arcem æneam expugnauerim? omneſque ita rogando ſi veterum heroum labores percurratis, vno verbo ſic habetote, me ita modò feſſum anhelare, vt tamen nullum neque ex ijs, *quos dicit fama labores Herculis* Propert. pertulerim; neque ex alijs, quos aut defleuerunt ve- 1. 23. teres tragœdiæ, aut veris literarum monumentis ſcriptores rerum conſignauerunt. Quid ergo illud ſit tam difficile ad perferendum, quod me adhuc gementem ac penè ſingultantem excruciauit, exquirere ſi pergitis, dicam tum veſtram auctoritatem ſecutus, quorum deſiderijs aduerſari religioſum habeo: tum Propert vſus conſilio poetæ, qui indicandis, & noſtris apud 1. 9. amicos proferendis curis leuari tantiſper animos ægritudine, atque angore teſtatur. Nam cum nemo neque amet ardentius Cereſolum, quàm ego amem; neque amandi cauſas plures maioreſque habeat, cuiuſmodi illud eſt, me ſtudio incenſum admirabili prædicandi, teſtificandi, commemorandique, quæ adhuc laborioſè, quæ honeſtè, vigilanterque fecerit optimus adoleſcentum, ſediſſe adhuc deſidem, *trunco*

ſimil-

Iuuen. ſat. 1. *ſimillimum Hermæ*; & cum verba erumperent, tandiu imitatum fuiſſe ſimulacrum Scythæ Anacharſis, quod impreſſo ori digito ſibi linguam compeſcebat? Nam quod poeta Venuſinus quædam hominum genera enumeret, quibus nox longa, quibus longa dies, lib. 1. ep. 1. pigerque annus videatur, quid hoc ad me pertinet? cui ſingula momenta eius temporis, quo magis mutus Arpocrate, dum ordo rei gerendæ rem ad me Paulus Manut. cõment. ad epiſt. 2. libri 1. ad Att. deferret, expectaui, magno Metonis anno viſa maiora fuerunt. Dum tu, Cereſole, vetere more ac inſtituto certos è theologia locos enarras; dum alij contra tuam rationem diſputant; dum concurſant ſeruuli: dum ſuffragantur vniuerſi: dum de te honorificentiſſimè pronuntiat agonotheta, ipſe interim æger Iuuen. ſat. 1. animo ita mecum: *Egone auditor tantum?* Vt enim Mart. 4. 81. *res ſit magna tacere, quid refert erranſne viſcera febris exurat*, an præcordia depopuletur amor, quem In Conuiuio. Plato violentum, quem faſcino vtentem, quem furentem depingit, quem etiam pictura, & poeſis ſuccinctum facibus effingunt? Sed enim cæteris per artifices idoneos ritè peractis partibus ad actum poſtremum perducta fabula fuit, vbi viciſſim oratione perpetua dicendum mihi eſt, vobis audiendum. qua in re ſi minus vtar Muſis propitijs, vtar quod certò ſcio Gratijs non inuitis.

Ex his poſtremis annis, quantus ſplendor ſit Cereſoli, quàm æquabilis, conſtans, & moderata ratio vitæ, nemini arbitror eſſe poſſe obſcurum. Ne tamen aut hæc eius ætas, quum animus ſatis iam conſilio ac ratione formatus eſt, aut vlla deinceps ætas alia, multum ſibi tribuant, retorqueant oculos ſuos, & illum vernantem florem ineuntis adoleſcentiæ reſpiciant. Nempè quod venenum Cereſolus non extinxerit aut eiecerit, ſed nunquam hauſerit: quod non curauerit amentiam adhibità medicinà, ſed effugerit: & quod velut oblato lumine rationis ſe in viam bonis viris tritam non receperit, ſed eà vià nunquam exceſſerit, errat vehementer iſta iuuenta, ſi ſibi potius, quàm pueritiæ, hanc præclaram laudem aſcribat. Illa opi-

nio

nio & rectus ſenſus de omnibus rebus diuinis, de iure inter homines æquo, atque de illis ſtudijs, quæ ad vitæ dignitatem ac elegantiam pertinent, quem ſenſum tenero adhuc ingenio bonitas naturæ, ac diligens educatio infixit, præſertim cum paulatim ex vſu rerum accedens prudentia, ea, quæ eſſent benè inchoata, comprobauerit, haud ſanè difficilem ac periculoſam cæteris partibus ætatis cum vitijs & cupiditatibus dimicationem reliquit. Et parentes quidem in eo bonorum ciuium fungebantur officio, quod infantulo pietatem ac laborem commendarent; diuinare tamen non poterant, qualem ex ſeſe reip. ciuem procreaſſent, quod lumen accendiſſent in Eccleſia Dei, & quantum in genus vniuerſum latinarum literarum hoc ſuſcepto, ſublatoque filio beneficium contuliſſent. Rectè procedebant initia, quum repentè alieniſſimo Cereſoli tempore parens vterque oppreſſi morbo deceſſerunt. quàm incommodè deſtituta rectoribus fuit pueritia tua, adoleſcens vt tum res erant, ærumnoſiſſime? qualis enim ille turbo fuit? quantum ille caſus opes tuas afflixit, rationes conturbauit, & totam domum concuſſit? Itane genitus in orbitatem fueras, vt repentè penè adhuc recens à nutrice, chariſſimas omnium animas, tibique naturæ fœdere coniunctiſſimas eripi cerneres? Cuius tu iam conſilijs dirigereris ad virtutem? quis trementem, lugentemque confirmaret? Eo loco, ſtatuque Cereſoli ſpes, opeſque cum eſſent, eos imitabatur infelix adoleſcens, quos olim feritas, & inclementia genitorum exponebat. Quid enim propinqui, quid ſolent? ad paratam auiditati ſuæ prædam accurrunt, & quod Cilices, Cappadoceſque faciunt, ad colligendas, ac diripiendas alienorum naufragiorum reliquias aduolant; eamqne ætatem ac ſolitudinem iniurijs ſuis, ac inſidijs opportunam arbitrantur. Veruntamen eadem ſummorum quoque aliorum virorum, quæ C. Cereſoli, initia creſcendi fuerunt. Quibus enim alijs veluti auſpicijs ille conditor vrbis æternæ Romulus ad tantas opes atque magnitudinem peruenit? quæ

alia

alia eius Oedipi, qui tamen florente adhuc æuo regnum Thebarum obtinuit? Illa, profectò Cereſolum calamitas expoſuerat, ac abiecerat, tradideratque vinctum & propinquis, & inimicis, vt crudelitatem quiſque ſuam & auaritiam explerent. Omnia cum ſpectarent ad perniciem, minimè tamen vidit tantum nefas orbis terrarum, vt ille iaceret ac laceraretur, cuius ore, ingenio & ſtylo ſeſe aliquando ſeculum noſtrum iactare deberet. Quid enim? Illa trepidis nautis nota gemina ſidera quàm ſæpe ex inſperato effulgent, ſedatiſque tumentibus fluctibus ſpem afferunt & ſalutem? Pro Caſtore & Polluce natura Cereſolo fuit & fortuna. hæc quidem auidos vicinos ab eius patrimonio, tanquam aliquos à cadauere coruos ieiunos depulit; illa paruulos in animo infantuli eos igniculos accendit, qui hodie tantum lumen gloriæ dederunt: hæc alienis hominibus eam mentem & cogitationem iniecit, Cereſolum vt ne ſecus, quàm filium educarent; ea vim ingenio ac impetum indidit, motuſque celeres, vt quidquid concupiſceret, aſſequi poſſet: hæc denique magiſtros ei curauit ingenuarum artium longè præſtantiſſimos, vt doctrinas magnis ducibus & auctoribus ediſceret; ea quæ ſatis ſciret, quantum boni atque ſplendoris per vnum adoleſcentem eſſet Italico nomini vniuerſo comparatum, ne ſtudio vinceretur à natura, Cereſolo dedit eam indolem, qua ille neſcio an poſſet meliorem exoptare. Hinc illa eiuſdem ratio perpetua manauit, quod cum alijs atque alijs ſtudijs pleroſque videret puerorum inſanire, & præmaturè contempta virtute mollia & ſenſibus iucunda conquirere, horum ipſe probauit nihil, ſed potius quæ magiſtri morum voce ac editis libris edocerent, eadem audire, ea malle, ea ipſa ad rem conferre laborauit. Ergo ex tam multis, quæ quotidie plures malè firmos, malèque inſiſtentes, magno dolore bonorum ſubruunt ac euertunt, nihil Cereſoli mentem valuit impellere? Non hercle poſſum diffiteri, artibus iiſdem, & cuniculis tentatam huius innocentiam fuiſſe. Adoleſcentiæ vigor in omnem li-

bidinem

bidinem atque cupiditatem præceps, obuerſantes quotidie ob oculos ineptiæ, luſuſque aliorum ephe- borum, præterea conniuentes ſilenteſque leges in multorum malefactis, illa denique recepta & inuete- rata hominum nefaria opinio, quod exemplo fiat, id iure fieri credentium, hæc ſimul vniuerſa, impia conſpiratione, Cereſolo crudele bellum intulere. Quis enim miretur, cæcam iuuentutem, nullo adhuc vſu rerum, præſertim indulgentem ſibi, & quæ per- peram facit, more iam & conſuetudine defendentem, tantis copijs hoſtium non reſiſtere? Non tamen po- pulatrix animorum voluptas in mentem Cereſoli re- cepta eſt, neque ibi tandem intromiſſa licentia, ſua ſi- gna explicuit: ſed ſtetit, ſtabitque ſemper in eo non ſolùm inuicta, verùm etiam impauida grauitas ani- mi, & rationem velut quandam arcem valido præſi- dio tuebitur. Sed enim finge me, vt mos eſt homi- num, curioſè percontari, quem iſtiuſmodi conſtantiæ magiſtrum nactus fueris; Cereſole, quid facias? & amico non moleſtè interroganti quid reſpondeas? anne quod ille prouincialis prædiues, qui Cæſaris Ca- ligulæ conuiuio per fallaciam adhibitus, cum iuſſus eſſet dicere, quo vocatore fuiſſet ad cœnam inuitatus, carbone effigiem hominis in albo pariete adumbra- uit? Meo quidem iudicio ſuſpicias licet in Cælum, cuius clementiſſimis multis ſideribus animus tuus irradiatus fuit, ac inde tuam indolem decidiſſe confi- tearis. Neque enim velut ſatiuam eſſe iſtam vim animi & conſilij, nec aliunde hauſtam è libris anti- quorum, ſed tecum natam & ingenitam illud argu- mento eſſe poteſt, quod vt Seneca inquit, *Citò ſenex fuiſti, citò ſapiens, nunquam puer*. Nos, Auditores, ipſi nos prætextati quid fecimus? quod ſolent pueri. Luſimus, garriuimus, diſcurrimus. quid præterea? vigilauimus inuiti, laborem inuiti capeſsiuimus, atque adeò cædendi fuimus aliquando, & metu ma- loque ad recta ſtudia compellendi. Eſt illud commu- ne, neque tamen flagitioſum in pueris, pede vago eſſe, lingua tinnula, ſoluto & inepto riſu, imbecilli

conſilio, delectu nullo, neque perpetua & conſtante voluntate. quæ ſi quis intempeſtiuè ſeuerus, in ea velit ætate reprehendere, ille non ſatis intelligit, cuius demum ſit inſipientiæ maturos ab acerba ætate fructus expectare. Nemo prudens non hæc ferenda putauit eſſe, donec aliqua cum prætexta ponamus, aliqua cum prima barba reſecemus, quædam capillo demum caneſcente commutemus. Id quidem enarro, quod natura fert, atque conſuetudo, non quod Cereſolo ſeorſum euenerit. quid enim illi commune cum multitudine? qui cum ante iuſtos annos ſermone, ſobrio atque prudente fuerit, inceſſu compoſito, exiguo cibo, ſomno modico, nulloque penitus vſu non permiſſarum voluptatum, cum de re quaque ſuo, non multitudinis iudicio exiſtimare conſueuerit, quidni dicamus adoleſcentem eiuſmodi, rem inſolitam, mirificam, & penè incredibilem feciſſe, ipſamque viciſſe naturam ac ætatem? Iſta indole ſi quis te fortè coniector, Cereſole, vidiſſet infantulum; opinor, contracta fronte & ſupercilio adducto, tibi quædam fata triſtia ceciniſſet, & præcisè negaſſet, te diu ſuperſtitem fuiſſe futurum. Eſt hominum genus eiuſmodi, qui ex vaniſsimis coniecturis futura prænuntiant, frontem vbi primum inſpexere alicuius, lineas manuum, ſiduſue natalitium, repentè de grauiſsimis rebus, de capite, vitaque hominis ſententiam ferunt, & ex ſuæ diſciplinæ decretis, credulorum aut ſpes inuitant, aut ægritudine animos conficiunt. Quid ij ſequātur, non video, qui ita diſputant, ingenium præcox, quod nimis citò velut intempeſtiuam maturitatem conſequatur, eſſe perbreuis æui. Vt nihil dicam grauius, condicionem certè iniquiſsimā ſummis ingenijs proponunt, & eos viros, *quibus dignus non eſt Mundus*, inuitos adhuc acerba ætate rapiunt ad ſepulturam. Vos ego, qui artem factitatis huiuſmodi, voce Virgiliana, *Vates infelices* appello. Quis cano capite ſenex cupiditates ſuas magis habuit in poteſtate, quàm ſuas habuerit Cereſolus adoleſcentulus? addite conſilium, addite amorem & ſtudium rerum hone-
ſtarum

Seneca controu. lib. 1. contr. 1.

Ad Hebr. 11.

Aeneid. 111.

ſtarum: addite ſeruatum in rebus agendis ordinem, modum, decorum: eorum addite, quæ ſemel probauit, amandi, expetendique conſtantiam. Vno verbo dicam, aut huius eſt præcox ingenium, aut cuius ſit alius, nondum ſatis intelligo. Quid ergo? Valete conjectores. Supereſt adhuc Ceréſolus, & quod vobis oculi doleant, ita ſupereſt, vt floreat viribus, vtatur commoda valetudine, vigeat lacertis, atque adeò etiam niteat colore. Vtinam illi hæc conſtet perpetua firmitas: & conſtabit, certo ſcio, ſi fiat, quod probi eidem omnes, quorum ſibi mirifico ſtudio voluntates adiunxit, ſummopere cupiunt euenire. Quid enim, miſsis interim rebus multo maximis, facilitatem, & illud conciliandæ hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax ſtudium commemorem? Humanitatis quidem certè ſuæ fructum vberrimum tulit, ſic probatus, ſic vulgò charus & iucundus, cum vt quiſquè oculis pènè plus ſuis diligat. Nam vt ſic ipſi nobiſcum, tanquam cum alijs colloquamur, quid cauſæ habuimus, cur in huius obſeruantiam ac amorem tantum effunderemur? Nullo nos quidem amatorio poculo ad amandum verecundiſsimum & ſuauiſsimum adoleſcentem ſumus inducti, ſed illis inter loquendum, contrahendumque emicantibus velut radijs bonitatis; quod nulli vnquam mortali conuicium fecerit, nemini minus docto inſultauerit, præ ſe neminem contempſerit, nulli vnquam in conſuetudine, magnifica prædicatione rerum ſuarum, grauis extiterit, & cuique humillimo copiam non ingenij tantùm, ſed etiam fortunarum & omnium rerum fecerit. Neque enim pauci priuata aliqua neceſſitudine, ſed omnes velut tacita conſpiratione, neque obſcuris cauſis & exilibus, in huius ſtudium conſenſerunt. C. Ceréſolum æquales propter comitatem ipſius, moderatores propter obſequium, alieni propter admirationem ſummi ingenij & induſtriæ, eundem ipſi etiam ſenes propter opinionem futuræ virtutis tantum amauere, quantum fas eſt amari à quoquam vllum probum, & excelſæ in-

dolis adoleſcentem. Qui potionibus & veneficarum carminibus, aut per interpretes largitione atque munuſculis illud conſequi laborant, vt amentur, veram ignorant artem amandi, quid ergo faciant? me ſi audire volunt, faciant quod Cereſolus, vigilent, non ſtertant totas noctes: ſudent, non deſideant: doctiſſimi eſſe ſtudeant, & modeſtiſſimi, ſint priuatim reſtricti, frugi, atque ſeueri, ſint foris munifici, lenes, ac ſplendidi, ſint ſimplices, aperti, ſimulandi & diſſimulandi iuxta ignari, ius colant in primis; neque dubitent, quin hiſce artibus propediem omnium ciuium ſtudia conſequantur. Dum præcipiti curſu feſtino, multa cogor abrumpere, multa ne innuens quidem & reſpectans attingere. vberius enim aliqua, & copioſius de C. Cereſoli vniuerſa re literaria dici oportere, nemo non videt. Alijs alia vina rebus commendantur. neque enim dotibus iiſdem nobile Creticum vinum eſt, quibus Lesbium, aut Maſſicum: quædam dulcedine placent, quædam auſteritate: eſt aliud mitius, aliud acrius: quædam adhuc muſtea delectant, & è lacu recentia, quæ non ferunt ætatem, aliqua poſt multos demum Conſules languidiora in menſas delicatorum hominum expetuntur. quid enim multis verbis opus eſt? non vna ac eadem laus eſt vniuerſorum. Sit ſanè vini, ſit glebæ ac arborum hæc ratio, vt vna re quapiam excellant, multis non valeant: Ingenij certè humani aliquando vim eam eſſe videmus, vt plura & maximè diuerſa ex ſeſe gignat, valeat pluribus rebus, & diſſimilibus ſtudijs efloreſcat. Quò illud progrediatur, cum ſeſe incitauit, quàm aptè multa ex ſe efferat, & quàm vario ornatu niteat, paucos admodum, qui documento eſſe queant, ſed tamen aliquos, neque non inter eos C. Cereſolum poſſum nominare. Quàm ſit varium ac immenſum illud vniuerſum, quod vno eruditionis nomine continetur, neminem veſtrum, V. Clariſſimi, arbitror ignorare. quid eſt tamen in literis, quid vſquam in doctrinis, quod C. Cereſolus non perquiſiuerit, non ſæpe pertractauerit, & quod ipſe multis è ſu-

è ſuperiore loco tradere memoriter & explanare non poſſit? Eam partem doctrinæ coluit, quæ cauſas rerum, earumque ortum & interitum ediſſerit, eandem alij multi, ſed ſolam coluere: præcepta quæ oratorem informant, cognouit vniuerſa, nec vllum ſolutæ orationis characterem habet eloquentia, in quo pro re nata non verſetur eximiè; hoc alij, ſed vnum faciunt: poeticen callet, non eam ſtultam, inanem, lubrici, vaniſſimique curſus, ſed induſtria comptam, dignitate grauem, fabulis eruditam, natura arteque perfectam; ſcribunt alij quoque ſatis commodè carmen, veruntamen non aut omnibus numeris, aut rerum omnium aliarum rudes ac ignari, à carmine vbi diſceſſerunt, & poſito ſtylo ad ciuium elegantiorum cætum venerunt, riſum omnibus aut ſtomachum mouent. Cereſolus neque placenta eſt, neque vinum Thaſium, omnibus tamen placet: non eſt Gorgias Leontinus, in omnibus tamen facultatibus, ad quas ipſe aliquando ſe contulerit, excellit. O laudem hoc ferreo ſeculo raram atque inuſitatam! Diſcrepantes artium rationes ſunt, diſſimilis natura cuiuſque, alijs rebus aptior pituita, alijs atra bilis. Huius ingenium res olim diſſociabiles nouo exemplo copulauit; idem orator & poeta, idem philoſophus & elegans in dicendo: idem ſanguine redundans, & tamen animo ſedato atque tranquillo: idem ſubita facultate promptus, & limæ patiens. Cum varij caſus ac tempora eloquentiam requirerent, & cum ſæpe accideret, quod in hoſpite veſpertino ſolet, vt ſcena literaria tamquam aduentitia aliqua cœna raptim eſſet inſtruenda, carmenque properandum, ſcilicet non erat dubium, quin ad vnum præcipuè Cereſolum decurreretur. Quid enim? Num tu ſolus literas nouiſti? Num tu in literis dictaturam, & quidem ſine prouocatione, perpetuam geris? Num vnus incubas clauſis doctrinarum theſauris? Idem tu apud ciues tuos es, quod apud inferos eſſe Tireſiam fabulantur poetæ, cui deos aiunt dediſſe, vt ſolus inter vmbras ſapiat? Non hercle deſunt in vrbe frequentiſſima & cele-

celeberrima, neque vnquam deerunt, qui eadem venditent. At enim qui venderet vilius, & minus auarè pretium ſtatueret arti ſuæ cum eſſet nemo, miremur nos ſcilicet, tritam ad te viam fuiſſe, ad limen, foreſque tuas fuiſſe frequentes, qui carmen poſcerent, elogium aut epiſtellam, cum tu nunquam frontem adduceres, vultúmue auerteres, nunquam occupationem excuſares, cum amicorum deſideria lætus alacerque exciperes, cum dilatione laſſares neminem, neminem expectatione torqueres, cum denique tum quoque, quum dabas, beneficium videreris accipere? Tuum, C. Cereſole, nomen cum viderem tot chartis appingi, adſcribi illud tam ſæpe ad Emblematum calcem, & eodem pulcherrimorum carminum tam ſæpe, tam multorum parentem oſtendi: cum tibi loquenti, ſcribentique defluere copiam viderem tam vberem; quærebam tacitus, quibus venis tanta facultas expromeretur, quo ve penore, atque theſauro tanta vis depromeretur & varietas rerum optimarum; & quemadmodum os vnius & ſtylus in tot modos ac tam diuerſos habitus flecteretur: neque enim illud adhuc innui, quanta ſit tibi, Cereſole, elogiorum cognitio; ſiue illa pars fuerit veteris doctrinæ, ſeu ſit nouum inuentum, vt quidam, me quidem repugnante, opinantur: neque quanta notitia aut antiquorum Numiſmatum, aut Hieroglyficorum, aut Ægyptiacarum literarum; quarum tu vſum tum reduxiſti, tota noſtra Ciuitate tuam induſtriam demirante, cum vix quiſquam iam aut Ægyptiorum, aut barbararum notarum meminiſſet. Illa verò quantis laboribus & quo ſtudio ex ruderibus antiquitatis effodiſti? quanti operis fuit veteres eas literas ac intermortuas excitare; ac rudibus nobis tanto interuallo oſtendere? negotij demum quanti fuit, inexplebilem auiditatem ſciendi explere velle, & nouo ſale, vt Lucillius inquit, totam Italiam defricare? Neque enim eos, qui horas ac tempora diſtribuunt, niſi à ſui ipſorum ſimilibus eſſe audiendos putauit. Quid enim aiunt? Horas ſpatio aliquas demus, & ambulationi, tempus pomeridianum

tidianum ſomno tribuamus, à cibo remiſſio: ioci, trochus, venatio laboribus interponantur ingenij, atque ita diurni temporis aliquam partem doctrinis liberam deſtinemus & vacuam, vt tamen noctem quieti eſſe natam ſtatuamus. O mites deſcriptiones horarum! ô temporum atque dierum partitiones præclaras! Nempè vos inſaniuiſtis, qui tantum olini in ſingularum doctrinarum cognitione conſumpſiſtis. Inſaniuiſti (quid enim ſecus dicam?) Hippocrates, qui tuis Aphoriſmis illud præfixiſti; *artem longam, vitam breuem eſſe*. Neque tantum inſaniuit, ſed furente magis furens Oreſte fuit, quicunque illud pronuntiauit, nemini ante annos octoginta perfectam vllam ſcientiam poſſe contingere. Qui hac tempeſtate poſtulant in eruditorum album referri, vitæ breuiſſimum ſpatium in fruſta concidunt, & ignari quàm laxos fines quæcunque facultas habeat, ſi quas horas de venatione feſſi, ciboque & Liberi flore diſtenti doctrinis ediſcendis impenderint, autumant ſe in illis poſſe velut arcem tenere. Rem eſſe magnarum vigiliarum quamcumque artem niſi quis intelligit, in C. Cereſolum inſpiciat; atque illum ſiquando viderit ſomniculoſum aut ceſſatorem, aut ſcenicis ſpectaculis aſsidentem, ſe quoque credat, ſi leuiter adnitatur, poſſe ad culmen facultatum aſcendere. Miror ego ſanè Cereſoli dicendi genus neque dilutum, neque de triuio, neque expoſitum, quod guſtaſſe nobis abunde ſit; videlicet vnedonum ritu. Sic eloquentiæ, ſic poeſeos princeps eſt, vt cæteri ad eum comparati videantur obmuteſcere. Cum tam multis ille quidem paraſangis nos omnes præcurrat, omniumque iudicio ſit artifex dicendi maximus, ſuo tamen nullus eſt: omnique in laude facilè concedit cuiuis, cum ipſe haud dubiè præſtet vniuerſis. Ecce vix deſijſti diſcipulus eſſe, & alienæ diſciplinæ ſectator, quum continuò in ſophiſticum thronum ad tradenda alijs eloquentiæ præcepta vocaris. Iam exere vim tantam literarum, quam in Aduerſarijs habes, & quam nunquam deſtitiſti ſic in memoriam tuam, tan-

quam in aliquod horreum inferre & aceruare. Illa tua ex tam vario genere doctrinarum exundans admirabilis eloquentia alumnos alet, & diffundetur ac permeabit velut ab vno ſtipite in multos ſurculos ac traduces. Attamen non item tibi, quemadmodum phonaſco, quem *vocis edomatorem* vocat Tertullianus, tradita eſt lectiſsima iuuentus, cuius tu vocem & cantum formes; ſed cui dicendi veros ac puros fontes aperias, cui ad optimam formam eloquentiæ facem luceas, quam tu ſicut aquila pullos, exemplo tuo prouoces ad volandum, & cuius animo tenero cum præceptis artis modeſtiam & pietatem inſtilles. Ingenium tuum ac inſtitutum recordari non poſſum, quin eandem gloriam augurer tibi ex iſta prouincia, cætuque auditorum, quam Iſocrates, & Origenes tulerunt, quorum ille Græciam diſcipulis doctiſsimis, hic verò doctiſsimis & integerrimis Eccleſiam locupletauit. Neque ſanè magnitudo animi tui in magno diſcrimine ponet, quo honorario ac mercede iuuentutem erudias, qui ſatis magnum præmium ſis & ab humaniſsimi Antiſtitis iudicio, & à beneuolentia diſcipulorum optimorum accepturus. Tantis quidem literis, tanta cognitione antiquitatis, tanto vſu librorum optimorum, & tam eximio munere memoriæ ac ingenij ad ingenia expolienda puerorum acceſsiſti, Cereſole, vt feram grauiſsimè Apollonium ſophiſtam talento Athenis docuiſſe: Veſpaſianum Latinis Græciſque rhetoribus grandem pecuniam è fiſco, annua centena conſtituiſſe: tanta commoda M. Aurelium Antoninum profeſſoribus vrbis æternæ: tanta Mauritium Imperatorem: tanta Valentinianum: tam illuſtre auctoramentum à Diocletiano & Maximiliano Eumenium accepiſſe: tantis denique præmijs *eum, qui coruum ſalutatorem* ad vocis humanæ ſimilitudinem perduxerit, *fuiſſe Auguſtum proſecutum*; te verò aliquibus iſtorum, fortaſſe multis millibus meliorem & magis doctum artificem tam exigua ſtipe in informanda ad artes optimas ingenua iuuentute interdiu, noctuque deſudare. Hoccine è

De Pallio.

Philoſtr.

Sueton. in Veſp.

Xiphil. ex Dion.

Suida.

Themiſ. 11.

Macrob.

Platonis diſciplina eſt, *qui opificem quidem quinque ad ſummum, aut ſex minis emi dicit, architectum vero ne drachmarum quidem decem millibus ait poſſe parari?* Veruntamen ea tempora ſunt, vt ſi rei faciendæ ſtudere voluiſti, miſsis ab initio, relictiſque literis, fieri te rabulam oportuerit, aut inſtitorem, & argentarium, aut ad annonæ pretia, & agrorum reditus animo curaque conuerti. Me quamquam hic præcipuus ex literarum & literatorum contemptu vrit dolor, tamen adoleſcenti ſuauiſsimo quid ſit meæ ſententiæ oſtendam. perſolue patriæ tuæ, quod debes: ætatis flore viridiſsimo es; nullum onus, quod imponas, humeri tui recuſant ferre. quid ergo? pubes te florentiſsima circunſtat, & pendet ex ore tuo. intende ſodes officia, ciuibuſque quorum voluntatis erga te filios obſides habes, redde hanc vicem, vt nihil in erudiendis eorum liberis laboris omittas; in quorum animis ac ingenijs tibi futurum honeſtiſſimum exiſtima, ſi tuam doctrinam proſeminabis, ac neſcio quomodo propagabis. Sed inepti ſumus, qui tam multis verbis currentem incitemus. quin potius id agamus, quod agimus, pergamuſque ac feſtinemus ad finem? Qua, rogo vos, fortuna ſunt vſi ſcriptores nobiliſſimi, qui ſuum ſeculum voce, poſteritatem verò præclaris monumentis ingeniorum ſuorum erudierunt? Plerique cum adhuc viuerent, obſcuri, ignotique latuerunt: aliqui ſine delicijs, vitæque commoditatibus, atque ſine omni ſplendore vitam inopes famelicique traduxerunt, *quibus neque ſeruus erat, neque arca:* nonnulli etiam, qui eloquio permulcere feras, cantuque flectere debuiſſent, laborauerunt inuidia, & cum flagitijs labefactari ſuis non poſſent, ingenij admiratione perierunt. Tum demum functi ſuo fato ſummi viri, nulla ſcilicet vltra ſepulturam progrediente malignitate atque liuore, & iam ſpatium nacta fama hac illac diſcurrendi, & libris paulatim in varias gentes atque oras diuenditis, magnam, ſed ſeram gloriam conſequuntur. Sentiſne, Cereſole, fortunæ tuæ quantum debeas? etiamnum adoleſcens

De philoſophia.

Catull.

ſcens es; iàm tamen celebris es opinione ſummæ doctrinæ, amaris etiam ab ijs, quibus vt te viderint, nondum contigit, alienis iuxta atque tuis charus & iucundus es, & cum gloria ſis tanta, quantam rari poſt cineres habent docti viri, ea beneuolentia frueris hominum, vt inuidiæ oculos effodiſſe, criminatoribus excuſſiſſe dentes, & malignitati pus & venenum eripuiſſe videaris. Atque de hominum quidem de te exiſtimatione, atque ſtudio, nihil minus metuo, quàm nequis me fingere arbitretur. Homerum, vt ſcis, vendicauerunt ſibi tot gentes & ciuitates, quæ cum magnam ſuam dignitatem & apud exteros populos exiſtimationem in eo verti crederent, ſi ſe tanto ciue iactare poſſent, & aliquid de vatis eius diuini patria probarent, non paucorum ciuium factione, ſed clamoribus populi, & publica auctoritate inter ſe ciuitates permultæ iuerunt ad arma, vt quod fortaſſe iure legibuſque non poſſent, armis tuerentur. Sed nimirum mortuo habitus ille honos fuit Homero, vt Chij, Salaminij, atque Smirnæi inter ſe de patria eius decertarent. Iam tu te, Cereſole, aude aliquid eſſe putare. Non tuum funus fauor hominum expectauit: ſummis viribus atque ſtudijs certari vidiſti, vtri Cereſolum haberent, atque fruerentur ingenio moribuſque tuis. Quid iſta? Vera à me proferri nouerunt omnes; neque enim apud Machlyenſes, vt Lucianus ait, neque in Alania res hæc geſta eſt; neque obſcurè aut clanculum, neque per obſcuros viros, neque item ignobiles proci hanc Helenam aut Penelopen expetiuerunt. Quandiu enim de Cereſolo hinc quidem purpuratus MONTIVS, qui hodie ad Eccleſiæ Ambroſianæ clauum feliciſſimè ac vigilantiſſimè ſedet: inde illa immortalis VENETA Reſpublica, non armis, ſed precibus pugnauerunt? Non vnum menſem aut alterum; ſed multo plures tenuit ea controuerſia, cùm hic Antiſtes voti ſacratas leges obtenderet, illa Reſp. prætexeret ius patriæ: hic cur eum ſibi retineret, diceret Cereſolum in ſuis ludis atque adeò penè ob oculos ſuos profeciſſe, illa ſibi cur vendi-

In Toxari.

vendicaret, eum qui tantum profeciſſet, intra fines imperij ſui in agro Veneto genitum & ſuſceptum reſponderet: hic eum vſu eſſe ſuum factum probaret; illa eſſe penè mancupio ſuum defenderet: hic ſimilium ſe adoleſcentum ſtudio teneri doceret; illa ſe adoleſcentum eiuſmodi laborare penuria non deſineret oſtendere. Quæ inuicta reſp., cùm eam tantam vim lignorum in naualibus, tantam telorum in armamentario, tantam etiam auri argentique in ærario ad ſalutem, præſidium, & incolumitatem imperij, huius autem ingenium ad eiuſdem imperij ſplendorem atque dignitatem pertinere exiſtimaret, tandiu & legationibus & repetitis per ſuum oratorem precibus expugnare humaniſſimi præſulis noſtri voluntatem ſtuduit, donec volenti reip., orantique tam enixè, annuit ad extremum Eminentiſſimus Purpuratus, atque conceſſit, vt Cereſolus eius reip., in qua genitus fuiſſet, rationibus deſeruiret. Tanto ſtudio atque tam eximia voluntate tuorum optimatum quid amplius aut quid magis honorificum à Deo Immortali exoptare potuiſti? hoc enim totum cuiuſmodi eſt? eſſe quempiam vnum adoleſcentem, quem Reſp. Veneta repetierit, quem non ſuis ſuffragijs ad honores proferri ac euehi, flagitioſum iudicauerit, de quo recuperando occupata ſtudijs belli tota curia laborauerit, cuius vocem vſquam alibi potius audiri, quàm à ſe, eadem curia non eſſe ex imperij ſui dignitate crediderit, quem excitatus fama eius ingenij, & ſingularium virtutum opinione commotus Senatus Ampliſſimus reuocarit, ac penè ſuis humeris in patriam reportauerit. Nam cum plurimum negotij à bonis viris & doctis in eo ſuſcipiatur, quemadmodum ad famam & notitiam perueniant, quid domi tuæ, quid Bergomi, quid Venetijs magis notum reris eſſe, quàm te ipſum; ad quem reducendum ſeſe tota reſp. excitauerit? Sunt tibi cætera in procliui. Cum enim videbunt ciues tui, quem virum, quo iure abſentem amauerint, cum præſentis ſummam doctrinam intuebuntur, cum reduci exemplo tuo ſentient literas, cum etiam æneis formis deſcriptos legent

præcla-

præclaros tuos labores, & commentationes; atque te cum comparabunt cum ijs, quos impenſo pretio ab exteris regionibus ad doctrinas tradendas acerſunt, non dubitabunt proferre te, ac alijs gentibus oſtendere. Nos verò amici tui quid faciamus? quidni te iucundius & arctius complectamur, probatum ijs viris, quos errare in iudicando nemo niſi flagitioſè poteſt ſuſpicari? Neque nos ſolùm, ſed ipſum impolitum & rude vulgus, atque ipſi omnium literarum expertes opifices viliſſimi, non temerè neque ineptè iudicabunt, doctrinam eximiam eius eſſe oportere, quem velut iniecta manu alij retinere, alij repetere perſeuerauerint, quo Heroes illi ſapientiſſimi carere ſuam rempublicam noluerint, & quo niſi reuocato in patriam conquieſcendum ſibi non eſſe ſtatuerint. Ego nunquam dignitati commodiſque tuis inuidi; qui tametſi facilè ferebam, ſummis vtrinque ſtudijs ingenium tuum tantùm non conſecrari, tamen cum vicit patria tua, & gratia precibuſque obtinuit, vt migrares à nobis, tum verò tacitus ingemui, & fortunas noſtras deploraui, ac defleui mœrens noſtræ ciuitatis ſolitudinem & orbitatem. Ita ne, dicebam, vt alia ſe tellus in tanto viro iactare poſſit? Dimiſimus hanc Danaem, quam omnes beneuolentia velut ænea turri ſepiri & conſtringi voluiſſemus? Plus alij in oppugnando, quàm ipſi nos in defendendo poſſeſſionis noſtræ iure pertenderunt? Hæc per gentes fama diſcurrat, malignè hìc alimenta præberi virtuti ac induſtriæ? Neque omnes egreſſus obſtruximus, & velut corporum noſtrorum oppoſitu ſepiuimus, quone excederent amores noſtri? Abijſti, quod benè vertat. deſiderium noſtrum illa res vna conſolari poteſt, ſi nobis de te ſollicitis ſæpe illud renunciabitur, ciues tuos, & reip. Venetæ proceres non minus exornandi tui ſtudioſos eſſe, quàm habendi cupidi fuerint. Sed enim ius togę & annuli dari tibi à nobis num ea cauſa voluiſti, vt malè obductam cicatricem reſcinderes, & auditus denuò ac viſus renouares eam cogitationem nobis, quam vim ingenij, quantam ſuauitatem

morum, quem theſaurum boni, te proficiſcente, amiſerimus? Illud ſi ſpectauiſti, vt ab amicis & beneuolentibus honorem peteres, (Bone Deus!) quæ gens eſſe poteſt tam diſſona, & moribus tam fera, barbara & immitis, quæ voce tua non capiatur, & omnes continuò non conferat honores ac ſtudia? Sin à nemine alio, quàm à nobis exornari voluiſti, ſuperi omnes omnibus copijs & bonis tantum amabilitatem vnius adoleſcentis cumulate, in quo voto libenter deſino. Dixi.

In Laurea HERCVLIS ALBERTINI *PANEGYRICVS*

Qui inſcribitur Hercules minimè furens.

CVM ſemper adhuc ingenio Herculis Albertini plurimum tribuerim, eiuſque adoleſcentiæ rationes optimè conſtitutas qua mecum tacitus, qua etiam cum alijs collaudare amiciſſimè, atque iucundiſſimè conſueuerim, quid iam oblata dicendi publicè facultate dicere incipiam, niſi me forum nactum fuiſſe? Neque tamen in hoc Hercule noſtro exornando mihi Lindios eſſe imitandos exiſtimo, qui ſe Herculi Thebano ita demum ritè ſacra facturos rebantur, ſi bouem ei cum plurima dirarum imprecatione, vberrimaque conuiciorum ſegete immolaſſent. Egone qui nondum mihi quidquam in vllum mortalem permiſi, allatrem nomen adoleſcentis verecundiſsimi, ac in eum, quo ne optare quidem poteſt meliorem

Natalis Comes in Mythol. lib. 7. c. 1.

liorem parens optimus, acerbiſsima quæque maledicta, & petulantiſsima conijciam? Ne ſic meos amicos demerear, ſuperi omnes prohibeant. Quamquam enim Albertinus maius quiddam ſibi in adoleſcentia inſtituenda, atque in doctrinis conſectandis propoſuit: gloriamque & publicum virtutis teſtimonium, quaſi aliquam acceſsionem, tantùm non aſpernatur, tamen quæ ratio eſt, cur debeat poſt tantum collectum puluerem in ſpatijs literarijs, tandem os ſuum conſpuendum, & contumelijs afficiendum præbere? Barbarorum quidem certè rationem, & tantam inſulſitatem nequeo ſatis mirari; qui ſuos Deos poſſe irritando, & probris inceſſendo placari ac demulceri crediderint. qui ſi Herculem appellando rapacem, inhoſpitalem, periurum, & furem armentorum, quæ omnia quanto verius, tanto etiam conuenientius de Caco, Antæo, & Buſiride dixiſſent: denique ſi per omnia inſultando, quæcunque ſolet vinitor Campanus in prætereuntes ingerere, ritè ſe tamen, & piè peragere ſacra arbitrati fuerunt, non equidem intelligo cur vicisſim ea, quæ omnium temporum conſenſus Herculi tribuerat, iidem illi religionum cultores eximij, & patriarum ceremoniarum præclari cuſtodes, Buſiridi, Caco, & Antæo non potuerint adſcribere, ac eos pugnis victores omnibus, monſtrorum omnium ſecurim & perniciem, denique heroas fortiſsimos prædicare: ſcilicet omnia præpoſterè. Sed enim eorundem fuit ſacra Herculi facere nefaria cùm iurgijs & maledictis, atque Ocymum cum conuicijs ſerere, & Cuminum cum imprecatione dirarum; quæ olerum duo genera poſſe aliter prouenire conſtantiſsimè negauerunt, quàm ſi inter ſerendum precarentur ne exirent, & ſementem maledictis proſequerentur. Nos verò quibus in rebus, & quatenus inſanauerint illi veteres, erroris in tantis tenebris, ſuſque deque feramus. Te quidem, Albertine, colendæ virtuti natum adoleſcentem, Gratiarum Muſarumque in amplexu educatum, de quo ne liuor quidem adhuc, aut malignitas mentiri ſuſtinuit,

Plin. lib. 19. c. 7.

quemad-

quemadmodum poſsim exornare, cogito cum primis enixè. Nomen tuum iſtud auſpicatiſsimum, quo es notus, quid ſequar in dicendo, præſtat mihi. adoleſcentulum literis hactenus innutritum cum Hercule comparabo illo ſtrenuo, inſectatione, interituque monſtrorum notiſsimo; ſed ita, vt vera cum fabuloſis, certaque & exploratа cum vanis conferantur; Nulla hic claua, at ne Leo quidem, aut aper Erimanthes: nullus fuſus ac ſtamen, at ne quidem Omphale: nulli denique angues, at ne Iuno quidem, quæ meretricios, & inceſtos amores vlciſcatur.

Hercules ille Thebanus; quem ferunt ex Iouis compreſſu Alcmenam peperiſſe; ſiue Sampſon fuerit ille virium monſtroſarum Hebræus, quem denique pertæſum vitæ, ædium palatinarum oppreſſerunt ruinæ: ſiue fuerit Milo Crotoniata, qui bouem, quem geſtauerat in theatro, illiſu pugni necauit: ſiue quiſquam alius è fabuloſa Græcorum natione, haud dubiè vir fuit robore virium præſtantiſsimus, & rerum effector admirabilium, qui modum humanum ſupergreſſus diuinæ famam originis inuenit. Illud inter vtriuſque intereſt primordia, quod heroa Thebanum ediderunt parens adulter, materque corrupta: Albertinum verò è caſtiſsimo connubio parentes optimi ſuſceperunt. Cæſariſne (hoc enim nomen patri) cubiculum Iouem vllum perſultauiſſe? talis & viri & ciuis quemquam concuſsiſſe lectulum? aut pudori Eleonoræ matronæ ſingularis exempli corruptorem vllum illuſiſſe? denique in tam caſtam domum, atque tam omnibus flagitijs occluſam ſtuprum à quoquam ac turpitudinem inferri potuiſſe? hæc mirum eſt, quantum à moribus abſint vtriuſque, atque ab ea religione ſummi officij, quæ ita propria laus eſt & perpetua conclauium caſtiſſimorum, vt ea vos iure merito Veſtæ adyta, & ſacraria pudoris poſsitis appellare. Naſcendi porrò ſortem Herculi in vtroque fuiſſe ſimillimam, vincam rebus veriſsimis. Alterum enim cum parens enitebatur, fœdato repentè die, lumineque nubilis intercepto, tonitrua & coruſca fulmina adeò

perterruerunt orbem terrarum, vt nemo non adeſſe ſuprema putaret: imbriumque atque grandinis fuit vis tanta præcipitata, vt cum poeta vellet ſpurcam tempeſtatem commemorare, eam nominauerit *Alcmenam Euripidis.* Alterum enixa mater eſt, cum Inſubres latè populabatur peſtilentia. quo tempore pagi, vrbeſque tanquam in vaſtitate ſqualebant, expirantium & legem ſui fati expectantium erat facies miſerabilis, ac ita domus nulla periculi erat expers, vt cladis eſſent perpaucæ. In ea deformitate rerum, in tanta ira ſuperùm, interque ea terricula ſic Herculem peperit Eleonora, quemadmodum ſuos ceruæ catulos, quos Ioue tonante abortu feruntur eijcere. Minimè verò in tanta cauſa neque cum Theocrito Græcorum feſtiuiſsimo nugabor, qui nobis paruulum Herculem exhibet, eiuſque de illa primore ætatula omnia mira commemorat: neque cum Martiali lepidiſsimo Latinorum, qui exhibet Herculem fictilem, & puſiunculum, ſed ſe de nomine ſuo mirificè iactantem. Nihil hæc ad noſtrum inſtitutum; illud verò, quod de falſo Hercule clauam non robuſtam, ſed inanem & leuem geſtante comminiſcitur poeta Menander, ac totâ deridet comœdia, minimè omnium facit ad inſtitutum. An propterea falſus Hercules Albertinus, quòd nuſquam hic genitor Iupiter eſt? immo clarorum virorum in procreatione quidam eſt opifex Deus, eoſque de luto meliore fingit, atque ad agendum tum ingenio, tum lacertis firmioribus inſtruit. An quod nuſquam ab hoc adoleſcente perdomita monſtra horribilia, nuſquam repreſſa crudelitas tyrannorum? immo perſæpe, atque multorum; immo & virtus promptior, & conſtantia maior, & magis periculoſæ dimicationes, & victoriæ multo lætiores. Sed erit propediem rei huius locus pertractandæ. Illa tua, Hercules Thebane, expeditio, cum Iaſonis ductu & auſpicijs in Colchidem ad illud poetis omnibus decantatum vellus aureum, cum cæteris Argonautis nauigandum ſuſcepiſti, cuiuſmodi demum fuit? penè quidquid fortium virorum erat vſquam

Plaut. Rudent. 1. ſ.

quam

quam in orbe terrarum vna illa vehebat nauis. Quinquaginta erant, omnes ſuffragio & commendatione ſummæ virtutis electi. ijdem remiges, qui vectores, & epibatæ. omneſque antea quàm nauim conſcenderent, poſita in litore ara litauerunt Concordiæ, orſique ſic à re diuina oras ſoluerunt. Vnus Hercules ex eo heroum fortiſſimorum manipulo grauis erat vniuerſis, & qua rigebat aſperitate morum, quemque leuibus momentis adoriebatur jurgijs & morte territabat; reſque demum eò proceſſerat, vt cum vnus omnes inſectaretur, vnum odiſſent peſſimè vniuerſi, eiuſque è grege ſuo exigendi opportunitatem ſummoperè expectarent. ſortè res ita cecidit, vt cum eſſet etiam ſtolidè ferox, diffringeret remum. quem cum ad petendum è proximo nemore remum alterum expoſuiſſent in Myſiæ litus, anchoris repentè ſubductis deſtituerunt. O præclarum Herculem! quid agis ignotus & hoſpes inter ignotiſſimos? quid enim perfidiam incuſes cuiuſquam, excuſſus è nauigio, & è manipulo expunctus? an ſcilicet itinere toto eſſes in naui, quod ſolet eſſe Laurus INSANA, cuius ſi ramus aliquis in triremes inferatur, rixarum, iurgiorumque ſeges exiſtit vberrima; neque niſi abiecta excuſſaque lauro res poſſunt ad tranquillitatem redire? Sed iam loquor vobiſcum, Viri Clariſsimi, qui tam benignè me dicentem auditis. Si nondum ſcitis, homo homini quid diſtet, expeditionem Herculis Thebani cum expeditione comparate, quam ante hos decem annos in Parnaſſum ad regna Muſarum ſuſcepit Albertinus. Ibant vnà duceni, flos medius fidius Italorum adoleſcentum. Cum iiſdem omnes auſpicijs, & ſub iiſdem deſcripti ſignis rem inſtituiſſent, ſecundo demum exeunte luſtro ſummas arces montis, pauci è multis tenuere. Qui viarum anphractus? quæ tædia tam longinquæ militiæ? quæ perpeſsiones malorum? at inter iſta, ſumma concordia vniuerſorum: at nullus diſsidentium ſtrepitus: at omnia obedienter & obſequenter Hercules noſter: at idem ad ſigna frequentiſsimus,

Plin. lib. 17. c. 44.

Idem elegantia vitæ, admiratioueque virtutis charus omnibus, iucundusque: at patens cuique eius domus, & prompta benignitas, & ſumma in omni officio diligentia; vt cum vnum omnes amarent propter ſynceritatem, eundem propter induſtriam, religionem, & modeſtiam admirarentur. Quale illud tuum factum, ò Thebane heros inclyte, quod cum eſſes ingenio paulò tardiore, atque plagis ad diſciplinam impellereris, citharà magiſtrum interemiſti? quàm id palmarium tibi? hanccine adoleſcentem rependiſſe vicem præceptori ſuo, vt in illum inſilierit, neque ante finem cædendi fecerit, quàm eum è viuis eiecerit? itane omnis exceſſit ex animo reuerentia ætatis? ita nomen præceptoris & auctoritatem proiectam habuiſti? quid ſcilicet proximum fuit, niſi vt guttur ipſum frangeres parentis tui, ſi is fuiſſet, cui poſſet aliquid humanitus contingere? Attamen id quoque per me ferat Hercules impunè. neque enim ipſe in repetenda pœna pertendam amplius, quàm iudices ipſi fecerint, quos apud cauſam dixit homicidij, quorum ſententijs ferunt fuiſſe Herculem abſolutum. Neque ſanè hæc à me exprobrandi, obtrectandique cauſa dicuntur, ſed vt, quàm feruido ingenio fuerit Alcides, quàm cæca iracundia & præcipiti, quamque fero ac indomito animo, poſsitis cognoſcere. Is tamen poſteaquam ira mente deceſſerat, perinde atque diſcuſsiſſet ebrietatem, tum demum magnitudinem facinoris ſera æſtimatione penſabat: ſubeunteque iam animum pudore & pœnitentia diſcruciabatur, torquebatur, macerabatur, & quemadmodum haberet deinceps animum in poteſtate, anxiè ſecum ipſe reputabat. At ne illud quidem dicam exprobrandi cauſa, ineſſe Albertini ingenio parem ferociam, gemellos germanoſque impetus, ſimillimas concitationes animi, ac fortaſſe etiam vehementiores; quas tamen cum ita compeſcat, & ratione adhibita moderetur, vt nihildum fecerit, in quo lenitatem eius & conſtantiam deſiderare poſſitis; Vtrum illi turpius fuit, eſſe commiſſum turbulentiſſimæ tempeſtati, an

Plaut. Bacch. 1. 2.

in ea rectum curſum & inoffenſum tenuiſſe? eſſe equo impoſitum ferocienti, an eum fræno parere docuiſſe? Neque enim ſimiliter ſe motibus animi ſui raptandum auferendumque Hercules permittit, quemadmodum qui equum furentem conſcenderat, quem ita curſu vehebat iumentum pernici ac præcipiti, vt obuio amico & percontanti, quò abiret? ille aptè reſponderit: *Quo me cunque deferet equus*. Diui meliora, quàm vt mortalem quemquam, ne dicam vt magiſtrum ſuum Hercules Albertinus non ſicca morte ad Orcum demittat; qui ne quidem eò proceſſit vnquam, quò Achilles Homericus, quem in illo aduerſus Agamemnonem iurgio manus admouentem capulo Pallas à tergo reuocauit. Diui boni! hiccine tam liberaliter inſtitutus, tam eleganter doctus, denique ſtudijs pietatis, & literis humaniſsimis innutritus quidquam faciat minacitér, ferociterque? cuiquam afferat manus, & plagas imponat? aut ſeſe omnino ratione inuita commoueat? Immo ne qua pars vitæ diſsideat, atque adeò ne quid vel in ſermone ſit aſperum, nèue vox vlla, cuiuſquam accidat ad aures acerbior, ſumma contentione peruicit, vngueſque omnes ac dentes, ne quid perperam audeat, ab ipſis ſtirpibus, radicibuſque euellit iracundiæ: quam denique pertractando, compeſcendoque & aſſuefaciendo, ceu quandam feram beſtiam, edomuit & manſuefecit. Ad hoc vnum ab Albertino monſtrum edomitum ſi tua illa monſtra comparas, Alcides, quæ adeò ſunt in ore omnium, quibus interimendis decus tibi ſempiternum quæſiuiſti, primas in virorum ſapientum iudicio ferat Albertinus oportet. Mitto quod ſunt hæc tua monſtra ſtraminea, & nata in poetarum libris, quæ omnia ebria poeſis effudit; cum illud monſtrum Albertini viuaciſsimum ſit, ſanguinarium, contumax aduerſus ictus ac diſciplinam, & niſi ſummis viribus enitare, inuictum & impenetrabile. Mitto quod ad illa monſtra conficienda telum tibi eadem poeſis, faceſque ſubminiſtrauit; ad hoc interimendum ſunt è ſapientiæ, religioniſque

Iliad. a.

 arma-

armamentario tela depromenda, deuocandæ copiæ auxiliares è cælo, dubioque & periculoſo marte decertandum; Quanto ſunt illa præſtantiora, quæ viribus animi, quàm quæ corporis geruntur? Tametſi nihil eſt, cur labores fortiaque facta ſeiungamus vtriuſque, cum re ex eadem, pari vterque tum contentione animorum, tum felicitate, idem ſibi decus appetierit. Leo ille, qui de Lunæ circulo deſcenderat, proſilienſque identidem è ſylua Nemea & in obuia quæque irruens, ſtragem tum hominum, tum armentorum edebat, quem denique venabulo tranſuerberauit Alcides, ſunt poetarum meræ nugæ. Nam vt hoc præteriens addam, minus mihi admirabile contingit, confici viri præſertim valentiſsimi telis feram potuiſſe, quàm è Lunæ circulo, tanto ſcilicet interuallo, decidiſſe incolumem, cum Vulcanus de cælo præcipitatus crus confregerit, datuſque è turri præceps Troianus Aſtianax omnibus contuſis artubus expirauerit. Quàmquam tum Hercules ferocientem, latèque omnia deuaſtantem leonem edomuit, cum efferueſcentes illos motus animi ſui, & multo concitatiores, quàm vt facile poſſent regi, ac in officio contineri, multo ſtudio coercuit, ne quod aliquando in præceptorem auſus fuiſſet, temerè auderet in quemque, nèue ſe Hippolyti exemplo equis auferendum indomitis permitteret. Quod magnæ virtutis opus cum etiam tam multis poſt ſeculis præſtiterit Albertinus, quid eſt, quo minus illum cum Dauide, cum Sampſone, denique cum Hercule comparemus? quo minus ei quoque decus leonis deuicti aſſeramus? quo minus denique ipſe de tam fera beſtia compreſſa & iugulata poſsit trophæa ſtatuere? Illa verò, quæ memorant, & nouitate ſingularia, & magnitudine præſtantiſsima, Cacum in Auentino colle, Antæum in Mauritania, Buſiridem in Ægypto, in Hiſpania Geryonem, Diomedem in Thracia, partim latrones nefarios & infeſtos, partim tyrannos crudeliſsimos, quà ferro & iaculis, quà claua, quà igne, quà lucta, ſublatos ab Alcide fuiſſe, me res tantæ admiratione obſtu-

Senec. in Troad.

obſtupefaciunt, demirantem quemadmodum vnus tot hoſtes humani generis exterminauerit, ac tam diuerſos, & regia maieſtate inſignes, & virium magnitudine præſtantes, & mole corporum terribiles, & multis claros palmis ac victorijs: atque tot gentes ac terras peragrauerit; præſertim cum etiam ad montes Hyperboreos & Caucaſeos ſe contulerit ad Prometheum exoluendum, ac inde ad fretum Gaditanum penetrauerit. Huc addite Centauros cæſos, Stymphalides confixas ſagittis, deletas ab ipſa ſtirpe Amazonas, igne ferroque extinctam Hydram, Taurum Cretenſem, Calydonium Aprum interemptos: addite beſtias igniuomas, gygantesque terrigenas & tricorpores; denique quid non? Sed enim reſpirate, Viri Clariſsimi, metumque ponite, nullum vobis hæc tanta monſtra periculum denuntiant; ad eaque conficienda nihil Herculi noſtro venabulis opus fuit, omnia robore ac magnitudine animi debellauit. Quid enim ſub his ferarum nominibus & ſpectris deliteſcit aliud, quàm multiplices, flagrantiſsimæque cupiditates, quæ habent cæcos impetus, famemque inexplebilem, excurruntque perſæpe ad iniurias aliorum, & intus etiam in animis hominum incluſæ ſæpe ita inter ſe diſsident, vt nulla magis; quas niſi maturè debilitemus atque frangamus, nullam deinceps conditionem recuſare poſſumus duriſsimæ ſeruitutis, & collo nobis eſt accipiendum iugum grauiſsimum. Quotquot eſt quiſquam cupiditatibus obnoxius, tot ſeruit dominis impotentibus, qui cum etiam multum inter ſe diſcordent ac pugnent, neutiquam poſſunt eadem imperare. Etenim ſi quando ſegnities iubet in medios dormire dies, auaritia contra iubet prima luce adeſſe in agro, in foro, in portu: ſi quem aleæ ſtudium cogit deſidere, eum excitat etiam nocte intempeſta dulcedo ſumendæ vindictæ, aut explendæ voluntas libidinis: cum tenacitas temperat ab impenſis, amor, ingluuies, luxuria iubent profundere. Heu illos miſeros, quos obſident hæ peſtes & tortores, & quorum mentes hæ furiæ intrauerunt! Cum

enim omnes animi partes commoueant, vbi inter hæc dignitas & officium? vbi virtus? vbi tranquillitas & ſecuritas poſſunt conſiſtere? ijs autem reſiſtere, ſedare commotas; & incenſas reſtinguere non eſt cuiuſcunque, quem ad rem ferro gerendam alipta inſtituerit; cum perſæpe qui hoſtes armatos fudit, qui vrbes expugnauit, qui regna euertit, qui condidit imperia, ceſſerit hiſce hoſtibus, ac ſe illis vinciendum, deſpoliandumque tradiderit. Non eſt, inquam, cuiuſcunque, domitas habere libidines, & cupiditates coercere, ſed eius tantùm, qui auctoritate, nutuque diuinarum legum ducatur, & quem Socrates, aut Epictetus, aut quiſquam alius ſapientum è numero ad vim ſibi faciendam inſtituerit. Hæc ſcilicet ea monſtra ſunt, contra quæ Hercules Thebanus conſtitit armatus, & quæ fortiſſimè ac feliciſſimè debellauit. Neque tamen ita Herculi Thebano hanc laudem tribuo, vt eam detraham Albertino; cum in ea re multo Hercules ſimilior fuerit Herculi, quàm vnquam in fabulis Soſiæ Soſiam, aut Menæchmo Menæchmum ferant fuiſſe. Si quid perturbationibus indulſit Albertinus, & cupidè aliquid, diſſolutè, aut intemperanter fecit & copioſus, in re lauta, & adoleſcens minimè hebeti ingenio, & venia tam parata, *Nunquam edepol vos mihi diuini quidquam credatis poſt hunc diem*. Amori præcipuè & libidini, quæ omnium cupiditatum eſt vehementiſſima, quemadmodum obſiſteret, & eius artes eluderet, laborauit cum primis Hercules Albertinus. Si neſcitis, (quamquam quis id neſciat?) quiddam id ferox eſt, confidens, inſanum, impudens, illecebroſum, eſt audendi auctor peſſimus, fallendique & irretiendi artifex callidiſſimus. quos ſemel inſilijt, eos *magno atque ſolido mulctat infortunio*, & tanquam oeſtro percitos, vbi diu exagitauit, agit præcipites; habet enim faces, quibus etiam Neſtorem incendat. Sed verbis quid opus eſt? ſummos quoque viros quotidie in naſſam attrahit; plurimoſque qui potentia, qui laude militari, qui ſapientia floruerunt, agit in triumpho

Plaut. in Amphit. & in Menæch.

Plaut. Amphit. 2. 2.

Idem in Mercat. in prol.

pho captiuos. Cupidinem appellant Latini, ego perniciem, illecebram, peſtem, labem humani generis & planè furiam, quæ ſemel cuiuſquam illapſa in animum, ita depopulatur omnia, vt ipſum animum, ceu quendam Cyclopem, ne, quid honeſtum ſit, poſſit intelligere, prorſus (ſic enim dicam) exoculet, atque totum à recto ſenſu detorqueat. Ohe in amorem tam multa? ita ſanè: quid enim in ea re ſatis pro eius turpitudine dici à quoquam poteſt? Quæ peſtis necunde ſuum in animum immigraret, ſepſit Albertinus omnes vias: & Amori marinis fluctibus orto alterum illum Amorem aurea catena cælo demiſſum oppoſuit, qui mentes diuinis cognatas ad natiuam, incorruptam, & optimam pulchritudinis formam conſectandam incendit. quid enim huic cum illo periuro conuenit, qui plerunque tenebras captat noctis concubiæ, & ſancti habet nihil, Harpyarumque more *contactu omnia fœdat immundo?* Amorem ergo, auctorem obſcænum voluptatis, minimè ſanè pepulit, (neque enim vnquam admiſit) ſed excluſit Albertinus, recepto & introducto in arcem animi ſui Amore illo Socratico, qui eos, quibuſcum habitat, ſtudio mirifico incendit honeſtatis, vitæque partes omnes optimis auſpicijs & conſilijs adminiſtrat. Quid enim aliud, quàm Amor, Euriſtheus ille fuit, qui Herculi ardua tam multa, laborioſaque, & cum ſummis periculis coniuncta imperauit? quid eum iuſſit latrones omnes, vbicumque forent, bello perſequi, & monſtris orbem terrarum repurgare? quid etiam hominem adegit, vt regna Ditis adiret inexorabilis, ac inde inuitis Auerni legibus Theſeum ad hanc lucem communem extraheret? quid compulit, vt tam procul ab domo Prometheum quæritaret in monte Caucaſo, & aquilam eiuſdem iecur vorantem ſagittis configeret? quid denique compulit, vt pro Atlante cælum aliquando ſuſtineret, & eos labores omnes ſuſciperet, *quorum Graij Latinique meminere poetæ?* Sed ades, Albertine, mihi tecum res eſt. Tibi quid iſtam mentem indidit, vt vitam inſtitueres tam laborioſam? vt tibi iucundarum

Æneid. lib. 3.

Virg. Georg. 3.

candarum rerum tam multarum vſu interdiceres? vt ad iuges vigilias perferendas aſſuefaceres corpuſculum? vt eas moleſtias velles perpeti, quas habet doctrinarum comparatio, atque per diem noctemque ſtudia continuares? Vnde quis ignorat, quæ vis doctrinæ emicuerit? quæ notitia literarum interiorum? qui ſplendor orationis? quæ denique totius vitæ dignitas? Herculis Albertini labores infinitos in animo expoliendo conſumptos cum cogito, venit è veſtigio in mentem mihi, inueſtigare, an fortè & ipſe ærea habeat inteſtina, quemadmodum ferunt Didymum Alexandrinum Grammaticum habuiſſe, quem propterea Græco nomine Chalceutera, hoc eſt, æneum, & (ſic dicam) indefatigabilem dixerunt. Vellem equidem ſibi Thebanus heros aliquanto magis conſtitiſſet, & collectam benè agendo gloriam paulò cuſtodiſſet attentiùs. qui ſanè quandiu occurſat periculis, agitque & ſatagit, & ſibi prouincias ac regna monſtris ac tyrannis ſublatis deuincit, tandiu mihi Hercules eſt. cum verò abigit ac integrum deuorat bouem aratorem, atque ſtola indutus muliebri torquet ſtamen inter ancillulas, tunc adeò mihi eſt quiduis potius, quàm heros, & quàm Hercules, vt ne virum quidem poſſim agnoſcere. In Albertino ſecus omnia. Ita enim ſe dedit animo excolendo, vt nunquam laſciuierit: ita in inſtituto negotio virtutis verſatus fuit, vt eò ſemper & horas omnes, & cogitationes contulerit; ac ita ſemper velut in fabula partes egit adoleſcentis induſtrij, vt ſocordis, vt ebrij, vt nebulonis nunquam egerit. Mihi certè, quantum cogitando poſſum totius huius adoleſcentiæ reminiſci, vbique Hercules occurrit pudicus, diligens, de dignitate ac laude ſollicitus, nunquam furens, nunquam ineptiens, nunquam gurges & heluo, nunquam degener, & effœminatus, nuſquam denique ab vlla Omphale aureo ſandalio verberatus: qui cum legit quæ ſophiſtæ de Medicis delicijs, mollitie Ionica, menſis Siculis, Sybariticis tripudijs, Corinthijs meretriculis: aut cum æqualium ſermonibus intereſt de forma

Theſau. L. L.

Lucian. to. 1. in Deorum Dialog.

muliebri, deque Thaide ac Cynthia paulò inuerecundiùs colloquentium: aut etiam in Virgines cùm incidit ſcitæ formæ ac elegantioris, quid facit? fermè idem, quod apud Menandrum adoleſcentes verecundiſſimi, quos leno mortalium ſacerrimus ac impuriſſimus inductis repentè magnificis aliquot & formoſis meretricibus conabatur ad res turpiſſimas allicere; quos ait poeta ictos re inopinata fuiſſe, & arrodendis intentos bellarijs, ad alia omnia ſuos oculos conuertiſſe. Hiccine de viro fœmina, quod dixit de Alcide Tertullianus? hiccine, inquam, qui ne ioci quidem cauſa, ſcortilla memorat, & meretriculas, ratem impingat ad hunc ſcopulum, & florem dignitatis infringat? Apud Plutarc. de tuen. bona valetud.

Exhauſta clepſydra eſt, & cauſa quocumque tandem ſucceſſu peracta. Metuebam equidem à primordio, ne non ſatis Hercules Albertinus argumentum expleret; ſed, niſi me fallunt omnia, redundat etiam & ſuperfluit. Herculem hactenus exhibui caueæ & ſcenæ, non illum petitum è fabulis poetarum, voracitatis inexplebilis, importuniſſimæque libidinis, ſed alium quendam magis recto ingenio, maioreque constantia, qualem eſſe eum oportet, qui debeat remp. capeſcere, & qua voce, qua exemplo vitæ caſtiſſimæ ſit publicæ diſciplinæ cenſor futurus. Erit, erit propediem illud tempus, Hercules Albertine, cum pro tui magiſtratus munere tuæ mores ciuitatis emendandos ſuſcipies; quo tempore præſtabis ſcilicet, quod etiamnum deeſt tuis laboribus Herculeis, altiſſimoque obſitum fimo ſtabulum Augiæ repurgabis. Ergo eò conferas tuas copias & curas omnes: ad eamque rem te compara, quemadmodum opem plurimis & ſalutem poſſis afferre. Columnas quidem certè ac metas figere in Gaditani freti faucibus extremis, hominis fuit feſſi, languentiſque atque de otio & tranquillitate vitæ cogitantis. Tu metas, ſi quas tibi fixiſti, fac reuellas. Etenim excedere viuus è ſpatio, viuuſque cauſam publicam deſerere non debes. hoc tibi cum primis futurum palmarium putabis

biſ & Herculeum, ſi te, poſteaquàm agendo & bene de hominum genere merendo contriueris ætatem, tum demum mors quoque deprehendet in opere. Dixi.

In Laurea

PHILIPPI MONTII In Oppido Legnano Præpoſiti

PANEGYRICVS.

QVàm libenter hodie feciſſem alterutrum & aut latebras quæſiſſem pudori meo, aut ipſas Muſas & Gratias ad Philippum Montium depectendum, comendumque adhibuiſſem! Nam ſi nihil æquius eſſe

Apud Stobæū. poteſt, quàm benè illum audire, qui rectè facere conſueuerit; atque ſi vera eſt vox illa Socratica, *Thus dijs, laudem bonis viris tribui oportere*, quem alium

Henr. Steph. de I. Lipſij latinit. hodie, quàm aut Cypaſſim illam Naſonianam, ſolam deas comere dignam, aut dicendi ſummum aliquem artificem par eſſet in hunc locũ venire, & id quod nos cum tanta virium imbecillitate, ac tam exigua rei benè gerendæ fiducia aggredimur, moliri? honos enim agitur ciuis, non alicuius è multis, ſed ornatiſſimi ac probatiſſimi, qui cum ſuam adhuc adoleſcentiam ardore quodam inuſitato in ſtudijs omnium optimis & laudatiſsimis contriuerit, plebeium ac vſitatum genus laudationũ meritiſsimò poteſt aſpernari, quemadmodum merito ille Romani vindex Imperij, ac ſummus

M. Tull. 2, de ora. Imperator Scipio maior Corinthijs ſtatuam pollicentibus eo loco, vbi cæterorum eſſent Imperatorum, *turmales dixit diſplicere*. Illud enimuerò mihi ſeculi

bonis

bonis artibus inuidentis viſum ſemper fuit, reſeruare mortuis poſthumos honores, & cineri ſera præmia perſoluere, quæ repræſentari viuis potuerunt: atque tum demum, cum extincti morte frui ſuæ gloriæ fructu non poſſunt, ſtatuas, arcus, aut etiam, ſi Deo placet, templa ac flamines decernere. valeat, vigeatque vbiuis mos hic improbus præſentia malignè prementium ingenia, aures & oculos viuorum debita laude fraudantium: hìc non in atrio potius ciuis clariſsimi, quàm in Templo quodam & ſacrario virtutis, neque potius apud Magiſtratum integerrimum, quàm apud Themidem ipſam Iuſtitiæ præſidem non eſſe locum nefariæ ſceleſtæque conſuetudini vel hoc poteſt eſſe argumento, quod de viuo atque de præſente Montio exornando itum in ſuffragium eſt, diribitæque ſunt tabellæ, præſtoque fauor vniuerſorum fuit, ſonuitque poſtremò vox Illuſtriſsimi Comitis lauream de conſilij ſententia PHILIPPO MONTIO decernentis. dediſti hoc ſcilicet moribus tuis, Heros incomparabilis, vt qui religione, pudore, induſtria, ſtudioque artium honeſtiſsimarum nihil vnquam in vita antiquius habuiſti, idem tam præclarè ſenſeris, atque de aliena induſtria ſtatueris tam honorificè, vt eam alio cultu, quàm cum annuli togæque honore conſpici nefas eſſe exiſtimaueris. præclarè beneficium collocaſti, mihi crede. non eſt à te inducta ſaltanti cuipiam toga, non indita ſimiolo chlamys, ſed forti ac præſtantiſsimo viro habitus honos iuſtiſsimus. Tibi verò, Monti optime atque doctiſsime, quid ego poſsim à meo ſtudio polliceri? quid ſcilicet Muſarum Sacerdos, cuius eſt tota prompta in ore facultas, præter vocem polliceri poſsit? quæ ſi non erit Periclea, ſi neque fulgurabit, neque permiſcebit Italiam, erit potius cur ſtudio meo probato & voluntate, veniam tribuas imbecillitati, quàm cur tuam vicem queraris. Nam præterquam quod non obſcura induſtria tua eſt; neque mores ignoti, vt egeant eo lumine, quod eis meæ aut cuiuſquam literæ poſſint afferre, nihil magis reformidant aures tuæ modeſtiſſimæ, quàm ne in theatro

fre-

frequenti plenis, quod aiunt, tibijs tuæ laudes prædicentur. Fuit in Attica terra homo vaniſſimus, qui tribus rebus gloriaretur, Quod homo natus eſſet, non beſtia: quod mas, non fœmina: denique quod Græcus, non barbarus. quibus ea miror hominem non addidiſſe, quod recto corpore, non prono & incuruo: quod vili admodum annona, non in ſumma eiuſdem caritate: quod in ciuitate libera, non in obnoxia cuiuſquam dominationi: denique quod in continente, non in Inſula editus in lucem fuiſſet. Sed mea cauſa liberum eſto cuiuis & ſolutum re quacunque ſibi plaudere. neque enim diſputare libet, quàm fuerit vana gloriatio hominis leuiſſimi, qui cum fortaſſe nullum ſuum rectè factum poſſet memorare, multum ſibi ſolis muneribus naturæ atque fortunæ placeret. A moribus Montij ita longè abeſt omnis eiuſmodi leuitas, vt non abſit à nobis longiùs fretum Gaditanum, non Scythæ Hyperborei, non vltima Thule. Ea (quæ ſanè multa ſunt,) in quibus iactare ſe poſſit, gnarus vnde profluxerint, minimè numerat in bonis ſuis, ſed in Dei muneribus, neque ijs ſe potius diuitem & beatum, quàm debitorem & obnoxium exiſtimat. Quanti illud eſt, quod Montio contigit ſortitò, vt in probatiſſima domo gigneretur? quò non aliunde aſciſcenda foris probitas eſt, non ſancienda pœnis, non præmijs inuitanda: ſed vbi ita proprius eius generis pudor eſt & moderatio, vt hæc non tradi, non inculcari videantur, ſed cum liberis naſci, ſed venientibus in hanc lucem inſeri à natura, ſed ipſo parentum ex vtero efferri. Earum rerum eſt certa ſtabiliſque poſſeſſio huic familiæ, in præclaræ huius ſpem hæreditatis gignuntur liberi, ac huiuſmodi bonorum ſibi ius per ſucceſſiones vendicant poſteri, eaque nota & agnoſcuntur pro Montijs, & cuiuis commendantur. Quod ſi cui mirum eſſe videatur, impreſſas alicubi eſſe familijs notas eiuſmodi, quæ veluti per manus tradantur poſteris, nec ſpongia obliterari aut eradi poſſint, is cogitet valere hanc rationem partem in vtramque, & eſſe in familijs quædam

Thales Mileſius apud Diog. Laert.

etiam

etiam praua atque flagitioſa, quæ ſequantur hæredem. Meminiſtiſne vos vnquam aut fando audire, aut in editis libris legere de homine ſacerrimo, qui ſic ſe excuſabat, cum patrem euerberaſſet; *Nam & ipſe, inquit, patrem ſuum verberauit*, & ille rurſus ſuum: quin & filium oſtendens, Et hic, inquit, vbi in virum euaſerit, me quoque flagris cædet: hoc enim gentile nobis eſt. ò dignum genus, quod terra dehiſcens hauriret! ò peſtilentem familiam, contaminatam exemplis deterrimis! ò nefariam officinam nequitiæ, meritam, quæ funditus excinderetur, atque adeò cuius etiam interiret memoria! Quæ mea tragica exclamatio poſſet intempeſtiua videri, niſi eò pertineret; vt omnes intelligerent, tradi poſteris quarundam familiarum mores ac ſtudia cum prædijs & agrís, liberoſque atque nepotes eiſdem illis veluti notis domeſticis, ac *genitiuis* inſigniri. Vobis, Philippe Monti, pro humero eburneo Pelopidarum pudor eſt, laus ita vetus ac ita propria familiæ veſtræ, vt excidere poſſint annulo incluſæ armillæ, errent inſerta cælis aſtra, poſſintque reuelli illigata vaſis aureis & argenteis emblemata: pudor ac probitas, conſtanſque & moderata ratio vitæ è veſtra domo reuelli non poſſint: nullaque ſit tam fæda tempeſtas aut turbo, nullus caſus ac infortunium tam graue, nullaque tanta conuerſio & commutatio rerum, quæ illa veſtra bona percellat, & hoſpitio veſtro cogat emigrare. Ridiculè ne dicam, an ſtultè fecerunt olim Lacones, qui Martis ſimulacrum, ne Spartam illam ſuam armis & victorijs inclytam deſereret, irretiuerunt pedibus. fecerunt ſtultiſſimè Tyrij, qui Alexandro M. inſulam oppugnante Apollinem, quem eximia religione colebant, aurea catena ad aram Herculis deuinxerunt, ne tempore difficillimo inſulà poſſet excedere. Nam Romæ, cum Victoriæ ſimulacro fulmen alas decuſsiſſet, percrebuiſſe illam famam, diuino conſilio tactas de cælo, exuſtáſque alas fuiſſe, nequando poſſet Victoria ex Romani imperij finibus auolare, cuiuſmodi hoc eſt? aut quorum nos magis vicem deploremus? homi-

Quinct. Curt. lib. 4.

Digitized by Google

hominumne, qui ſic ineptirent, deque dijs ita demiſsè humiliterque ſentirent, an deorum ipſorum, qui fulminibus, pedicis & catenis poſſent coerceri? Pudorine veſtro, Monti, afflatæ diuinitus alæ defluxerint, an illum vlla vis maior deuinxerit, quo ne veſtro renuntiaret hoſpitio, & ne quoquam migraret à vobis, eſt mihi planè obſcurum & incompertum. illud modò conſtat inter omnes, eſſe hanc veſtram dotem hæreditariam, tranſmitti liberis à parentibus ſuis, ab ea ducere pueros commendationem ineuntis ætatis, & in veſtra domo etiam nunc, velut exempli cauſa, veſtigia antiquæ fidei, officij, ſynceritatis remanere. Illud eſt prudentiæ ſingularis, quod ſic in collocandis nuptui filiabus, quemadmodum in adiungendis ſibi vxoribus, magnopere ſibi cenſent eſſe vigilandum, ne dote potius & forma, quàm modeſtia & probitate virgines eligant; quæ ſcilicet non elatæ, neque factioſæ ſint, neque vlla parte, ſuæ domus ſtatum poſsint commouere. Si qua tamen aliquando nurus accerſatur in hunc gregem, quæ fallat moribus, paulòque ſit moroſior & aſperior, ea verò manſueſcit facillimè, & paucorum dierum conſuetudine cum viris, cum mulieribus ſibi diſsimillimis mores illos ſuos minùs commodos dediſcit. O familiæ vim admirabilem! ò genium domus inſignem, qui etiam contumax aduerſus diſciplinam ingenium muliebre ſic immutat! quid enim aliud mulierculis accidit, quàm quod feris, quæ paulatim pertractando cicures fiunt? quàm quod lupinis, qui peracerbi guſtatu, coniecti in aquam, maceratique dulceſcunt? quàm denique quod hydris & draconibus, qui capti & nouis alimentis aſſuefacti deſinunt eſſe noxij; vt etiam in Macedonia cum pueris vna cubarent, & calcantes ferrent, neque commouerentur ſi quis ſtringeret premeretue, eoſque æſtate mulieres frigoris cauſa collo circundarent? Diui tibi, Philippe Monti, propitij fuerunt, qui, cum fermè liberi omnes, formas & mores & pleroſque actus ac motus effingant è parentibus, progenerari te ab ijs parentibus voluerunt, qui

Lucian. in pſeudom.

tibi

ſibi eſſe poſſent optimi magiſtri morum, & modeſtiæ, veræque pietatis auctores grauiſsimi. Nam quod Eliam ſcribunt infantem ac lambentem matris vbera, conſpectum eſſe non lac, ſed flammas ab vberibus rapere, fides eſto penes auctores. quidni flammas nos appellemus ea monita atque præcepta, quæ Iſabella matrona optima Philippo ſuo adoleſcentulo tantopere tradidit, ac toties inculcauit, & quæ nullo non die modo blandiens, modò interminans, puerilibus auribus inſtillauit; quibus exequendis & vitæ huius tempus tranſmitteret curſu inoffenſo, & illam vitam beatam ac immortalem aſſequeretur? Nulla non arte tenellum adhuc & cereum animum aggrediebatur adoleſcentis, quotidie ſpe metuque verſabat, ſæpe inuitabat præmijs propoſitis, territabat etiam aliquando ſuppliciorum denunciatione, monita voceſque ingerebat auribus, exemplaque oculis, proque iure parentis id repoſcebat, id flagitabat, id exigebat à filio, vt per ea veſtigia ingrederetur, quæ ſui maiores impreſſa reliquiſſent, neque ſe aliter ſtirpem ſuam agnituram eſſe, quàm ſi munus officij ſibi in omni vita exequendum tuendumque cenſeret. Quid Philippus? alia ſcilicet omnia, quàm quæ Clinia Terentianus perdita adoleſcens libidine, qui ſæpe eadem audiendo à patre ſuo Menedemo, victus ad extremum eſt, neque vltra monentem obiurgantemque patrem ferens, in Aſiam militatum abiuit. quid, inquam, Philippus? die noctuque audiens eadem, & altè in animum demittens, breui tempore nulloque negotio id fuit aſſecutus, quod eſt artis difficillimæ, vt in bonum virum euaderet. qui ſi deſciuiſſet, in eaque re parentis & voluntatem repudiaſſet & auctoritatem, vt ne ſibi leges paulo ſeueriores ferri pateretur, atque ſe velut depulſis ore ſuo frænis per omnia vitia maluiſſet volutare, nonne ſi quando de ponendo demortuæ matri monumento conſtituiſſet, tale oportuiſſet poni, quo vtriuſque morum ſtudiorumque diſſimilitudo ſignificaretur? cuiuſmodi illud antiquiſsimum fuit, quod hodie quoque in oppido Blanchenhem haud

Iacobi Pontani Bellar.

Heaut. 1.1.

procul

Ianus Gruter. pag. 118. procul à Colonia Agrippina viſitur conceptum his verbis: *D. M. Abuta Matri leniſſimæ Appianus Seuerus*. Quid autem deſciſſeret, & parentum voluntatem aſpernaretur adoleſcens verecundiſſimus, qui ab eorum ſemper ore pependiſſet, & qui ſatis ſciret ſi patris imminuiſſet imperium, ſe in Manlium incidiſſe? Iam verò quid ego Philippi collaudem induſtriam, & in re literaria vehementiſsimam animi, ingenij, virium contentionem? Cum enim ad literas, quò ſua eam natura ducebat, Philippus approbante conſilium patre animum adieciſſet, atque præter bonitatem naturæ, atque ingenij abundantiam ſumma etiam vteretur induſtria, plenoque gradu cum properaret ad eloquentiam, feliciſsimè imbutus eſt eis literis, quibus adoleſcentum ætas ſolet ad humanitatem informari. Genus dicendi ſecutus fuit minimè diſsidens à ſuis moribus, ſed frugale, ſobrium, atque ſeuerum, quale apud Græcos Atticum fuit, quod ipſe quoque Plato in pertractanda Philoſophia vſurpauit. Neque tamen in hanc partem ita vergit, tetricam vt orationem, ac triſtem & ſqualentem habeat in delicijs, ſed contentus mundiciæ nitorem ſuperuacaneum aſpernatur: eoſque quos in captandis floſculis, & in limando & perpoliendo ſtylo, plus æquo ſe conficere videt ac macerare: ſeriaque pertractantes videt laſciuire verbis, deque ornatu orationis pluſquam oporteat laborare, non minùs irridet, quàm Euphorbum illum Troianum omnis adhuc irriſerit ætas, qui pugnaturus cum Achiuis, idque in eo bello, quo nullum magis calamitoſum & exitiabile fuit, auro & argento comis intexto prodibat. Studia ſcindimur in contraria, Philippe doctiſsime; concinnioris & illuſtrioris eloquentiæ repudiato ſtudio eloquentiam ipſe quandam virilem ac lacertoſam exhibes, quæ quò longiùs ab omni ornatu exquiſito ac meretricio refugit, eò plus habet dignitatis, ac magis congruit cum ea perſona grauiſsima Sacerdotis, Euangelici præconis & Præpoſiti, quam per hoſce dies ſuſtinere cœpiſti. Cuius demum eſt audiri in templis ac è ſuggeſtu monentem,

tem, obſecrantem, & increpantem? eiuſne, qui more Pauonis caudam explicet, venditet ingeniũ, captetque plauſum, qui ſic dicam, ampulletur, qui ſatagat pueriliter, ineptèque tumultuetur? an eius qui ſit iuſſus annuntiare populo ſcelera eorum, & ore apoſtolico prædicare Chriſtum crucifixum? Hoc præſtat Philippus cum primis acriter ac feliciter: & ea voce, quam viri pietas intendit, dormitantes excitat; reuocat in rectam viam aberrantes, verſat omni oratorio munere, ventilat, commouet, plaſtæque more fingit arbitratu ſuo animos concionis, ac de vitiorum tenebris vocat quemque in admirabile lumen Dei, menteſque perattentas conſerit omnium Chriſtianarum virtutum ſeminibus; quod ea contentione facit animi ſui, vt non concionari, ſed Satanæ arces euerberare, ſed iaculari flammas, ſed animas captiuas & in ſeruitutem abſtractas aſſerere liberali manu, ſed cordibus inſerere ac infigere Chriſtum videatur. Quem ſui ciues ſic audiunt, quemadmodum Phæaces Vlyſſem, cuius verbis ſentiebant ſe deliniri atque permulceri, deinde multa animorum perturbatione, ac velut vertigine quadam corripi, poſtremò etiam ſudore manare. Neque enim, vt Lucianus ait, ſummam duntaxat cutem perſtringit Montius, aut fortuito aliquo, leuique ictu tangit auditores, ſed ita eos tangit, vt certo admodum, ſcitèque librato ictu emiſſa oratio ipſum, ſi Deo placet, animum conuulneret. Minimè ſanè tinctis atque infectis veneno ſagittis, quod barbari ac Scythæ faciunt; neque ſagittis inunctis reſina, quod Curetes, ſed delibutis quodam pharmaco dulci pariter, ac ſenſim vrente iaculatur, memor illius Homerici verbi: *ſic iace, ſi qua viris per te noua lux oriatur.* Hinc verò illud eſt, quod pendet ab ore dicentis concio muta, ſtupens, attonita; quæ ſubinde ad magnificas voces excitatur, *tranſitque*, vt Seneca inquit, *in affectũ dicentis*, nec aliter concitatur, quàm olim ad Phrygij ſonum tibicinis, Matris Deuum Sacerdotes ſolerent concitari. Quantum porro Philippus valeat illa clamoſa & *litigatrice* dialectica, & quàm ſit certator inuictus

Homer. odyſſ.

Lucian. in Nigr.

Apud Lucian. in Nigr.

Epiſto'a 103.

uictus arte ſyllogiſtica, nihil eſt, quod ego Academiam teſter Seminarij, porticuſque columnatas, nihil quod ſcholas philoſophicas ac theologicas, veſtras cum aures poſſim teſtari. neque enim aut vos ſurdi fuiſtis, aut Philippus parum vocalis. vos qui perſæpe interfuiſtis, qui vidiſtis, & audiuiſtis, dicite rogati, ecquid Montio eſſe poſſit acrius atque pugnatius. Eius diei mihi & ſemper viſa perquàm ſuauis recordatio, & eſt modò commemoratio multo iucundiſſima, quo die cum libellis publicè propoſitis profeſſus fuiſſes te de omnibus philoſophiæ locis paratum eſſe
In Iliad. reſpondere, ſuggeſtum aſcendiſti. Nam quid Homerici Aiacis miremur hilaritatem, dum arma ſumit depugnaturus cum Hectore, atque dum ob eius aleam certaminis ſe campo committit? quidue Aiacis ex hilaritate lætiſſimos Græcos, omniaque illi ſecunda de eo ſingulari certamine pollicentes, pertriſtes verò & prælij de euentu anxios ſollicitoſque Troianos? quid enim te hilarius? quid alacrius, quàm cum te ad eam dimicationem comparabas? quidue aliud ex tantà alacritate ominaremur tibi, quàm quod oraculum Dodonæum Lacedæmonijs aduerſus Arcadas pugnaturis reſpondit; *Bellum ſine lacrymis futurum*? Cum vnus, alterque ac tertius, viribus quiſque integris, ad Philippum oppugnandum conſurrexiſſent, cum eum clamoribus adorirentur, cum animo gladiatorio iugulum eius, latuſque peterent, quid putatis? Nihil tanto illo molimine proficiebant amplius,
Olymp. 2. quàm corui ſolent, dum garruli, vt inquit Pindarus, aduerſus diuinam Iouis auem crocitant. Lingua Montio per clypeo fuit, hac repulit, retudit, eluſit ictus omnes; vt ſi quæ vibrabantur, tela erant, incidere viderentur in benè temperatum chalybem, ſi griphi in Oedipum, ſi nodi in Alexandrum, ſi funes in Sampſonem, denique ſi ænigmata in Salomonem. Quid autem ego collaudem Philippi Montij modeſtiam, qui cum poſſet ſuos quotidie iactare ſucceſſus, atque, vt ait ille, ſingulis diebus anni vendere vnum diem, nihilò plus ſibi tribuit poſt eam literariam dimica-

micationem, quàm ſi minimè dimicaſſet: iamque aliorum iudicio maximus philoſophus, ſuo nullus, nullam vocem arrogantem emiſit, gallorum gallinaceorum diſſimillimus, qui cum è prælio victores diſcedunt, illico ſe cantu ſuperiores eſſe teſtantur. Quo loco quod dicam, Monti, niſi me hic quoque agnoſcere patrias artes veſtras, domeſticam diſciplinam, & ſucceſſionem virtutum antiquarum? quid, inquam, dicam, niſi me germanam optimi viri Franciſci prolem agnoſcere? Faciunt hoc aliqui abſurdè ac ineptiſſimè, vt ſtultorum oculis explicent opes ſuas, iactent ſua facinora, & ſuarum laudum ridiculi tibicines ſuas virtutes plenis faucibus ſupra omnes, quos vlla nouit comœdia, Traſones ac Pyrgopolinices prædicent. qui ſi noſſent, quàm ſint graues audientibus, & quanto eos tædio conficiant quotidiano vſu gloriarum ſuarum, tropha͡eorum, *ouationum*, ac triumphorum, minimè toties eadem ingererent inuitis, qui demittunt auriculas, *vt iniquæ fortis aſelli*. Quid faciatis his Militibus Glorioſis, qui quotidiè res ſuas, ſua fortia facta oculis auribuſque noſtris obtrudunt, & vocaliores ære Dodonæo Rhodium illud ſuum facinus millies denarratum exordiuntur ab ouo, interque plauſores denuò pertexunt hiſtoriam? Græcorum (teſte Ariſtide) præcipuè eſt hic mos nefarius, vt multi ſint in rerum ſuarum prædicatione, vt vaniloqui ſint ac oſtentatores, & ad inſaniam vſque glorioſi: quæ Heſiodus, quæ Sappho ſibi tribuat, quæ Homerus, quæ Pindarus, tædet referre. Nam ferri non poteſt eorum arrogantia, quemadmodum neque Neſtoris, neque Achillis, neque Vlyſſis apud Phæacas; quem miror non irriſum fuiſſe, non exploſum, non pro morione acceptum. guſtuſque cauſa eſt vnum illud carmen è multis, *Aſt haſtam iacio, quàm longè nemo ſagittam.* cui illud addatis licet, quod inter cœnandum quærentibus quis eſſet, Phæacibus reſpondit: *Sum Laertiades celebris Vlyſſes per cunctos, ac iam cælo mea gloria fertur*. Nimirum quod de Athenienſibus ait Ariſtophanes, licet de Græcis dicamus vniuerſis, eos

Plin. 8. 33.

Iliad Ψ. Iliad α. Odyſſ. lib. 8.

vtres eſſe. Quem morem quo magis abominor, deteſtor, & execror, tanto plus tuam, Philippe Monti, rationem in oculis fero, qui ſentis de te modeſtiſſimè, nec vnquam te dignum reris, in quem quiſquam oculos ſuos obuertat. Solus ignoras quanti ſis, ſolus neſcis, quid valeas ingenio, aut certè ſi noſti, recordaris eius verbi: *quid habes, quod non accepiſti?* Neque tamen volam tua cauſa verterem, Philippe Monti, ſi quid aureos tuos mores interpolaret, atque ſi quid intercurreret tuis officijs, aliuſque ex alio factus piſces polypos imitareris, qui à petris, quibus adhærent, multos varioſque colores aſſumunt. Nuſquam virtus eſt, vbi tota diſſidet vita, tota natat ac fluctuat, vbi crebræ ab his caſtris ad ea caſtra tranſitiones fiunt, leuibuſque momentis ab officij religione demigratur, ac in neutro ſatis ſibi homines conſtant, alternis Catones, alternis Vatinij. Viciſſitudines, varietates, atque commutationes ſunt eius, quem intus perurat febris, qui poſteaquam aliquandiu alſit ac diriguit, mox feruet ac vritur: ſunt cerriti eius Euangelici commotæ mentis, qui cum ſe identidem demergeret in aquam, identidem ſe flammis tradebat vſtulandum: ſunt arundinum fluuialium, quas quiuis leniſſimus auræ ſpiritus impellit ac flectit; non ſunt Montium tuorum, Philippe, qui ſtant ſuo pondere librati: non ſunt tuæ conſtantiæ, minimè temerè neque inſtituentis neque deponentis honeſtæ vitæ rationes: non iſtius ingenij nihil trutina populari æſtimantis: non denique tantæ, tuæ ſapientiæ, quæ ſi modò vult nomen ſuum tueri, decreta habeat æterna, ac immutabilia oportet. Abeant redeantque ſoles, ſint aliæ aliorum temporum vices & diuerſæ tempeſtates, ſint humanæ vitæ varij multiplicesq; caſus, ſemper tamen Vrſino ſermo ſimillimus, compar habitus oris & animi, eadem ſententia, vitæque ratio vna perpetua & conſtantiſſima. Sed enim cum ea fuerit veterum diſciplina, vt vim quandam ominis in vtramque partem ineſſe nominibus putauerit, vix equidem intelligo, quid nobis nomen tuum, Philippe, poſſit deſpondere. Etenim cum nobis

1. Cor. cap. 4.

illud

illud perinde ſonet, atque ſi dicamus, *Vir equorum ſtudioſe amans*, quis ab hoc inſano ſtudio equorum agitandorum, omniſque equeſtris diſciplinæ abeſt longius, quàm Philippus? Nam cum artes multæ, cum militia, cum mercatura, cum reip. procuratio, cum vxoriæ curæ poſſent placere, elegit adoleſcentulus vitæ genus cum primis tranquillum & pium, vt litaret, & ſub Chriſto Imperatore ſtipendia mereret. Quæ caſtra meliora, quàm vbi Chriſtus ordinum ductor eſt? quæ vtilior & quæſtuoſior mercatura, quàm quæ animas ipſas negotiatur? quæ denique procuratio noſtris rationibus opportunior, quàm ne vſquam à fide, officioque diſcedatur, ne quid ſpurcè oleat in moribus, & ne quid committatur eiuſmodi, quod poſſit in voculas hominum incurrere? De cognomine tuo gentilitio, Philippe, quid ego dicam, niſi quod olim in Græcorum concilio dixit Philippus Macedo, cui cum in ſortitione literarum obtigiſſet M. lætus, quanſque regiam ſe literam ſortitum fuiſſe prædicauit, ſibique à fortibus Monarchiam, quam vocem ab ea litera inchoamus, deferri? Si neſcis, Monti, tibi quid ſortes deſpondeant, pellege cognomen tuum, ac vnde illud exordiaris, attende: auſpicatiſſima eadem litera, quæ Macedoni Monarchiam adiudicauit, cognomini præfixa tuo eſt; vt ſi quid ſentis, ſi quid iudicio vales, facilè poſſis intelligere, tibi quoque neſcio quid eximium, intra modum fortunæ tuæ, promitti. Placet omen. Aulam ſibi effodiat plenam auri notus ille antiquis comœdijs Euclio, Timoni Plutus theſaurum obijciat, aureas meſſes vigilans ac dormiens demetat Ponticus Mithridates, Timotheo Athenienſi fortuna ciuitates retibus incluſas deferat; nihil hæc moraris, Philippe, quæ ad locum ordinemque tuum non faciunt. Magiſtratus ac imperia iuris Eccleſiaſtici, & ſacras præfecturas, amplaque ſacerdotia, me vate atque prænuntio, fac expectes. quæ ſanè tibi præſto propediem futura me cum exiſtimatio communis de tua ſingulari doctrina, atque omnium erga te tam propenſa voluntas, tum quidam iam etiam tuæ

fortunæ veluti gradus & progreſſiones in ſpem maximam, & quemadmodum confido, veriſsimam adducunt. Siquidem cum adoleſcentior in Seminario erudireris, iam tum cura tibi continendorum in officio condiſcipulorum mandata fuit: & in cubiculo, tanquam aliquis in turma decurio, diſciplinam, quam ipſe ſemper exhibueras, ab alijs per aliquot annos exegiſti. Scitis vos, Viri Clariſsimi, quid ſit exultanti exilientique adoleſcentię inijcere fræ nos, eiuſdemque comprimere licentiam, ac frangere cupiditates. ſæpe feras perdomamus facilius: flumina quoque auctu æſtuantia magno ſæpe facilius molibus obiectis coercemus. ſed enim auctoritas ſplendore vitæ, magnitudine animi, conſtantia conſiliorum, opinione doctrinę, perpetuoque benè agendi ſtudio comparata; quam vim habeat, perſpicite. qua incederent, & quatenus progrederentur, æqualis præſcripſit Philippus æqualibus, neque tantùm præſcripſit, verùm etiam dicto audientes habuit. Aderat iam tum hinc inceſſus, dignitas, ſupercilium, rara etiam oratio, ſed cui pondus ineſſet: illinc obſequium, prompta alacritas, & diſciplina; vt penè quandam iuſti imperij imaginem poſſetis agnoſcere. Etenim cum nunquam Philippus obliuiſceretur ſe liberis ac ingenuis ius dicere, quibuſcum adhuc æquo iure vixiſſet, ſalubri grauitatis atque humanitatis temperamento, deliniendo magis, quàm territando, & comitate potius, quàm contumelijs, quàm iure imperij, quàm ſuperba & impotenti dominatione gubernauit. primo in eo munere Philippus, ſpecimine probauit egregio, cohorti, legionique præfici eum poſſe, qui tam bene præfuiſſet manipulo; peritèque gubernaturum in Ægeo mari triremem, qui penè puer duorum ſcalmorum nauiculam ſciéter gubernaſſet in ſtagno. Erat iam eo munere perfunctus, atque ſanè ita in illo ſuum ingenium & vigilantiam vniuerſis approbauerat, vt nemini eſſet dubium, quin Montio quæuis triremis, quouis mari ac tempeſtate, aptè poſſet committi. hac fama commotus ac excitatus Puteus, qui dudum extrema ſenectute fatiſcens

por-

portum ex diutina iactatione circunſpiciebat, nihil vltra cunctandum ratus, quin onus iam prægraue ſuæ præfecturæ Legnanenſis in Montium reclinaret, eum continuò in ſucceſsionem adoptauit, ac illi protinus poſſeſsione ceſsit prouinciæ, ouanſquè atque planè triumphans ei ſua iura tranſcripſit. Diu quærendus fuit, cui lampadem in decurſu tradidiſſe, nunquam poſſet pœnitere: repudiandi multi veluti proci, fuerunt, donec fors optimum exhiberet & laudatiſsimum: denique tandiu pendere animi ſenem oportuit, donec virtutis inuſitatæ lumen oſtenderet, quem Deus elegiſſet, ac omnem dubitationem eximeret. Dicerem te, Monti, plurimum Putei beneuolentiæ debere, niſi plus deberes iudicio. amauit propterea quod optimum exiſtimauit, elegit propterea quod probatiſsimum: & pro cognatione, pro neceſsitudine fuit, meruiſſe adoptari. Quod poſtremum fuit Puteo operum mortalium, magnopere laborauit, vt eſſet conſultiſsimum. ſuam nauim optimo gubernatori commendauit. Ita Montio in ſuam ſtationem ſubſtituto, cùm ſuo lætus & ſecurus iudicio quieturus ſit expers operis, neque tamen oculos ab ſua adamata Eccleſia deiecturus, illam eius ingenio illuſtrare, eius humeris fulcire, eius denique diligentia ac ſedulitate adminiſtrare videbitur. Sic in iſta vigilia, Monti, fuiſti collocatus, vt nihil, quod ſit poſitum in religione ſummi officij, iam liceat præterire; quo ſuperùm, hominumque de te iudicium poſſis comprobare. Rem barbari ſortis temeritati committebant, eumque creabant Regem, qui primus Solem naſcentem vidiſſet, aut etiam cuius equus hinnitum primus edidiſſet. Quid eiuſmodi in te ſubrogando? Nemo in deligendo, nemo in comprobando facto non eſt eam rationem ſecutus, quibus eſſes inſtructus diſciplinis, qua vigilantia in omni aſſignato munere verſareris, & quàm facem poſſes præferre ijs, qui deerrarent in itinere, & viam deuiam ſequerentur. Iam caue hominum de te expectationem fruſtreris, adoleſcentum præſtantiſſime. minimè tu ſanè indiges cohortatione

Iuſtin. hiſtor. lib. 1.

mea, ſed tamen equorum curſus hominum clamoribus incitatur: feſſo ſuccedis integer, ſeni iuuenis; firmuſque ac præualens imbecilli. Ergo áge, & grandæuo caligantique Heli operam naua Samuelis; neque tibi iam ita ſomnus obrepat, vt non proſpicias, ne quando lucerna in domo Dei ſiticuloſa, & exareſcens extinguatur. O fortunata prouincia, quæ à duabus coniuncti imperij ętatibus adminiſtrabitur, pariterque & iuuenis vigore, & maturitate ſenis vtetur! Puteus poſt diuturna vota ſucceſſorem nactus, qualem optauit, in quem ſuarum curarum partem multo maximam aptè poſſet transferre, ſic Montium ſibi filium adoptauit; vt iam vnum ambo conſilium, vires vterque duorum, poſſiit ad rem gerendam adhibere. Iam poſt illam velut adoptionem auſpicatiſſimam, nec Puteo filius, in cuius conquieſcat pietate, nec pater Philippo, quem omni colat obſequio, poteſt deeſſe: Sed iam tecum loquor, Monti: Tuis delata virtutibus procuratio iiſdem adminiſtranda conſilijs eſt, quibus vt ſucceſſor eligeteris, ac vt vltro expetereris, meruiſti. Dum Puteus, ſenex aureus, qui tibi volens lubens prouinciam tradidit; quemadmodum ille faſelus Catullianus *repoſita ſenet quiete*; ac velut Laërtes Homericus, præfecturæ abdicata adminiſtratione in receſſu tranquillo, beatæ mortis candidatus, à curis vitæ ſuperioris reſpirat, te videat ſuis conſilijs, tuis viribus vtentem, videat florentem in florente populo, videat omnes ad ſtudia virtutis excitantem.

Catull. epig 4. Homer. odyſſ.

Dixi.

In Laurea GABRIELIS VRSINI PANEGYRICVS

Qui inſcribitur

ΠΟΛΥΜΑΘΗΑ.

SI me legibus iiſdem teneri cenſerem, quibus tenebantur olim priſci architecti, vocemque ſi mihi atque orationem ad eorum normam & regulam eſſe conformandam exiſtimarem, me hodie neminem neque magis ancipiti animo, neque magis ſollicito eſſe oporteret. Etenim cum illi veteres, teſte Vitruuio, (De archit. lib. 1.) extructuri ſuis Dijs templa, præcipuè mores eorum intuerentur & ſtudia, Marti quidem & Herculi, qui procul à delicijs vitam in terris laborioſam egiſſent, hoſtibuſque edomandis, orbe terrarum repurgando, occurſandoque quotidie periculis cæleſtes honores inueniſſent, non alia ſtructura, quàm Dorica, hoc eſt, nuda ac inornata, ædes ponebant? Floræ verò ac Veneri, quibus in ſtudio non ſtamen, non diſcum, vt mulieribus Lacænis, ſed voluptatem atque amœnitatem eſſe rebantur, Corinthium ſtructuræ genus, quo nullum eſt magis floridum & venuſtum, vnum perquàm aptum & conuenientiſſimum eſſe ſtatuebant. Quorum ad præſcriptum ac inſtitutum ſi temperem hoc munus oratorium, vt quid omnino dicam, tum etiam quo cultu, & quatenus in dicendo progrediar, non ex libidine arbitrioque meo, ſed ex cauſæ genere definiam; illudque etiam primis animaduertam, vt cum moribus atque ſtudijs Gabrelis Vrſini panegyricus, quem illi

ſum

ſum dicturus, conſentiat; ſanè verò in tanta varietate rerum fluctuare me animo neceſſe ſit, diuque ſuſpenſum hærere, ac denique illos imitari, quibus ad ignota loca delatis, ac repente biuio commiſsis, præſto nemo ſit, qui certam viam commonſtret. Quod enim nos ipſi vocabulo notiſsimo Gabrielem Vrſinum nominamus, id arcula virtutum eſt; & quiddam affabre factum; donóque Diuûm accommodatum terris; verſatile in multas partes; facultate multiplex; atque ſtudijs varium & inæquale. Varium cum dico, & inæquale, nolo equidem in eam partem accipiatis, vt me de varietate illa & inæqualitate loqui exiſtimetis, quam in Athenienſi Alcibiade cum indignatione nauſeaque notauit antiquitas; quo nemo ſæpius ab induſtria pudoreque ad caſtra factioſorum transfugit; nemo rurſus momento leuiore à nequitia luſtriſque reuertit ad ſigna virtutis; ſed de varietate illa, quæ pictarum tabularum eſt in lautiorum & elegantiorum pinacothecis: quæ multorum ferculorum in cœnis diuitum: quæ fidium in cithara: quæ denique fertur eſſe Pieridum Muſarum in Parnaſo bicipiti; quæ niſi munere artificioque diſpares eſſent, nunquam profectò diuinum illum Phœbi chorum, ſuperis hominibuſque celebratum, efficerent. Veſtrum quis ignorat, Viri Clariſsimi, quàm præclara eruditione atque doctrina ſit Vrſinus? quàm eleganter doctus? & quanta non induſtria ſolùm, verùm etiam felicitate permultas partes cognitas habeat & pertractatas Encyclopædiæ? quas ſingulas nemo eſt, qui neſciat, ſuum hodie quoddam lumen, & proprium velut cultum orationis expectare. Cùm enim aliquas gerat promptas in ore; quædam abſtruſæ lateant in receſſu: illæ ſe multitudini iactent, hæ ſolis ſapientibus probare ſe ſtudeant: quædam concinniores, quæ tantùm valent ad ſplendorem vitæ atque ad otium oblectandum, deliciarum cauſa fuerint comparatæ, quædam ſeueriores ad vſum duntaxat, atque ad dignitatem pertineant; cùm denique nonnullis ſeſe, ſic dicam, comat & pectat Vrſinus, nonnullis ſeſe locupletet ac armet; nimirum

mirum quid faciat inter res tam multas, atque tam diuerſas velut interiectus orator? vnde chlamydem polymitam & verſicolorem depromat in omnes partes aptè quadrantem? quam denique Vrſini mundicijs, ac politiori literaturæ aptam orationem excogitet, quam totam dignitas maieſtaſque ſapientiæ (nam ſcitis, quo ſtudio hanc ſibi Penelopen Vrſinus amandam, & quibus obſequijs demerendam ſtatuerit.) non aſpernetur? Meo ſic æſtuanti animo, & vndique velut in Cretenſi labyrintho egreſſum aliquem circumſpicienti qui veſtrûm ſic conſilium, tanquam aliquod Ariadnæ filum exhibuerit, *erit is mihi magnus Apollo.* At enim teneo, quid me facere oporteat. nouitios architectos mihi eſſe imitandos intelligo, qui olentis antiquitatis pertæſi, & ex vetere diſciplina multa quotidie in vſum commodiorem flectentes, cum Doricam ſtructuram ita iudicent ſqualere, vt arbitrentur nimis laſciuire Corinthiam, vtuntur eo temperamento, ac ita genus vtrumque commiſcent, vt hodie in ædificando nec ſine dignitate amœnitatem, nec ſine amœnitate dignitatem facilè poſsitis agnoſcere. Quos quando publicus conſenſus dilaudat, pretioque ac præmijs ad fabricandum inuitat, ſequar ipſe libentiſsimè: ac ita vocem meam temperabo, vt perpetuò meminerim, nec induendos à me Socrati calceos Sicyonios eſſe, quod molliores ſint, quàm virum, ac talem virum deceant: nec Agamemnoni centonem Cynicum inijciendum, quòd vilior ſit, quàm vt debeat Regem amicire. Virgil. ecl. 3.

Atque, vt primum hoc dicamus, quid ſuauius Vrſini pueritia fuit? quam non magis decorabat benè pexa, flauaque cæſaries, quàm pudor: & quam nobis non magis commendabat rectus ſtatus totius corporis, & lætus vigor oculorum, quàm lepos, dignitas, & illex alienæ beneuolentiæ comitas. Veruntamen ſuis illi ætatulæ laudibus integris relictis, ad hanc eius ineuntem iuuentam recta contendimus, cuius vt ratio perfectior, ita eſt & vita exercitatior, & notior induſtria, & magis ſpectatum omne ſtudium virtutis. Tria Socrates

Plato in Gorgia. crates eſſe dicebat, quæ præcipuo quodam amore complecteretur, Alcibiadem, Cliniam, & Philoſophiam; (quid enim Socraticis amoribus magis celebre & peruulgatum?) Sed cum Philoſophia proſciſſa vulgi conuitijs & contumelijs deliteſceret in Academia; Clinia ædes fortaſſe conduxiſſet apud Ceramicum: Alcibiadis autem ponè Areopagum domus eſſet. aut etiam cum hic poſtremus forenſi opera ſolutus ſæpe agrum ſuburbanum animi cauſa peteret: ille Thebis aliquando peregrinaretur: ipſa regina ſapientia non raro improborum conſpiratione migrare cogeretur & ſolum vertere; vides ſcilicet non ſine magno labore, tam diuerſis in locis, ac inter ſe remotis ea Socrati quærenda fuiſſe, quæ ex omnibus rebus plurimum diligebat, ſi quando res chariſſimas viſendi amplexandique deſiderium rediſſet: Amo ipſe Gabrielem, quod facio non ſolus, neque non cauſis plurimis commotus: Gabrielis amo nobilitatem, eique multum tribuo, non tamen illi deſidi, quæ ſe omnis muneris vacatione iactat, ſed illi laborioſæ, quæ in opere tempus omne vitæ conſumit: plurimum capior feſtiuitate verecunda, quæ veneres ac ſales modeſtiſſimè facit: decorum porro, cuius eſt ſub vno verbo multiplex officium, facio ſanè plurimi: literas rebus permultis antepono: magnitudinem animi, maius augendæ gloriæ, quàm rei faciendæ ſtudium, in ſuſceptis & inſtitutis rebus honeſtis iuges conatus fero ſemper in oculis. Res tantas, tam multas, atque tam varias cum vnus diligam, eas tamen ſigillatim quærendi, ac magno locorum interuallo diſiunctas, longeque remotas inueſtigandi, omnem mihi laborem Vrſinus eripuit. Se quidem ipſe nomine ſuo vocet eo, quo notus eſt; ego illum alijs nominibus arbitrum literarum, eruditionis conſultiſſimum, theſaurum boni, muſarum delicias appello. Me miſerum, qui tarditate ingenij mei nihil tum aſſecutus eorum, quæ ſemper vita pluris æſtimaui! Me infelicem, qui ſic muſas, tanquam ſecundum ventum mare tranſmiſſurus, vocans, fruſtra viaticum & pene iam

vitam

vitam in litore conſumpſi? Neque me tamen tua dignitas vrit, Vrſine elegantiſſime: neque enim quicquam fero facilius, quàm tibi eius rei magnam copiam contigiſſe, cuius ego ſumma inopia laborem. Mea cauſa vtere feliciter ingenio, quo abundas: auge rem literariam, quod potes iſta vi animi, iſta ſolertia: cape honores populi, & præmia vel ab inuitis extorque. Cuius me tandem nunc, Vrſine, ad latus hærere opinaris? Non expecto, quid cauta cunctatio tua reſpondeat. eius nunc ad latus hæreo, qui pene de quouis genere literarum ſententiam rogatus non hæſitet, qui natus vnus rebus omnibus præclaris videatur, qui nihil non docere poſſit, quod quiſquam diſcere velit. (eam enim partem laudationis de officio atque de religione, quæ duo viuos homines, mortuoſque conſecrant, vix reor eſſe huius loci ac temporis, quo præmia literis quæruntur.) Doctrinarum, quemadmodum vobis compertum eſt, Viri Clariſſimi, ſunt aliquæ magis populares, quæ quotidie vulgi auribus ſe iactant: interiores aliquæ ac magis reconditæ, de quibus multitudo iudicare, niſi ineptiſſimè, non poteſt. In vtriſque quid ego dicam, quò ſit progreſſus Vrſinus? Veſtrum nemo eſt, quin ſæpe quibuſdam velut velitationibus literarijs interfuerit Gabrielis Vrſini: nemoque interfuit, quin ex eius indole dignitatem atque ſplendorem patriæ ipſius fuerit auguratus; cùm ille quidem nihil tacita hominum iudicia reformidans, nihil eiuſmodi dimicationum fortunam & ancipites euentus, nihil tot oculorum coniectum, ea quæ tum depromeret & proferret, ſibi multo ante eſſe meditata, prouiſa, comperta, cumulataque oſtenderet. At enim quo munere diuino factum fuiſſe dicemus, vt eidem in ore flexanima Pitho, in corde Minerua ſeſſitet: varias linguas gentium, tam ſæpe de imperio finibuſque diſceptantium armis, vna lingua repræſentet: ſapientiæ mundum muliebrem, & omnem ornatum addiderit, ſapientia pleniorem & magis locupletem orationem effecerit: idem numero metroque excellat inter vates, qui copia lacertiſque

certiſque præſtat inter oratores: idem ſit ſophiſta diſertus, & Iuris conſultiſſimus: idem D. Thomæ, atque Ioannis Scoti rationes maximè diſpares teneat? Ille ipſe Socrates, cuius paulo ante mentio facta fuit, Polum amicum ſuum interrogat, quo nomine rectiſſimè Gorgia Leontinus poſſit appellari. Cum enim, inquit Socrates, qui beſtiarum & arborum imagines aptè penicillis atque coloribus exprimit, eum pictorem conſuetudo loquendi nominet: eum plaſtem, qui vda ex argilla vultus hominum, atque aliarum rerum ſimulacra fingit: eum denique Medicum, qui morbo laborantes, temperata ſalubri potione, poteſt leuare; vix, inquit, fieri poſſe videtur, vt rectè aptèque nomine vno eum notent, qui dicendi artem ita profitetur Athenis, vt aſtronomica ſciat iuxta cum peritiſſimis; ita belli gerendi, curandique morborum præcepta callet, vt pallium ſibi ſuum texat & interulam; ita cauſas agit in foro ſumma frequentia ciuium ac admiratione, vt ipſe ſuos ſibi calceos conſuat, atque adeò annulum ſuum elaboret. Nempe vna domus, Gorgiæ commodis ſeruire poteſt, vnum pallium eius corpuſculum tegere, vnus famem cibus explere; at quo ſatis aptè rerum tam diuerſarum artifex indicetur, minimè vnum aliquod nomen poteſt inueniri. Quorſum iſta? Niſi Gabrieli adhuc infantulo nomen, quod tum viſum fuit, voluntas parentum impoſuiſſet; atque ſi re adhuc integra, hodie demum nomen vnum quæreretur, quod tanquam nota quædam, qualis & quantus adoleſcens ſit Vrſinus, ſignificaret, quis veſtrum aliquod poſſet idoneum excogitare, quo tanquam titulo, argumentoque, & vt Græci loquuntur, epigraphe, de tam multiplici facultate aliquid indicaretur? placuit ei literarijs elementis, atque ſyntaxi operam dare? dedit vt omnino pauci. placuit emendatè italicè, peritiſsime græcè, latinè verò multo elegantiſsimè loqui? natum eum Athenis, aut in Etruriæ vmbilico, & apud Corneliam Gracchorum matrem educatum credatis. libuit è ſuperiore loco, libuit

buit ex æquo, poſito argumento, diſputare? catenas nectit, & vincula, habetque velut haſtas amentatas, quas oratorijs, & dialecticis lacertis, viribuſque torquet. viſum eſt fidibus canere, aut ſaltare ad numeros, aut in ſtadio equos ad curſum admittere? hæc ſcienter facit cum primis. viſum eſt philoſophos inter ſe diſſentientes committere in certamen? hoc horis pene omnibus facit. iudicauit rationibus ſuis conducere, leges cognoſcere & iura patriæ ſuæ? cognouit ſolertiſsime, vt quicquid Trebellius, Vulpianus, & Labeo æternis monumentis literarum conſignarunt, pene ipſis promptius poſsit, ac melius interpretari. Tot rebus cum vnus valeat, & fretus ingenij ſui copijs tam varias artes promittat, Vrſinum non abſurdè cum illa multorum ellychniorum lucerna poſſe videor comparare, de qua eſt carmen Martialis: *illuſtrem cum tota meis conuiuia flammis, totque geram mixos, vna lucerna vocor*. Quid in iſta ratione dignitatis ineſt, atque ſplendoris? ad vitæ quotidianum vſum atque vtilitatem quantum ea conducit? Suauitatis porro atque dulcedinis quàm multum impertit? Muſis feſſum illis ſeuerioribus inſtaurant aliæ tot artes & muſæ amœniores: tuum Ariſtotelem, tuum Scotum, ac Trebellium exhilarare cantore introducto potes, ſi lubet: neque pretio, prolatoque peculio: neque alicunde foris petendæ ſunt tibi deliciæ, quæ marcentem animum excitent, cum eæ tibi abundè domi ſuppetant, idemque ſis tuo arbitratu ſapiens atque ſymphoniacus, &, vt aiunt, paginam idem facias vtramque. namque ne cuius te vnquam artis ſatietas capiat, ſtudia commutas, atque ſemper commutabis, Lachetem ſenem Terentianum imitatus, qui ſubinde rus ab vrbe demigrans, & paruo interuallo rure vrbem repetens, illud commodi capiebat, ſe vt neque agri, neque vrbis odium perciperet. Feliciſſime optimeque adoleſcens, cum tantis bonis quid eſt, Crœſo quod poſſis inuidere? Non equidem video, quid reſpondere homines ignaui poſſint, qui ingenio nihilo deteriore cum ſint, ſed ſtudio multo minore

In apophoret.

Eunuc. V. 6.

gloriæ,

gloriæ, ignari quàm multis rebus aptam naturam ſortiti ſint, hoc largiuntur inertiæ ſuæ, vt vnam aliquam facultatem ſibi ad ediſcendum colendumque proponant, reliquas non attingant; quod ſpatio vitæ tam breui, ac tanta imbecillitate virium, tantaque obſcuritate rerum, quæ pertractantur, negent ſani hominis eſſe, velle omni parte humanitatis, ac vniuerſa literatura inſtrui ac perpoliri. Qui tantummodo in opere vno verſantur, ſaltem id vnum, quod agunt, agant ea diligentia, quæ digna ſit viris; ſuam illam ſciant

In arte poet.

ſimulare cupreſſum, vt poeta Venuſinus inquit; eandem incudem dies noctefque tundant; teneantque omnia, quæ ſunt eius facultatis. id ſi faciant, quamquam re, etſi nondum verbo, ignauiæ patrocinium ſuſceperunt, facilè tamen perſuadebunt multis, ſe non temerè in eam opinionem ingreſſos fuiſſe, in qua ſeuerè, conſtanter, & laborioſè verſentur. Sed vereor, ne hominum ſit eorundem, & eos irridere, qui ſuam induſtriam in plura diſtrahant, & eam vnam facultatem, ad quam ſe ipſi contulerint, non admodum ſtudioſè perdiſcere. Quid iſti diſputent audio: glorioſorum & leuium hominum eſſe inane ſtudium, hinc, illuc velut æſtu deferri, nec vſquam in vna facultate conſiſtere. Non equidem probo ardeliones eiuſmodi, Martialis eodem amaro ſalè caſtigandos, quo Attali

Lib. 2. epig. 4.

neſcio cuius, morionis mirifici, arrogantiam caſtigauit, qui planè rudis omnium artium, aut leuiter tinctus, tamen cauſas agendi, hiſtoriam ſcribendi, componendi mimos, canendique artes venditabat. factum non probo, neque adeò niſi iniquiſſimè fero artifices eiuſmodi, à quibus palam queror, non coli, ſed contaminari artes, dum ex earum numero & multitudine malunt vanam auram laudis & exiſtimationis, quàm ſolidam gloriam ex vnius alicuius intelligentia captare. Eorum qui febri peruruntur, iſte morbus eſt, vt verſentur in lectulo, nec pati quietem poſſint: Scytharum eſt hic furor, vt nuſquam certas ſedes figant, ſed diuagentur ſemper & errent: eſt hominum ea conſuetudo, quos ſtellio momordit: eſt taurorum, quos

œſtra

œſtra exagitant, vt impetu auferantur,& vix vllis vinculis vno in loco poſſint coerceri. Quamquam quid eos vexo diutius, qui contenti modicè imbui literis,& leuiter adſpergi, laudem abſolutionis cuiuis relinquunt? Bonas literas arbitratu ſuo tractent,otio abutantur vt volunt,ſuiſque legibus nemine intercedente artes colant; modò ne ſpargere in vulgus audeant voces flagitioſas, literiſque admodum pernitioſas,NON poſſe tantum humanis ingenijs imperari, vt quis vna plures artes ediſcat, tam contracta ætate hominum, tam exiguo modo virium: ac illud fruſtra ab hominibus gloriam intemperanter amantibus exoptari, vt ab vna velut tellure tam variæ fruges proueniant. Morem ego mitto illum veterum ſapientum, qui terras pene omnes peragrabant amore doctrinæ, quicquid vſquam de iure ſacrorum, quicquid de moribus gentium traderetur, quibus legibus tenerentur populi, quibus religionibus dij colerentur, anxiè perquirebant omnia: & cum Mathematicam, Muſicam,Geometriam, Medicinam & Philoſophiæ partem omnem cognoſcere ſtuderent, bibliothecas, quæ vſquam eſſent in orbe terrarum, adibant: Sibyllas inueſtigabant & Magos, & quoſcumque opinione doctrinæ celebratos: ac ne quid ſibi lateret,quod quiſquam ſciret, ſacris Cereris initiabantur, vt paulatim illa quoque explorarent, quæ vulgari nefas eſſe crederetur. O magna nomina antiquitatis Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Mercurius Trimegiſtus! O ſapientiæ antiſtites præclari, & auctores! O Hieronymus, Auguſtinus, Clemens Alexandrinus! O Tertullianus, Origenes, atque Cyrillus! Quanta dignitas horum nominum? quæ auctoritas? quæ magnitudo? qui ſenſus denique noſter ergo hos ſummos viros demortuos? quorum minimè vultus & imagines in bibliothecis viſerentur quotidie, niſi plurima ſummo ſtudio complexi fuiſſent, & ingentes animorum ſuorum velut ſinus immenſa copia rerum plurimarum infercifſent. Nam ſi quid rectè iudicarent homines leuiſſimi, aut ſi quid viris doctiſſimis affir-

mantibus crederent, ſtatuerent profectò artium inter ſe liberalium eam neceſſitudinem eſſe, ac eo nodo vinculoque eas copulari, vt in vna quapiam excellere poſſe crederent neminem, niſi qui totam veluti familiam artium ingenuarum comparaſſet. Hoc omnibus libris docent viri ſapientes: hoc nihil crebrius in ore, in ſermone doctorum. quid ergo ſuſcipiunt, inſtituuntque, qui cæteris ne à limine quidem ſalutatis artibus vnam ſibi colendam conſtituunt? Nondum ij ſciunt, quid ſit doctrina? & quod pondus ſit huius vocis? Eſt ea ſcilicet omnium & rerum & verborum cognitio. Etiamnum eos fugit, Sapientiæ nomen quid importet? nempe notitiam importat diuinarum humanarumque rerum. Adhuc ignorant, eruditio quanti ſit, & quemadmodum nullis terminis circunſcribatur? Ea verò literas complectitur ſacras & profanas, forenſes & domeſticas, antiquas & has recentes, ſerias & ludicras, ruſticas & vrbanas, priuatas & publicas, circenſes & theatrales. quicquid de officijs diſputatur, origines progreſsioneſque rerum, vrbium & populorum ortus & interitus, ſacrorum dogmatum tractatio (quid enim vniuerſa enumerem?) hoc nomine continetur. Quæ omnia quando quis animo incluſa tenet, tum demum exiſtit illa facultas, quæ nullo pretio auroque poſsit permutari: tum demum velut ex multis partibus eruditio compingitur & coagmentatur: tum denique ex humaniſsimarum rerum commixtione mirifica ſpecies ac dignitas & maieſtas enitescit. Hoc loco mihi rei haud inuenuſtæ in mentem venit, quemadmodum & Amaracus inuentus ſit, qui odoris longè laudatiſsimi eſt; & quemadmodum à principio ſit fuſum æs Corinthium. Neutra iſtarum rerum artem, aut naturam, aut hominum conſilium, induſtriamue parentem agnoſcit; vtranque caſus & calamitas conflauit. Ac de Amaraco quidem quid minus obſcurum? Puer Cynaræ Regis Cypri vnguentarius caſu lapſus, dum ferret vnguenta, fregit comminuitque alabaſtrum. Regiæ deliciæ, regiæque merces non perie-

Seruius ad 1. Æneid. Iſidor. lib. 7.

runt

rierunt eo infortunio, ſed in vnum confluxerunt liquores, olea, vnguenta, & quicquid illis ampullis compluribus erat incluſum. quid puer dolore contabeſcis? quid adeò metuis offenſam Regis? quid ità trepidas, & ægritudine conficeris? aut etiam quid iſta vaſculorum iactura te diffidere tuis rebus cogit, atque immerentem ad laquei præceps conſilium adigit? Inire gratiam potes ab hero, ſi ſapis, atque ſi tuus dolor aliquid à ſummi doloris abeſt acerbitate. Confuſis enim vnguentis, Viri Clariſsimi, confractiſque & comminutis vaſculis, gementeque & penè expirante ſeruulo natum Amaracinum fuit odoris fragrantiſsimi; ſtatimque hominum iudicium eius caſus temeritatem probauit. Æs verò Corinthium quis ſeſe exiſtimat debere naturæ? Ignem Corintho ſubiecerat L. Mummius, victor crudeliſsimus, qui cum poſſet monumentum fortitudinis atque clementiæ ſuæ vrbem incolumem relinquere, ſeruareque eam ipſam ſupplicem, quam viciſſet armatam, maluit iracundiæ ſeruire, & illud opus tot ſeculorum, illam gemini maris arcem flammis delere, quid facerent timidi ciues? quidue conſilij caperent in ea rerum omnium deſperatione? conſilium ceperunt vnum maximè pium, vt pereuntibus aut perituris omnibus rebus, ſaltem ſignis & ſimulacris deorum cauerent, quæ maiorum ſuorum religio ex ære, auricalco, argento & auro fudiſſet. Omnia ſilentio comportarunt in vnum locum, vt & ſæuientium iræ, & quærentium auiditati ea ſaltem ſubducerent. At enim quis incendio modum ponat? Cum hinc Ionium, inde mare Ægeum radices allueret vrbis opulentiſſimæ, & fluctibus penè mœnia euerberarent, tamen corripuit ignis tecta vrbis. peruagabatur flamma vorax, & nullo diſcrimine cuncta ſacra & profana populabatur. quid verbis opus eſt? ad illud quoque domicilium flamma peruaſit, in quo latebant condita ſigna deorum, vſſitque fores, hauſtiſque penè momento cæteris rebus, ipſa quoque ſimulacra ſoluit & eliquauit, & quicquid ex auro, quicquid argenteum fuit, quicquid

Plinius Florus. Muret. var. lect. 3. 5.

æris, in vnam maſſam conflauit. Tunc ſcilicet illud æs Corinthium extitit optimæ notæ: tunc in funere vrbis, totius Achaiæ facilè principis, nata materies eſt perlautæ ſupellectilis: tunc ipſæ flammæ, toto orbe celebrante, ea vaſa pepererunt, quæ per multa ſecula regios abacos, menſaſque exornarunt. Copioſius fortaſſe, quàm fuerit neceſſe, ex antiquitatis memoria originem rerum duarum repetij. Ego vnguenta nihil moror, nihil Deliaca aut Corinthia vaſa, quorum non vſus modò, ſed penè iam etiam nomen intercidit. Ergo artes quoque commiſceantur, copulentur, multæ vni tradantur; quid enim dubitatis, quin coaleſcere queant, quin æs meritura ſint, quin auro præſtaturæ, & ſi quid auro eſt magis pretioſum? Copulaſti atque commiſcuiſti, non quemadmodum multa iura coqui ſolent, ſed res optimas, Gabriel Vrſine: Iuriſprudentiæ fides & ſymphoniam dediſti, philoſophiam à ſeueritate flexiſti percommodè ad comitatem, decurrere in ſtadio voluiſti oratorem tuum, eique numeros, elegoſque, vt à curriculo aliquando exeat, addidiſti. Iam ergo iiſdem te verbis alloquar, quibus ſtatuam pulcherrimè fabrefactam amator fertur allocutus; *O ſpecies elegantiſſima, quiſnam te Deus effinxit? quænam Suadela, vel Gratia, vel Amor ipſe pater venuſtatis? quàm omnia tibi re vera, inſigniter adſunt*. Non tibi, ſed ignauis præcepiſſe Plutarchum docuiſti, VT quiſque ſe cuique functioni pro indole ſua admoueat. tibi enim id ſortirò contigit, hoc vni tibi, aut certè cum paucis, munificè dedit præpotens ille Deus, vt velles quantum poſſes, poſſes quantum velles. En vides, te vt omnes taciti audiant differentem; vt muti opes ingenij tui mirentur: denique omnium vt os occludas? Me verò quid facere, ac porro facturum eſſe arbitraris? querar ſemper me non eſſe vnum aliquem ex regibus opulentiſſimis, neque mihi Picorum montes eſſe, neque mihi eſſe vectigales Peruanos, aurum qui optimum & plurimum effodiunt; vt mea munificentia tantis virtutibus ancillaretur: non eſſem iſto annulo contentus,

Apud Oenomurchū ſophiſtã.

Precepta politica.

tor-

torques, chlamydes, præfecturas, tribunatus, prouinciaſque nulli hominum generi promptius decernerem. certè illud efficerem, ne cui alij, me imperante, melius eſſet, quàm ei, qui omne regnum præ ſtudijs liberalibus faſtidiſſet. Quamquam ex horum principum, qui nunc ſunt, liberalitate, iudicioque honores tibi, Vrſine doctiſſime, opeſque deſpondeo, & conditiones opulentas; quod cum fiet, vatis tui, qui rem multo ante proſpexit, fac memineris. Dixi.

In Laurea
IACOBI PHILIPPI RVSCÆ
PANEGYRICVS
Qui inſcribitur
Fuimus Troes.

SI nobis, qui ſubinde fortium virorum laudes meditamur, & palam in concione quoties præſtantes ingenio, induſtriaque adoleſcentes exornamus, toties quædam ſimulacra virtutis exprimimus, lex poſita foret eadem, quam Thebis latam fuiſſe ferunt tum Ælian. figulis, tum pictoribus, ne fingendas, nèue pingendas 4. 4. imaginum formas ſuſciperent, niſi qui arti præſiderent ſuæ, & id præſtare peritiſſimè ac feliciſſimè poſſent; pœna propoſita grauiſſima, quam penderet de tergo, lueretue pecunia, ſi cuius minimè placuiſſet artificium; minus hercle multi hanc laudandorum ciuium prouinciam ſuſciperent, ego certè minimè omnium, qui meæ conſcius imbecillitatis alia mallem

omnia, quàm in ea re ingenium experiri, in qua poſteaquam omnia quæ poſſem, præſtitiſſem amicis, tum demum aut præbendum à me tergum eſſet ad contumeliam flagri, aut pati deberem pignora auferri, meumque nomen cum nota infamiæ ſempiterna oratorum è numero viderem expungi. Cui enim vox & color, cui vultus, cui denique mens ipſa conſtaret, qui conditione eſſet dicturus eadem, qua memorant dixiſſe rhetores antiquiſſimos ad aram Lugdunenſem, vt conſpuendus lictoribus, cædenduſque traderetur, eoque probro notatus è choro exigeretur oratorum, ſi fortè in eo munere minus ſcitè fuiſſet verſatus? Quid verò quiſquam Thebanæ legis ſeueritatem accuſet? Etenim cum nihil ſit homini nato iucundius, ac nihil, vt ait ille, adſpectabilius, quàm ſua cuique forma, vix eſt vt quiſquam ferre modicè poſſit, atque vt non perſtrepat, ſi fortè ſuum vultum ab artifice aliquo imperito, non ſuis coloribus ac lineamentis, neque ſua venuſtate aut dignitate videat exhiberi. Illi quidem certè, qui optimas formas & elegantiſſimas exprimendas ſuſcipiunt, maius aliquid ſuſcipiunt, quàm quod facilè poſsint præſtare; qui permirum eſt quàm ſæpe, & quantum ab inſtituto aberrent. Hoc certè, de quo etiam noſtri ſenſus quotidie poſſunt aliquid exiſtimare, confirmat auctor grauiſsimus Ariſtoteles, qui Polygnoto ita aliquid tribuit, ita alijs pictoribus, vt tamen neget quemquam præter Dionyſium, quos vellet, ſimiles exprimere. Neque ſanè temerè Regum duorum ex omni memoria præſtantiſsimorum alter ſe, præterquam à perpaucis ac certis artificibus effingi vetuit edicto, alter omnino à nemine voluit effingi; ſed ob eam cauſam, quod infra verum ars ſcalpendi pingendique fermè ſemper immenſum ſubſidit. Hæc me cuncta timidius expendentem facilè poſſent abſterrere, ſi aut ego legibus tenerer iiſdem, quibus Thebarum figuli & pictores, aut Ruſca regum ſuperbiſſimorum exemplo ſe nonniſi opere abſolutiſsimo, ab aliquo artis principe, pingi pateretur. Sit mihi eius propitia modeſtia,

Iuuenal. ſat.

Apul.

In poetica.

Plin. 7. 37 & 35. 10.

Apul.

deſtia, ſi quid à me, maiore obſequendi alacritate, quàm ſpe perficiendi, videat inchoari. Cum enim coquus ille Alexis, in fabula, ad cœnam coquendam conductus quereretur, quod præter parata obſonia, careret omnibus, quæ arti ſuæ cum laude exercendæ forent neceſſaria, mihi in tam locuplete argumento cum c tera deſint, artis quoque ad rem tantam pertractandam vix ſatis eſſe intelligo. Sed enim meus eſt, qui multorum, ille morbus animi, vt cum loqui neſciam, tacere non poſſim. Lux ſcilicet hodierna iucundiſsima, & teſtificandi amoris opportunitas oblata diuinitus, honoſque tantus habitus clariſsimi adoleſcentis induſtriæ, coruos quoque ac picas compellat humana verba conari. adeſte animis, ac multa percurrentem breuiſsimè, audite.

Ac primò, necunde Ruſcam ex obſcuro genere, velut lumbricum aliquem ex humo, prorepſiſſe credatis, ex ea familia prodijt, è qua heroes, belli paciſque artibus præſtantes innumeri. neque enim ſecula poſſumus ſuperiora reſpicere & temporum turbulentiſsimorum reminiſci, quin ſe Ruſcæ vndique oſtendant ſuccincti ferro, ductores magnorum exercituum, collatis ſignis deprælliantes cum hoſte, aliquando fuſi victique, ſæpiſsimè victores, ſæpe in ſummo imperio, aliquando etiam, vt ſunt lubricæ res mortalium, imperio exuti ac extorres; quibus tamen aduerſa fortuna vires, copias, ſanguinem adeò ipſum & ſpiritum eripere potuit, magnitudinem animi non potuit. Nobis quidem annales replicantibus antiquitatis illud vſuuenit, vt quanto vetuſtiora & magis à noſtris temporibus remota reſpicimus, tanto ſpecies maior Ruſcarum occurrat. Qui enim modò modicis præfecturis contenti quæſitam foris gloriam à ſuis maioribus tuentur pacis artibus, otioque honeſtiſſimo: qui etiam, ſi arma ſequi malint, nihil vltra centuriatum aut alam concupiſcunt, ſati ijs maioribus ſunt, qui modò ſuis, modò patriæ auſpicijs res maximas geſſerunt, & ſui nominis memoriam monumentis ampliſſimis conſecrauerunt. Præliorum, ma-

giſtratuum, imperiorum, palmarumque fuit affatim in vna domo. Et quamquam hoc tempore translatis ad vnius imperium rebus, & cunctis nutum vnius intuentibus, ſunt Ruſcæ in ordinem redacti, & iam moderationis ac obſequi laudem quærunt, qui antea fortitudinis meruerunt, quid aliud egerunt ſuperioribus annis quingentis, niſi acie conflixerunt, cladeſque belli aut paſſi fuerunt, aut ipſi alijs intulerunt? Ita res tum erant. diſcordia totum ſtatum commouerat Europæ, permiſcebatque omnia Mars ſanguinarius, libidoque ſæuiendi, vindicandique dulcedo hoſtiliter omnia faciebat. factionibus, partium ſtudijs, caſtriſque & præſidijs obtinebantur vniuerſa, priuatæque ac publicæ fortunæ præda potentiorum erant, præmiumque victoriæ, & cum quanto quiſque eſſet imbecillior, tanto magis eſſet opportunus iniurijs, qui viribus, qui copijs præpollebat, qui conſilio, qui manu erat promptior, is ſibi cuncta velut imperij iure vendicabat. Neque tamen in ea perturbatione rerum non plurima magnis animis, eximia conſtantia, ſummoque conſilio ſunt à Ruſcis perpetrata, quæ digna peplo fuerunt, ac viuent in literarum memoria ſempiterna. Iam verò poſteaquàm Italiam ſupernè reſpexit ille Deus, & modo illis intemperijs impoſito velut manſuefacta illorum temporum feritas eſt, omniaque ſunt ad concordiam & tranquillitatem reuocata, defuncta ſcilicet maximis caſibus, grauiſſimis periculis, & cladibus funeſtiſſimis familia (quæ pars magna eſt ſapientiæ) parere didicit neceſſitati, tamque conſtanter arma poſuit, quàm ea diu fortiter tractauit, & eſt ſub alieno imperio tam obſequens, quàm olim, dum quidquid remiſiſſet, erat perferendum, viſa fuit impotens in ſuo. Nota ſunt veteres hiſtorias replicantibus nomina Comitis Lamberti Ruſcæ, ac Ioannis L. F., quorum vterque auctor Nouocomenſibus fuit libertatis repetendæ, multiſque ac magnis prælijs Mediolanenſes, vicinos graues, hoſteſque infeſtiſſimos fregit. Hoc verò ſiquid offenſionis habet, Ruſcas contra hanc vrbem arma tuliſſe; at pro patria

tule-

tulerunt: at laceſſiti iniurijs aſſiduis: at vindices libertatis: & alijs omnibus deſperatis remedijs. Quid tres Principes Lotarij Ruſcæ, quales viri, & qualia ſui ſeculi ornamenta? qui ſuſcepta contra Turrianos perpetua dimicatione, id quod optimo conſiliô inchoarunt, peregerunt feliciſſimo, vt rem Comenſem tandiu coniuratis & ſocialibus armis oppugnatam, tandiu tetra & crudeliſſima oppreſſam tyrannide ſubleuarent. quos ſuæ vniuerſæ auctores, effectoreſque ſalutis cum alio ſatis amplo præmio Nouocomenſes remunerari nullo poſſent, ita in vitæ neciſque dominos elegerunt, vt patronos ac parentes agnoſcerent. Franchinus Ruſca vnus & alter, ille ob ſuppetias difficillimo tempore latas adſcitus gener à M. Matthæo Vicecomite; hic ob deportatas Ioannis Galeatij iuſſu copias auxiliares in Siciliam donatus multorum oppidorum dynaſtia; vterque principum nomine Nouocomum in fidem & clientelam accepit. Huc addite Bernardum, Albertumque Ruſcas, non hominum, ſed ſcientiæ militaris, ſed inuictæ tum fidei, tum pietatis vocabula, qui quandiu vita ſuperfuit, arma circumferre non deſtiterunt, quàm pia, ne quæratis, cum pro libertate: ne dubitetis quàm auſpicatò, cum pro patria. quis enim ambigat, quàm fortiter, cum toties numero impari aleam ſubierint certaminis? quàm verò etiam feliciter, euentus oſtendit, cum hoſtem toties pepulerint, exuerintque caſtris, ac penè internecione deleuerint. Atque ſi tot inter armatos locus hìc inermi eſſe poteſt, prodeat cum ſacris infulis Georgius Cardinalis, Epiſcopus idem, Princepſque Tridentinus, vir omni prædicatione maior: nouiſſimeque prodeat ille non ita dudum Cælo receptus Nicolaus Sondrij Archipresbyſter. O magnum lumen ſeculi noſtri! O dignum virum, cui terra quamprimum cæleſtes honores perſoluat! O dignum qui in vicis omnibus, atque in omnibus templis cum triumphalibus ornamentis ſtet aureus! Quid verò vos, Ruſcæ, heroum ac eorundem veſtrorum gentilium tam multorum ora vultuſque expreſſos, habetis

in ijs tabulis, quibus veſtrum atrium exornatis, cum NICOLAI vos vna imago magis honeſtet ac nobilitet, quàm facerent Aeacidarum omnium, omniumque Ptolemæorum ſi genus veſtrum ab eis repereretis, imagines prolatæ, ordinèque longo diſpoſitæ? ſed dicamne vinci vos ſtudio ac religione, ſectæ turpiſſimæ ac exploſæ ab aſſeclis, qui Epicuri effigiem non contenti dedicare in Muſæis & ſacrarijs, atque habere expreſſam in tabulis, eam ſibi in poculis quoque, atque in annulis curabant incidi? quid ego dicam eiuſmodi? Neque enim dubito, quin qui Nicolai Ruſcæ imaginem pictoris non inelegantis expreſſam artificio, veſtrum ſubeuntibus limen oſtentatis, eandem circunferatis impreſſam in animis veſtris, eandem veneremini ſenſibus intimis, eandem quotidie tanquam aliquam Egeriam adhibeatis in conſilium, deniquè eandem conſiliorum omnium auctorem, vitæque magiſtram habeatis. Tecum loquor, Iacobe. quid fieri potuit commodius, quàm nequiſſe te domi tuæ neque oculos attollere, neque eos circumferre, quin ſtatim ora clariſſimorum virorum occurrerent: eorumque heroum in contemplatione adoleuiſſe, quorum recordatione acer, ac minimè ſanè degener animus non poſſet non vehementer commoueri? Quid illi inſignes in ſacra veſte, infuliſque fulgentes? quid illi omnium rerum humanarum irriſores, contemptoreſque, & ex auſteriore vitæ diſciplina, cultu rigentes obſoleto? quid alij pluſculi, qui literis & commentationibus prodeſſe multis ſeculis ſtuduerunt? quid rurſum tam multi, qui miſerorum ara, qui arca & area fuerunt egenorum, qui Cælum promeruerunt factis inuictiſſimis, qui in religionis propugnatione latus iugulumque fodiendum præbuerunt? hæc ſcilicet videres quotidie, neque tamen commouereris? neque excitareris? neque tacitis eorum vocibus viam, quam ingredereris, intelligeres commonſtrari? Neque enim ſilent mutæ imagines, ſed incitant, obiurgant, medulliſque ignem occultum inſpirant, proque neceſſitudine, quæ ſibi vobiſcum
eſt,

eſt, pro eo, quanti ſua cuique ſalus eſſe debet, & pro vetere gloria gentis, vos quotidie ad morum ſuorum ſimilitudinem vocare non deſinunt. Nam ſi te adoleſcentulum parentes tui, ne eſſes nepos, ne flagitioſus nève turpem amorem ſectareris, deterrere voluiſſent, vtrumne præſtitiſſet Album aliquem & Baram, quos luxuria ad egeſtatem adduxerat: aut aliquem Sectanum & Trebonium, fama quorum olebat ſpurciſſimè, tibi ab ipſis in mentem redigi; an Beatum Vincentium, Nicolaum, Beatricem gentiles tuos, an aliquem ex Lotarijs tuis & Franchinis memorari, quos pudor, quos charitas patriæ, quos bene agendi ſtudium perpetuum, quos fortia facta in Cælum ſuſtulerunt? Sed enim vetere monemur prouerbio, vt viuorum meminiſſe velimus. Innutritus Iacobus Philippus fuit in caſtiſſimis penetralibus domus Antonij patrui ſui, cuius viri de laudibus omnium eſt fama conſentiens, domoque in ea plena integritatis, officij, religionis, quæ eum doctrina & exemplo poteſt quotidie meliorem efficere. Nam ſi Dionem illum Siculum facilè paucorum menſium conſuetudo Platonis, ad cupiditatem vitæ pulcherrimæ, atque optimæ potuit traducere, cogitate vobiſcum de Ruſca quid exiſtimare vos oporteat, à quo diligentiſſimus patruus nunquam oculos deiecit, quo cum vixit coniunctiſſimè ſemper, de quo dies noctesque cogitauit, quem optimum Eccleſiæ adminiſtrum, patriæque ciuem efficere ſtuduit enixè, quem denique ad ſuam ipſius formam, velutique præſcriptum vitam ſuam inſtituere voluit. Quod enim dicebat de ſe Socrates, ſibi Genium omnium conſiliorum auctorem adeſſe, veriſſimè de ſe ipſo dicere Iacobus Ruſca poteſt, quem patruus virorum optimus & grauiſsimus quotidie monendo, ac veluti lambendo ſui ſimillimum efficere laborat, & cuius auribus animoque inſtillat ſaluberrima; cum is quidem multo ſit diligentior in fratris filio, quàm in filio Antilocho fuerit Neſtor Homericus, quem pater quemadmodum in equeſtri curſu, Patrocli gratia inſtituto, equos moderaretur, monuit

Horat. ſat. 4. lib. 1.

Aelian. lib. 8. cap. 1.

Iliad. 23

monuit accuratiſsimè. At ſanè Ruſcæ in bonis illud eſt præcipuum, docilis animus, ac diſciplinæ patiens, quo abſque fuiſſet, luſiſsent parentes operam in filio inſtituendo, patrui fuiſset labor irritus, denique fruſtra ſepiuiſsent cuſtodia liberali ætatem adoleſcentuli moderatores eius, & ferocientem, ſpatioque excedentem fruſtra propoſitis viuorum, mortuorumque exemplis coercere ſtuduiſsent. Commodi Imperatoris veniat vobis in mentem, quem tam nequam euaſiſſe Roma, hiſtoriæ, poſteritaſque non deſinunt admirari. Is quidem, cum Marci filius fuiſſet parentis optimi, literatorem Græcum habuiſſet Oneſicratem, Latinum Capellam Antiſtium, Oratorem Atteium virum ſanctum, nihil cuiuſquam profecit in ludo: ille mage didicit ab alijs, quæ ſtationis minimè fuerunt Imperatoriæ, calices fingere, ſaltare, ſibilare, ſcurram denique & gladiatorem ſe præſtantem oſtendere. Illud in Ruſca cuiuſmodi fuit, quod vixdum ineunte adoleſcentia cum fraterculo natu minore, ephebo lectiſſimo, quicum vixit ſemper coniunctiſſimè, paribuſque & auſpicijs & conſilijs tractauit literas, tanquam quidam gemellus Caſtor cum gemello Caſtoris, in ſeminarium ſe, tamquam in liberam cuſtodiam condidit, prælataque delicijs gloria literarum, in illud ſe piſtrinum coniecit, vbi rigent omnia, perſtrepunt minæ, ſæuiunt leges, vbi præter vberes virgidemias cætera ſunt arctiſſima: inibique tanquam legitimus gladiator inclementiſſimis moderatoribus corpus, animamque religioſè addixit, ſeque vinciendum, verberandum, necandumque inedia, & velut leo chordula vinctus, quoquouerſus circumagendum tradidit. Quid ita? Tanti eſt ad virtutem properare, quam negant in voluptatis regno poſſe conſiſtere: ac tanti nomen mereri docti viri, ad quod illa trita via eſt, ſi puerilis animus à blandimentis procul abſtrahatur, atque Laconum more ad accipiendas & muſſitandas iniurias, ad plagas concoquendas, ad ſitim differendam, ad perferendos labores, ad cubilis duritiem atque ad omnia incommoda vitæ obdureſcat. præclarè,

Aelius Lampr. in eius vita.

clarè, ita me Muſæ ament. Sed anne te ad Alcinoi hortos, aut ad aliquam è fortunatis inſulis exiſtimas proficiſci, qui facibus oculorum tam lætis, atque tam conſtanti habitu oris & animi eò te confers, vbi ſeptæ multo terrore fores ſunt, vbi ſunt tam multæ leges horrendi carminis, vbi denique tibi nunquam eſt lugendi ſeges defutura? at fruſtra aduerſus conſtantiam bene ſentientis animi nos eſſe diſerti conamur. In Seminarium ingreditur, atque ad me rectà in ludum literarium. De me quid dicam? niſi, cum in excolendis multorum ingenijs non minus oleum periret mihi, quàm illi ſutori apud Macrobium in coruo ſalutatore inſtituendo periſſet, Iacobum & Franciſcum fratres mihi fuiſſe oblatos diuinitus, qui in tanta multorum ruta inſtar haberent pulegij, & miſerum præceptorem nauſeantem, atque in ſuſcepto negotio periclitantem exiſtimatione, denique quotidie quiſquilias & fæces animo iniquiſſimo conuerrentem recrearent induſtria ſua, atque diffidentem confirmarent. quid laborioſius geminis fratribus? quid magis patiens limæ? quis rerum copia vberiore? quis maiore nitore verborum? quidue in pertractandis argumentis tum vberius, tum magnificentius? Vt nemini poſſet mirum videri, ſi meum quoque, ſicuti olim Latonæ, *tacitum pertentarent gaudia pectus*, cum tales prodituros è meis vmbraculis viderem diſcipulos, quales ego fortaſſe propediem nec magiſtros eſſem aſpernaturus. Nam ſi Græca Muſa Pindarus ſummis laudibus Mileſium quendam aliptam ſibi commendandum putauit, quod ſuo ille artificio multos iam victores effeciſſet, quis neget me fuiſſe meritum, quem laude impertiant aliqua, qui duos Ruſcas, qui præterea quotannis aliquos ſic arte inſtruxerim dicendi, vt nemo verſet callidius animos, nemo copia affluat vberiore, neque apparatu maiore proferat opes ingenij ſui, nemo denique ſæpius in audientium animis eum aculeum infigat, ac relinquat, quem à Pericle relinqui ac infigi ſolitum comicus Eupolis affirmauit? Cuiuſmodi enim, vt alia omittam permul-

Saturn. lib 11. cap. 4.

Olymp. hymn. 18.

Plin. lib. 1. e. iſ. 2d.

ta.

ta, ille Panegyricus fuit, quem Ruſca D. Carolo dixit? quem ego cum immixtus cæteris audiebam, eo nitore ſplendoreque verborum, eo pondere ſententiarum, non dubitabam eam orationem Venerem Apellis, & Iſocratis Helenam appellare. Nemo è frequentiſſima corona fuit, nemo ex eloquentiæ proceribus, ac ne quidem quiſquam ex illis faſtidioſis, qui morbo quodam animi omnia deſpuunt, cui non cumulatè ſatisfecerit. Ego certè, cum eum, quem ego rhetorem inſtituiſſem, ſe ſe tam mirabiliter efferentem audirem, tabularum & pyramidum inuidebam artificibus, quod cum ij ſuum nomen alicubi adſcribant, vt molem nemo contempletur, quin continuò intelligat, cuius illa manu fuerit elaborata, mihi non liceat in Iacobi fronte nomen eius, per quem profecerit, inſcribere. Erat iam Iacobus exculrus literulis, quantas poterat & ingenioſiſſimus quiſquam è meo ludo petere, & mea cuiquam diligentiſſimo ars impertiri. Cum ergo alia caſtra, & auctoramenta cogitaret, & ſic ad philoſophos, quemadmodum illa ad veterem Spartam Venus poetica, eſſet tranſiturus, per annum integrum apud Dialecticos ſubſtitit, à quibus ex ipſorum diſciplina militariter inſtrueretur, ſpiculaque acuere, fodere cuniculos, tela torquere, rectaque fronte procurrere diſceret; eorumque ex armamentario (Græci Πανοπλίαν dicunt) genus armorum vniuerſum depromeret. Cum hoc ornatu ad ſigna migrauit ſapientum, vt ab eis ea quæ tum ad cognitionem animi pulcherrima ſunt, tum ad moderandam religionem neceſſaria perdiſceret: atque ita migrauit, vt totos ſex annos ſtare ſemper in acie ſit viſus, ſpiculis infeſtis procurrerit, atque pro ſua ratione conſtantius, quàm quiſquam pro aris & focis depugnauerit. Quod quamquam velitationum genus quoddam innocuum eſt, & tantùm ſimulacrum pugnarum, ijs tamen clamoribus res geſta fuit, ac ea animorum ac virium contentione, te vt quiſque rudis, & noſtri inſtituti ignarus, ſæpe tuis condiſcipulis implacabiliorem, quàm Hectori Achilles fuerit, haud

temerè

temerè potuerit exiſtimare. Sed ita conſtat ea ratio: niſi rixeris, ac niſi ſæpe, ſummiſque clamoribus trahas funem contentioſum, nihil agis, neque te magis, quàm poſſit ſtipes aliquis & caudex, theologis aggrebabis. Sed enim quis te impetus rapuit extra omnes metas, vt cum hic conſiſtere tua deberet induſtria, & contentus ea doctrina eſſe poſſes, quam vnam maximè cælo noſtri maiores deuocarunt, & quæ nobis noſtræ religionis arcana recludit, noua ſpatia circumſpexeris, quæ viribus inſtauratis percurreres? Quid ita ad iuris ciuilis prudentiam animum adiecisti, & cum è ludis tanquam ſatur conuiua poſſes excedere, bonique adoleſcentis functus eſſes officio, denuò te in ſcholas ad ius ciuile perdiſcendum coniecisti? Rarum eſt, inuſitatum, genere tamen ipſo ſingulare, atque tum vſu, tum dignitate præſtantiſſimum, cum literæ theologicæ, atque ciuilis prudentia habeant in Sacerdote atque in Eccleſiæ adminiſtro inſtituendo inſtar quoddam proræ, puppiſque, ab eodem adſciſci vtraſque & comparari. Neque te ſanè, flos adoleſcentum, illud apud Lucianum Mercurij præconium in concilio Deorum, deterreat: *Quiſque exerceat* ſua commercia, neque Minerua rei medicæ intenta ſit, neque Æſculapius dandis oraculis vacet, neque Apollo tam multa ſibi ſoli obeunda vendicet, ſed vna re quapiam electa aut vatem, aut medicum agat, aut ſi fortè malit, citharœdum. Quid enim athei & nugatoris vaniſſimi verba moremur, cum nonnemo apud Platonem, philoſophari nihil eſſe defendat aliud, niſi in vita plurima diſcere, arteſque tractare? cum perpulchrum ſit, & præclarum, ſi nobis item, vt Soloni, diſcentibus quotidie multa, ſenecta veniat? Cum ipſe diuinus Plato maximam gloriam illum dicat adipiſci, qui omnium artium peritus ſit; aut ſi minus omnium, plurimarum ſaltem, earumque præcipuè; quibus hominum vita tum ornatur, tum perficitur, & conſtituitur? Nam ſi cuiquam ars quæpiam prægrauis ad perdiſcendum, atque ad pertractandum videtur, promptum eſt, quam ei viam commonſtrem: legem

Decretū Bona fortuna.

Plato de Philoſophia. ibid.

gem illam medendi & rationem vſurpatam à Græcis, atque ab Ægyptijs adhibeat, quos apud, vt ait vir grauiſſimus Herodotus, erat in hunc modum medicina diſtributa, ſinguli vt medici eſſent morborum ſingulorum, vt qui oculis facerent medicinam, non poſſent capiti, non auribus, non cæteris corporis partibus manum admouere. Quam ſanè rationem irriſit Ariſtoteles, qui vult probatos ac bonos, & quemadmodum ipſe loquitur, elegantes medicos totum corpus & ſingulas eius partes ſit intueri, vt cuilibet poſſint medicinam adhibere. Galenus verò facilè princeps in ea facultate maius quiddam complexus animo fuit, qui etiam libro perpetuo artem cognoſcendorum & curandorum morborum animi euulgauit. Sed Græcos exagitemus & Ægyptios, apud quos cum de alijs alijſque morbis ſeorſum alij & iudicarent, & præciperent, quæ demum ratio erat, quapropter neque ſeorſum alias alij pharmacopolæ diluerent potiones, neque alios alij vnguentarij odores excoquerent, neque denique pro genere multiplici ferculorum eſſet cuique ferculo condiendo ſuus coquus attributus? O Græculos mirificos, ne dicam ridiculos! qui diſſectam in multas partes medicinam ita multis pertractandam traderent, vt pluribus effertæ medicis vrbes forent, quàm olim Ægyptus ranis & locuſtis. Valeant cum ſuis legibus Graij ac Ægyptij: valeat cum ſuo Mercurio Lucianus, quos re, etſi minimè verbis, ignauiæ profeſſos patrocinium nihilo magis ſibi audiendos fuiſſe cenſuit Ruſca, quàm ſi apertè aduerſarentur honori ſuo, & ſuo de capite coronas diriperent. O præclarum adoleſcentem, & artium ingenuarum cultorem eximium! Quid enim venit in mentem Euripidi, nullam dicere eſſe certam notam in hominibus, quæ animorum declaret magnitudinem? an vlla eſſe poteſt magnæ indolis nota clarior, quàm quemquam in doctrinis perdiſcendis nullos ſibi terminos figere, & modò ſit quod ſua cognitione & perueſtigatione dignum arbitretur, laborem nullum reformidare? recens eras è ſtudijs theologicis cum iuris ſcientiam in gym-

In Euterpe.

Gallutius ad ca. 3. lib. 1. moral. Ariſtot.

ibid.

apud Petrum Victor. lib. 14. c. 23.

gymnaſio Ticinenſi didiciſti, Ruſca mellitiſſime: neque tamen eam ita didiciſti, quemadmodum qui vxore repudiata priore & foribus exacta alteram ſuperinducebant; ſed quemadmodum qui addere ſemper aliquid ſtudent aceruo, & opes, quas iam habent in conditis, quanta maxima poſſunt acceſſione, cumulare conantur. Ergo vtriuſque compos facultatis iam licet Iouem imiteris Homericum, qui nunc quidem Thracum equeſtrium terram adſpicit, nunc autem rurſum ad Myſorum regionem oculos deflectit. tolles cum libuerit tuos oculos in cælum, ibique quandiu viſum fuerit, peregrinaberis: deijcies rurſum oculos eoſdem ad humum, cum tuæ, cum amicorum, cum Eccleſiæ tuæ rationes eò reuocabunt. hæc, illa perages alternis; habebitque varietas & viciſſitudo iucunditatem. Nam quod Hippocentauros Lucianus nominat Sophiſtas, qui pro re nata aliò atque alio ſchemate ſeſe ſpectandos exhibent: quod Chriſtianos hoc eodem nomine vocat Fauſtus Manichæus ob duplex Teſtamentum: quod denique Cyrus ille quoque Xenophontis Hippocentauros appellat Equites, quòd qui homines ſunt, & iumentis inſident, cuiuſdam vnius animantis re coaleſcentis ex vtraque ſpeciem exhibent; equidem ex quo Ruſcam geminis præfulgentem duarum principum facultatum nominibus cognoui, quarum altera illi pro infulis ſit, altera pro inſtrumento, nunquam dubitaui, quin cum multo congruentiùs, quàm quenquam alium, poſſem Hippocentaurum nominare.

Lucian. de hiſt. ſcrib.

Chryſol. Theatr. rhetorū lib. 2. c. 1.

Hìc modus eſto cùm mihi dicendi, tum vobis audiendi. Iacobo Ruſcæ domum è frugifera Ticinenſi peregrinatione, & ſecum lautas copias, quas multo abſens labore quæſiuit, deportanti, ſimiliter euenire cogitate, atque Pythagoræ Samio euenit, cui tranſeunti & in patriam reuertenti Neſſus fluuius dixit: *Salue Pythagora*. Sed enim illud cogitans, ecquod ſit habitura tanta induſtria curriculum; ne tibi ſim Calchas ille Homericus, *Vates infelix*, nihil dicam amplius, niſi optandum eſſe potius, quàm ſperandum, vt

Aelian. lib. 4. ca 17.

digna tuis ornamentis præmia contingant. Illud perquàm incommodè cadit, quòd qui poſſunt aliquid de tuis bonis exiſtimare, nihil tibi poſſunt præſtare: contra, qui theſauris incubant, nulla ornandæ virtutis cura tanguntur. Quàm vellem aut in Matthiam Coruinum Pannoniæ Regem, tuum Ruſca tempus incidiſſet, qui ingenio Ioannis de Monte Regio tam prolixè fauit: aut in Alphonſum Regem Siciliæ, cui Petrarcha fuit in delicijs! quid enim Nicolaum V. nominem, qui Pontano tantum tribuit? Quid Clementem, quid Leonem X. quorum alter Paulum Iouium, alter Cælium Rodiginum largè effusèque donauit? Quid Laurentium Medicem, literatorum nutriculam, cuius in amore Angelus Politianus, & Hermolaus Barbarus principem locum obtinuerunt? Diuos illos beatiſſimo æuo fruentes obſecro, vt hanc mentem MONTIO tuo, meoque, *ardens quem purpura veſtit*, inijciant, vt efficiat, ne te ſeculi tui poſſit pœnitere. Dixi.

In

In Laurea

NICOLAI FELICIANI

PANEGYRICVS.

ANtiquorum ea religio fuit, vt nemo tantum in via feſtinaret, quin vbicunque ſignum Mercurij vidiſſet,(videbat enim in compitis ac triuijs, vbi ſeſe viæ plures interſecarent:) de obuijs paſſim lapidibus ad ſimulacri pedes aliquem conijceret. Ea verò colendi, propitiandique numinis quo mihi ſemper viſa ratio facilior fuit, quod cum alia ſimulacra templis, alia exquiſitiſſimis cæremonijs, quædam etiam regia hecatombe, hoc eſt, victimis centenis colerentur; Mercurio contra coniectu lapidum nec ſumptuoſo, nec difficili ſacrum fieret, eo iniquius fero meam vicem, cuius à ſtudio, pietate, ac velut à religione hodie plus repoſcitur, quàm quantum, qui ſtudioſiſſimi ſunt, ſoleant perſoluere. Vos enim rogo, Viri Clariſſimi, vtrumne difficilius putetis eſſe, in honore Nicolai Feliciani propitiam tabulam in vrnam diribitoris inijcere, an ſublatum è via lapidem ad proximum Mercurij ſignum proijcere? Id tamen vos quum facitis, quod mutus quiſque, ſilenſque ac ſedens nullo negotio facere poteſt, nemo veſtras partes deſiderat; cum mihi aut ſubeunda inuidia ſit improbitatis, ſi ieiunius exiliuſque dixero: aut certè ſi argumenti reique inſtitutæ, atque ſi huius loci auriumque veſtrarum voluero meminiſſe, voce, lateribus, ac ingenio mihi ſit plus ſatis contendendum. At quando huc ventum eſt, periculum faciamus, quid mea inopia miſera & ieiuna huic ſcenæ poſſit exhibere.

Fabulam,quæ modò ſpectatur, fingite vobis in animis veſtris, totam petitam eſſe ex Heroum temporibus, cum virtus regnabat vbique gentium incorrupta: fingite eſſe repetitam ex veteris Italiæ monumentis. quis enim perſuadere ſibi poſsit, his moribus, qui nunc ſunt, atque tam lapſa diſciplina ciuitatis, natum hìc potius educatumque Nicolaum fuiſſe, quàm delapſum in terras è cælo, aut ad nos alicunde fortunatis ex inſulis eſſe deuectum? Niſi forte malimus dicere, penicillo poetico, & more Xenophonteio ad emendatiſsimæ perfectiſſimæque imaginem adoleſcentiæ expreſſum adoleſcentem fuiſſe, tam docili ingenio, tam recta indole, tam ſeuera diſciplina vitæ, tanto ſtudio rerum optimarum, atque ab omni leuitate tam remotum; in quo vix equidem ſcio an, qui maculas in Sole,atque in ſcirpo nodos deprehendunt,poſſint nodos ac maculas inuenire. Quem virum maximè probabant antiquitus, eum *de tabula Iouis* virum appellabant. quo vocis compendio celebrabant opinor ſummam fidem alicuius, mores ſpectatiſſimos, mirificam humanitatem, exquiſitum genus doctrinarum, & complexionem earum omnium virtutum, quæ homines viuos, mortuoſque poſſunt conſecrare. Scilicet non facilè multos vbiuis inueniatis meritos in illud album referri, cum aliquos excludant inceſti mores, aliquos animorum anguſtiæ, quoſdam turpitudo vitæ aut ſtupor ingenij, nonnullos etiam leuitas, imbecillitas conſilij, aut inconſtantia, denique aliquid aliud eiuſmodi, quod notione, iudicijſque Cenſorijs conſueuerit vindicari: Nicolaum tamen referre in eum numerum non dubito. Nicolaum cenſeo æquum eſſe in ea tabula deſcribi, quem nunquam Sol vidit, niſi aut præclara facientem, aut præclara cogitantem. Neque enim volo illum ex aliorum hominum æſtimetis ingenio. Etenim cum plerique pueri ac ephebi benè nitidi ac capillati, toti compti ac delibuti, nulla re magis, quàm palato ſapiant, machiniſque pertrahendi ac velut moliendi ſint, vt velint digna ciuibus, digna viris perdiſcere, Nicolaus iam tum puer ac adole-

adoleſcens repudiata mollitie ſtatuit ſibi eos labores ſuſcipiendos omnes, quos habet literarum & variarum & difficillimarum comparatio: ſtuduitque in primis animi partem illam, quæ perturbationibus afficitur, ita ſibi ſubijcere, vt eam penitus expugnarit. Quæ quanto ſunt præſtantiora, Nicolae Feliciane, tanto oportuiſſet tuorum parentum eſſe connubium fœcundius, vt genus, quod vicinis honeſta exempla virtutum poſſet ſuppeditare, plurimis velut traducibus ac ramis diffunderetur. Sed ita ſe res habet: hæc familia vna digniſſima, quæ ob inſignem pudorem moreſque antiquos de publico alatur in Prytaneo, ad vnum redacta fuit; qui etiam præter caſus multiplices vitæ impendentes hominum & imbecilliore valetudine eſt, & ſibi ſui generis propagandi facultatem ademit. Quonam ſcilicet id conſilio fieri dicam, vt filium nullum Auguſtus ſuperſtitem reliquerit, nullum ex iuſto connubio ſuſceperit Alexander Macedo, omnino nullum Romulus ac Apaminondas; Laertem ſolum Arciſius genuerit, ſolum Laertes Vlyſſem, vnum Vlyſſes ſuſtulerit Thelemachum: (1)Plin. quorum heroum & ſtirpem & virtutem propagari 7.11. tantopere rerum humanarum interfuit; Cum apud [2] Co- Ægyptios (1.) plurimi gemelli naſcantur, & inibi mu- lumell. lieres quinos ſeptenoſque pariant: cum aliquæ feræ [3]Hom. Odyſſ. trigeſimo (2.) partu commendentur: cum in Lybia [4] Plin. ter quotannis (3.)parere oues dicat Menelaus Home- 29. 4. ricus: cum anguis Æſculapius Epidauro Romam [5] Plin. 10.63. deportatus monſtroſa fœcunditate (4.) fuerit: cum (6)idem acanthis duodenos (5.) pariat auis minima: cum ex 10.65. ipſis muribus vna centum viginti (6.) genuiſſe trada- [7]Hero. in Thalia & tur: cum bis in anno pariat hirundo, & paſſerculus; Plin. 8. cum etiam lepus, quem omnia venantur (7.) tam 55. ferax ſit, atque tam fœcundus, vt ſuperfœtet, & cum fert ventrem, rurſus impleatur? Quid tanta auium Herod. ibid. ac ferarum minimis contigit fœcunditas, cum nulla A.Gell. contigerit aui præſtantiſsimæ, phœnici, leenaque ac Ariſtot. elephas animalia validiſsima & ad imperandum nata, 6.anim. ingenioque, quantum captus ferarum eſt, maximo, Plin 10. 63.

ſemel tantum in vita, vnumque pariant? Sed ita viſum eſt æterno numini, omnia ſuo nutu moderanti, cuius in abdito ſunt conſilia, quæ nobis ſcrutari fas non eſt, reprehendere nefas. Tametſi ne & illa tam fœcunda plus æquo ſibi placeant fœcunditate ſua, & hæc tam parum, vt ita dicam, *prolifica*, ſua penè ſterili venere affligentur acerbius, meminerint vtraque quid apud Phrygium fabulatorem Æſopum Leæna vulpi exprobranti, quod & ſemel in vita, & vnum pareret, reſpondiſſe feratur, *Se quidem ſemel & vnum parere, ſed eum leonem*. Idem ſi quis Nicolai parentibus exprobraſſet, quod hunc vnum ſuſtuliſſent, reſpondere potuerunt; Ita ſanè viſum ſuperis, ſed tamen quem ſuſtuliſſent, inſtar multorum fuiſſe: niſi fortè poetæ carmen maluiſſent reponere: *Numeri damnum Proſerpina penſat*. Quem ij ſuſtulerint, cernitis, Viri Clariſsimi: nam & apprimè doctus eſt, & religione cum paucis comparandus, ad hæc in omni Eccleſiaſtica præfectura vigilantiſsimus, idemque diſciplinæ vindex acerrimus, huc addite ea grauitate morum, oris ea dignitate, atque illa corporis proceritate, vt in Felicianum nullius magis, quàm Samuelis verba conueniant: *Certè videtis quem elegerit Dominus*. cum enim enixius & contumacius, quàm oportuiſſet, poſtulaſſent ſibi Regem Iſraelitæ, tædioque libertatis præoptaſſent aliquem, cui ſeſe dederent in ſeruitutem, Saulem elegit Deus, qui cum in medio eius multitudinis penè innumeræ conſtitiſſet, *altior fuit vniuerſo populo*. Propitia ſit mihi, Nicolae, tua modeſtia, ſi quod ſentio, reticere non valeo. Neque enim temerè, ſed conſilio diuino, vt iſta tibi proceritas contingeret, eſſe factum exiſtimo; ſcilicet vt animus cæleſtis datus tibi ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellæ vocantur, præcipuoque ſuo ſtudio magnus elatuſque, humanaſque res omnes deſpiciens, non anguſtè, neque qualicunque tugurio, more pauperis inquilini, ſed laxè magnificèque in illuſtri domicilio habitaret in terris. Proceritatem eſſe quiddam heroicum, perſæpe declarauit Homerus, qui eam ſtaturam tribuit

1. Reg. c. 10.

ſummis

ſummis viris: eſſe præterea etiam quiddam regium, declarauerunt cum alia permulta, tum ſua querela iuſtiſsima Perſarum Satrapæ, qui cum ſuo rege aliquando vehementius expoſtularunt, quod puſillam virginem puſillos daturam reges ſibi matrimonio coniunxiſſet. Neque tamen cum faueo proceritati, illi faueo, quæ ſit enormis, quali feruntur fuiſſe Othus, & Ephialtes *coniurati cælum reſcindere fratres*, qui cum nouem digitis, ſingulis creuiſſent menſibus, ſua tandem altitudine freti bellum indixerunt ſuperis, cælumque ipſum euertere voluerunt. quin immo malè ſit malis fratribus, nefarijs & ſceleratis longurionibus, bipedum & quadrupedum impuriſſimis ac ſuperbiſsimis, qui cum aliò vires conferre deberent, ad ſuſcipiendum bellum impium, & inexpiabile contulerunt. malè ſit fratrum peſtilentiſsimorum vmbris, qui cum ſuam diuinam originem factis Herculeis debuiſſent comprobare, tela impia in cælum iacere, ac illud diuorum domicilium belli terroribus implere maluerunt. Tua mihi probatur proceritas, optime virorum Nicolae, cui præter aptam harmoniam membrorum adeſt ea dignitas & amplitudo, quam ſuis quoque ſtatuis cælator præſtantiſsimus Phidias tribuere conſueuit. Quam ſtaturam etſi quidam petulantia potius & morbo animi ſui, quàm quod cauſam ſatis iuſtam habeant, cauillantur ac irrident, minimè tamen eius te pœnitebit, quandiu cum iſta mole compageque corporis tui tantam tum magnitudinem animi, tum vim & copiam conſilij, tum etiam ad omnes tum ſuſcipiendos labores alacritatem, tum caſus perferendos conſtantiam circunferes. Habiliora verò eſſe corpora puſilla, quæ in arma ſua contrahi poſſunt, quàm quæ ſuperfunduntur, & vndique ſua magnitudo vulneribus obijcit, tradidit Seneca: ſed qui in eloquentiæ ac philoſophiæ præceptis conſenuit, neſcio an magis ſit audiendus de re militari præcipiens, quàm ſummus imperator Pyrrhus Epirota, qui conquiſitoribus ſuis hoc præcepit: *Vos mihi grandes eligite, ego eos fortes efficiam*. Nam quod aiunt, omnia

De tranquill.

Frontin. 4. ſtrata. cap. 1.

nia animalia quo corpore maiore ſunt, hoc eſſe minus fœcunda, quid noſtra? Nicolai quid intereſt? modò inſit animo vis *prolifica*, nullum probrum eſt eſſe corporis infœcundi eum, qui quotidie in ſacra veſte Deo litat, qui Deo parere quotidie voceque ſua lambere ac fingere multos ſtudet, qui denique miſſa iam olim cura liberùm quærendorum, quoſcunque ſuæ fidei creditos & commiſſos habet, vniuerſos patria quadam pietate complectitur; qui etiam cum hæres eſſet ex aſſe, vt I. C. loquuntur, ab eoque vno propagatio generis expectaretur, hominum de ſe conſilia, cogitationeſque irriſit, omniaque humana, quæ hic ſurſum verſum Euripi more vertuntur, obſequio diuino, & Chriſtianarum virtutum cultu poſteriora iudicauit. quamquam ne corporis quidem infœcundi poteſt videri, qui quotidie conſilio quantum poteſt, labore plus penè quàm poteſt, excubat pro animorum ſalute, qui oculis auribuſque attentus eſt in omnem occaſionem rei Chriſtianæ benè gerendæ, qui denique voce conſerere ſuorum animos ſeminibus pietatis conſueuit, & erga plebeculam ieiunam ac rigentem manus habet liberales ac penè profuſas. Tacita eſt hactenus pueritia Nicolai: eſt adhuc eiuſdem adoleſcentia muta, quod equidem vos certò ſcio mirari. Sed eſt quiddam magis mirum, quod vobis omni affeueratione affirmo, quodque mihi ſanè credatis velim; Nicolaum nunquam neque puerum, neque adoleſcentem fuiſſe. quid ita? fecit quod alicubi homines in Scythia, qui calui naſcuntur. quamquam enim Clitipho ille Terentianus penè iure ſuccenſet patribus, quos etiam iniquos eſſe iudices pronuntiat, quod perſæpe *æquum eſſe cenſent, nos iam à pueris illico naſci ſenes*, cum ſenilis prudentia quæ habet initia ſua, magniſque interuallis ſuas progreſſiones & maturitatem, conſtatque multarum rerum vſu, non magis expectetur à tenera ætate, quàm ſoleant à vere fructus expectari, tamen ſiue hoc monſtrum eſt, ſiue Dei munus ſingulare, ſunt quidam præcoci ſapientia, quos Ægyptij coloribus depingebant iiſdem, ac iiſdem fron-

Herod. Melpo.

Heuton. 1. 2.

frontibus, quibus Ianum; altera eiuſmodi, in qua nitida florenſque vernaret adoleſcentia, altera, in qua ſenectus ſua ſigna explicaret: inibi formoſos admodùm ac venuſtos, ætate videlicet tenera ac velut herbeſcente, hic recaluos, cute rugoſa, ſilones, atque decrepitos: hinc Titanos ac Neſtoras, inde Deiphobos atque Apollines. Iſtàne ſunt adoleſcentis, Nicolae doctiſsime? non ſectari ludicra, nuſquam leuem eſſe, nuſquam ineptire, rectaque à curuis diſcernere, nec vſquam in iudicio delectuque rerum aberrare? Didicerat iam ea rudimenta, notioneſque Nicolaus, quas pueris tradere literatores ſolent: ac monebat iam ætas, vt aliquid de tota vita conſtitueret. minimè ſanè deerant, qui adoleſcentulo auctores eſſent, vt in paternum artificium ſuccederet: mercaturam alij, alij forenſes cauſas collaudabant; multoque plures timidam ætatulam à ſtudijs doctrinarum multis falſi metus imaginibus & ſpectris abſterrere conabantur: ſed magis occupatus erat literarum amore Nicolaus, quàm vt quemquam ſibi alium audiendum putaret, quàm qui ad literas ſequendas vocaret, quas ſibi poſthabitis rebus omnibus colendas propoſuit. Quid enim me, aiebat, denunciatione difficultatum & periculorum territare conantur, atque à ſtudio rerum optatiſsimarum abducere? mercaturam faciant, ſequantur lites, ac in artem paternam ſuccedant qui volunt; mihi certum eſt è ſpatijs academiæ ea inſtrumenta parare, quæ viam ad illam beatam vitam muniant, & hanc vitam præſentem exornent. Nam quæ mihi periculorum, quæ difficultatum terricula narrant? num in ſuſcepto literario negotio æther mihi Dædaleis pennis tentandus erit? Num vaſta traijcienda maria? Num Herculei ſubeundi labores? Num ignibus inſiliendum? ſit ſanè inſiliendum ignibus; immori malo literarum ſtudijs, quæ poſſunt aliquando Chriſti gloriæ deſeruire, quàm ſtudijs alijs ad qualcunque demum opes peruenire. O conſtantiam adoleſcentis! Obuerſabantur iam illi ante oculos Eccleſiæ dignitas, Sacerdotia, præfecturæ, atque tot ho-
minum

minum cæcutientium vocata in diſcrimen ſalus; quibus rebus meditabatur quemadmodum aliquid per ſe opis poſſet afferri: & cum ſe aliquando Euangelij adminiſtrum futurum confideret, cogitabat quibus ad eam rem telis & copijs inſtrui Sacerdotem oporteret: quæ cum ſibi ex doctrinarum officinis eſſe petenda intelligeret, hinc illa capeſſendi laboris alacritas, hinc illæ ſanè longæ vigiliæ, hinc iugis illa, multoque vehementior quàm pro modo virium, contentio animi ac ingenij, hinc illa mirifica in tanto diurno nocturnoque labore tranquillitas atque iucunditas. Neque enim literas ob eam cauſam Nicolaus Felicianus diſcebat, vt eas populo venditaret, vt cantaret ineptos amores, vt ijs quos captaret, adularetur, vt in ſcenam illas produceret, atque vt iniuria laceſsitus ſtylo referiret; ſed vt morbis animorum faceret medicinam, iugularet improbitatem, repurgaret Eccleſiam Dei, ac homines malis indormientes ſuis ab Orco reuocaret. De naturis ſiderum, de motu orbium cæleſtium, de cauſis & affectionibus corporum Nicolaus & inueſtigauit diligentius & ſubtilius diſputauit, ſed eatenus, vt ſuum animum harum rerum cognitione in admirationem ſimul & amorem opificis ſubueheret: neque in eis ſtudijs totam ætatem ita deſedit, vt interim ea negligeret, quæ propius ad ſe pertinerent, & quæ ſe alioſque poſſent meliores efficere. Qua enim fronte ipſi nobis veniam poſceremus, ſi de rebus remotiſsimis à natura noſtra ita ſemper curioſas, ne dicam impias, moueremus quæſtiones, ac ita multa definiremus, quæ vel in ambiguo relinqui poſſent, vel ignorari, vt quibus morbis noſter, ciuiumque noſtrorum laboraret animus, quibuſque remedijs poſſet curari, quibus idem & quàm prauis æſtuaret affectionibus, & quibus ſedari vijs deberet, nullam curam cogitationemque ſuſciperemus? Vidi equidem ac interfui cum alibi ſæpe, tum ſæpiſsime in Braydenſi Collegio literarijs Nicolai velitationibus, quàm acribus? (Dii boni!) quàm doctis? quàm ingenioſis? Illi præter cæteras cum ſummo fructu voluptatis interfui, quando

do cum tribus ſubacti & exercitati ingenij valentiſſimis palæſtritis commiſſus, omnes vno ſudore ſuſtinuit, delaſſauit, confecit: confeciſſetque haud dubiè plures ſi diei tempus, ſi ratio & conſuetudo tuliſſet. Neque ſanè eius generis illud certamen fuit, cuius illud fuit, quod aliquando Demonax apud Lucianum irriſit; qui cum vidiſſet duos philoſophos egregiè rudes & indoctos ſuper quæſtione quadam ſatis ridiculè altercantes, ac alterum abſurda quærentem, alterum verò ad rem nihil ſanè reſpondentem; *Nonne videtur vobis, inquit, amici, alter illorum hircum mulgere, alter verò illi cribrum ſupponere?* Res illa gerebatur vtrinque à Nicolao eiuſque aduerſarijs, maximis atque doctiſſimis clamoribus, vt ſi quis eorum certaminum rudis interfuiſſet, à iurgijs ad manus rem progreſſuram poſſet exiſtimare. Anne ita concertantes, verbis nos accuſaremus ijſdem, quibus apud Poetam Liber Æſchylum accuſauit, nimis excandeſcentem in diſputatione, quam habebat cum Euripide, clamoreſque tollentem? Philoſophi genus hominum ſunt perquam pugnax & lacertoſum: iacula ad ipſa vitalia torquent, palam machinis, clanculum cuniculis oppugnant arces, omnia conantur euertere: conſertaque manu ita dimicant ſtabiles in veſtigio, vt voce claſſicum canant, dexteramque interea intentent in hoſtem, oculiſque ipſis neſcio quid ſpirent bellicum ac militare. Sed enim dum ij palæſtritæ, quos memini, Martem quàm maximè ciebant cum Nicolao, quid aliud quàm nouacula inciderat in cotem, cuius acuebatur attritu; & ſilex in chalybem impingebatur, cuius illiſu ignis emicabat? Nicolaum vidiſſetis ingenio promptiſſimo, vndecunque vis ingrueret, occurrentem, & velut obiectu parmulæ ictus omnes eludentem. Quamquam quid vnum diem & vnam concertationem verbis commemoramus tam multis, cum nunquam à quo Muſas illas ſeueriores attigit, concertationibus ab eiuſmodi conquieuerit optimus adoleſcentum, nec vnquam ab eo tempore eius vox iſta cycnea conticuerit? Nullorum ciuium

Ariſtoph. in Ranis. & Petr. Vict. ad Ariſtot. rhetor.

auribus

auribus, nulli gymnaſio, nullis ſpatijs Academiarum, nullis theologorum ſubſellijs & exedris, nullis columnis templorum, in quibus hæc ſoleant agitari, magis eſt nota vox cuiuſquam, quàm Nicolai; quem ſeruuli quoque & mulierculæ ex quotidiana doctorum ciuium prædicatione ac teſtimonio plurimi faciunt, digitoque alijs aliæ prætereuntem oſtendunt. At enim, quamquam tuas præcipuè literas coronat hic dies, quota pars tamen, ò Nicolae, ſunt tuorum ornamentorum literulæ? quas quando cùm ſummo ſtudio religionis coniunxiſti, cuius tibi cura ſemper potiſſima fuit, quid maius aut quid ampliùs à ſacrificulo & ab Euangelij præcone repoſcamus? Ego quidem certè in ſpem maximam & veriſſimam adducerer, futurum vt floreret Chriſti regnum, ſi viri Nicolai ſimiles, non ſolùm doctrinarum præſidijs, verùm etiam Chriſti dotibus inſignes, admoti gubernaculis Eccleſiæ, quid quid habere nt vel fortunæ, vel dignitatis, vel ingenij, id omne in commodum ſibi crediti gregis, atque in lucrum eius, cui reddituri ſunt omnes rationem, conferrent. Eiuſdem ſi notæ plures forent; qui ante noſſent imperare ſibi, & prius conſueuiſſent in ſe ipſos ſeueriùs inquirere, quàm negotium ſuſciperent ac adminiſtrarent Eccleſiæ, quis dubitaret, quin eſſent audiendi auribus propitijs, quin iacula delibuta, & haſtas eſſet habitura armentatas ipſorum cohortatio, quin eorum conſilia conatuſque omnes procederent, quin denique vrbem noſtram obſitam altiſſimo fimo facile poſſent repurgare? Sed, quod maximè mirere, permultum nos, Nicolae, tui corporis imbecillitati debemus. Vires enim tuæ, corpuſque alia meditantem deſeruerunt; quæ ſi affuiſſent, minimè ſeſe ordo noſter in Feliciano poſſet iactare. proſpexerat ſibi elegeratque dudum ſeueriſſimam diſciplinam vitæ, coniecerat que ſe in eam familiam, quæ duritie & aſperitate, cruciatibuſque voluntarijs vna præcipuè perpetuum, & cruentum bellum corporibus indicit. At fortuna Eccleſiæ noſtræ Mediolanenſis, non tua calamitas, Nicolae, te nobis reſtituit. Cum enim valetudo

tudo multo imbecillior, quàm ipſe voluiſſes, morbis tentari cœpiſſet, neque diutius genus illud vitæ, cultuſque laborumque ac vigiliarum poſſet perferre, monendus fuiſti ac deterrendus præſenti periculo, & cum ne id quidem procederet, fuiſti denique compellendus, vt receptui caneres, & pro tui corporis habitu, aliam viam minus aſperam & ſalebroſam ingredereris. qua in re quàm promptè parueris neceſſitati, aut quàm inuitus, dicere nihil àttinet. quid enim non agnoſceres Dei omnipotentis conſilium te aliò vocantis? Anne deſides & otioſæ torperent iſtæ manus, quas tantoperè Chriſti nouales expectarent? an defoderes iſta talenta, quæ à te oporteret conduplicari? Moſen, Eſdramque te referre par eſt, quorum alter legis diuinæ tabulas ad populum tulit, eaſdem alter populo perſæpe lectitauit, altèque in eius mentibus infixit. quid enim tam benè lic à literis, tamquam à quibuſdam armis diuinis inſtructus, quibus ferre poſſes Eccleſiæ laboranti ſuppetias, clauſtra cogitares, in quæ te abderes, in quibus ſolutus opere conſeneſceres, fructuque optatiſſimo fraudares tam multos? Suſcipe cauſam Chriſti: ac iſtarum literarum, quas tibi loco infularum eſſe debere Seneca docet, perſolue Deo fœnus, eaſque confer eò, vt per te ſalus multis quæratur. At quid aio? hæc enim cohortatio minimè huius temporis eſt, quo iam Nicolaus acerrimè ac vigilantiſſimè id agit; verùm fuit eius temporis, cum erat ei vitæ genus eligendum. quid ergo iam ſupereſt, niſi vt Nicolao vitæ longiſſimam vſuram exoptem? Tu ſummè parens luminum, voſque ſuperi omnes audite me pro chariſſimo capite, & pro ſummo, ac integerrimo viro ſollicitum. veſtra nobis dona diutiſſimè conſeruate. Anne homines nihili ac ignauiſſimi viuent vltra colum, & cornicum viuacitatem ſuperabunt, vir optimus, grauiſſimus atque doctiſſimus vitam vltra modum communem non extendet? ferat alicubi Æthiopia viros maximos, pulcherrimoſque & æui longiſſimi, Nicolao perquàm apto ad rationes Eccleſiæ Italia noſtra vitam annum vltra centeſimum Herod. Thalia.

pro-

propagare non poſsit? at coronis, quàm nænijs aptior hic dies eſt. Laudando, faciendis votis, vitæque humanæ deploranda breuitate clepſydram exhauſi. Dixi.

In Laurea HIERONYMI CASTELLI PANEGYRICUS.

QVI hodie Parnaſsi nomen exoleuiſſe queruntur, nec vſquam iam eſſe in terris commentitium illum Apollinem, cui Muſæ frequentes ancillentur; ſed hominum generi aut re facienda, aut etiam ſtudijs deterioribus occupato literas & veram eruditionem nihil, niſi hominum otioſorum negotium videri; haud ſanè dubito, quin ij deſinant ineptire, ſuæque ætati conuicium facere, ſi fortè in hoc atrium introſpexerint, in quo ſedet nemo, qui non ſe ipſo ſeculi ſui gloriam poſsit à contumelia vendicare. Neque ſanè locus hic ad libellam æquus impedit, quo minus quandam veteris Parnaſsi ſpeciem oculis meis oblatam eſſe putem: in quo loco tu Apollo ſedes, C. Comes ARCHINTE, qui antiquiſsimam tuæ gentis gloriam renouas, & literarum cum primis ac literatorum ſtudioſus tua in alijs ita merita exornas, vt probatiſsimo cuique decerptam velut de tuo Helicone laurum largiaris. Conſident porro hic vtrinque, & latus vtrumque tuum tegunt ex omni ordine ciues ij, quos in rep. honeſtiſsimos, omnique laude cumulatos nunquam dubitabo vrbis ac ſeculi Muſas appellare. Atque vt ſacrum Heliconis montem adiri adhuc & frequentari

tari credatis, quid neceſſe eſt à me multos nominari? Vnum inſpicite vetere Italia dignisſimum iuuenem, Hieronymum Caſtellum, qui annos non minus triginta natus adeò nunquam ſibi, laborique pepercit, vt verè posſit confirmare, ſibi nondum vllas ferias contigiſſe. Erige ipſe te, Caſtelle, & tot præceptis conformatam tuam vocem ad eorum confutandam loquacitatem conuerte, qui tum ſe magnos poſſe videri confidunt, cum ſeculo magnam plagam impoſuerunt: qui non contenti hoc tempus in omni ſermone traducere, ſtylo etiam, & ijs ſcriptis, quibus ego Voluſij annales antepono, omnem humanitatem, & quæ hoc nomine artes continentur, excesſiſſe terris, pro eis barbaros & mores & orationem inoleuiſſe, natoſque ſentes in his tam cultis olim agris fuiſſe queruntur. Quid illi tam tragicè vociferentur non video: tranſlatum eſſe omne certamen ad turpia multo honore, quæſtuque vigentia, datam in deterius rem literariam eſſe, obmutuiſſe artes optimas, omneſque iam ciues eſſe animo degenere, ac veræ laudis obliuiſci. Sunt ij meo ſanè iudicio non magis improbi, quàm callidi, qui cum iniquè ferant, id habere quemquam, quod ipſi propter ſocordiam non ſint aſſecuti: & cum vereantur, ne ſi de ſeculi elegantia & doctrina ſint confeſſi, non ſatis idoneam cauſam excogitare posſint, quapropter ipſis quoque doctis & diſertis eſſe non licuerit, tanquam conductæ quædam in funere literarum præficæ, gemere & afflictari malunt, & queri, publicis calamitatibus & ruinis ipſum elegantiarum nomen interijſſe, nihil iam, niſi quiddam Oſcum & pingue, nullaſque niſi miſeras & pudendas reliquias ſupereſſe. Quouis tamen inuito dicere non vereor, quidquid olim optimorum ſtudiorum in Attica terra viguit, id vigere nunc, non in vna quapiam Academia, ſed in multis locis Italiæ, multis Germaniæ, in Belgio vniuerſo, florere id in Gallia, florere in Britannia: & pro paucis aliquot bonis artificibus infinitam nationem artificum laudatisſimorum eſſe, quorum quiſque posſit in ſua facultate Roſcius videri

Catul. ep. 21.

quam-

quamquam non id nunc agimus; vt huic ſeculo contra famelicos & importunos conuiciatores patrocinemur. quid enim verbis opus eſt? Niſi permulti ex his, qui nunc interſunt, & niſi hic ipſe Caſtellus, quem exornandum ſuſcepimus, habet quodam velut ingenti flumine literarum inundatum ingenium, vt & inuenire acutè queat, & inuenta explicare commodiſsimè, & diſputare ſolerter de natura, deque omnibus ſcitis & placitis Sapientum ingenioſè aptèque reſpondere, cauſam non dico, quin audiatur, & afferre vera credatur, quicunque hoc tempore nullum carmen ſani coloris, & nullam orationem dicit enitere, conticuiſſe eloquentiam, cæteras facultates artium optimarum vix tueri nomen ſuum, dignitatem certè ac lacertos non agnoſcere. Ex me verò iudicari ſi poſtulem, quæ ſit illa noſtri temporis tam vexata & deriſa eloquentia, profectò inſaniam, qui me cum non maiore ingenio, quàm cenſu ſciam eſſe, nunquam mihi tantum arrogaui, vt me doctis hominibus aggregarem, & in eruditorum ſubſellijs vel vltimum poſſe hærere confiderem. At quando moribus ornandis adoleſcentis eximij, non cauſis diſceptandis, eſt hic conuentus indictus, ſileat tum criminatio temporis, tum omnis noſtra aduocatio, amotiſque iurgijs agamus id, quod agimus, & Hieronymum ſpectandum exhibeamus. Si fortè in quemquam ex ijs lautis & locupletibus tranſalpinis inciderem, qui multi quotannis è Britannia, ex Belgio, atque è Dania, animi cauſa vectantur per Europam, & ex alijs terris ad alias delati, vt quamque vrbem intrauerunt, continuò quid vſquam ſit elegans, quid rarum, quid ſcitè fabrefactum, inueſtigant: baſilicas, arces, bibliothecas, priuataque ac publica ædificia perluſtrant: ſicubi pictura non minus aptè mores, animique habitus, quàm corporis expreſſerit, diligenter exquirunt: atque de legibus, quibus ea ciuitas vtatur, deque artibus ac artificibus omnia cognoſcere ſtudent; eum ego Lucianici Toxaris exemplo, qui Scythæ Anacharſi Aſiam, Ægyptum, & Græciam

Lucian. Toxaris.

Græciam perluſtranti, & quidquid in illis regionibus illuſtrius eſſet, viſere ſtudenti, Solonem oſtendit; huius exemplo peregrinum recta ad Caſtelli deducerem ædes, & eiuſdem familiam illi ſiſterem vniuerſam, tum cuiuſque ſtudium veræ laudis, tum ſingulorum induſtriam, tum omnium ſingularem continentiam & religionem commemorarem. Adrianum familiæ columen oſtenderem, antiqui moris & officij virum, omnique laude præſtantem, & ab ambitionis ſtudio, omnique contentione remotiſſimum, ſummique tum animi & conſilij, tum dignitatis ac ſplendoris, quem iure poſſemus Catonem, ſed minus acerbæ linguæ, magiſque iucundum nominare. Liuiam euocarem præſtanti pudicitia & prudentia matronam, & in liberorum educatione vigilantiſſimam, quæ nobis Paula & Melania, aut etiam Gracchorum mater Cornelia poſſet videri, niſi eam & coniugij felicitate, & indole filiorum anteiret. producerem ſenos filios artibus optimis innutritos, pendentes ex ore parentum, & eis ſuam magno certamine animorum probantes induſtriam, producerem tres virgunculas lectiſſimas, quarum formam elegantem ſummus pudor commendat, ſeruulos ipſos & ancillas, pari omnes obſequio, pari diligentia, in eius conſpectu collocarem. Ea enim eſt tam multorum concordia, & ea voluntatum, ſtudiorum, beneque agendi conſenſio, vt non vna domus, ſed quædam academia & palæſtra virtutum, neque vna familia, ſed calathus florum, ſed adytum Veſtæ, ſed chorus Muſarum, ſed Phœbeia chelys, ſed quoddam veluti cælum multis nitens ſideribus videatur. Quis enim ſatis illud miretur, tantum induſtriæ, atque rationes adeò moderatas eſſe in domo tam affluente copijs, & in quam fortuna minimè cæca tam largiter congeſſit opes, vt ſuperſit, vnde Satrapas & Lucullos agere poſſint? quàm enim ſint ſuperbæ diuitiæ, quàm intractabiles ac moroſæ, Plato perſpectum habuit, qui rogatus à Cyrenenſibus, vt ipſis leges ſcriberet, ac ſuæ ipſorum reip. ſtatum componeret, recuſauit, quod eſſe perdifficile diceret, eos Plut. de doctr. princ.

L qui

qui eſſent tam opulenti, ac felices, ac immodicè vterentur libertate, legum veluti iugum ſubire, eiſque aſſueſcere ac obtemperare. Nobilium quidem adoleſcentulorum, luxuque diffluentium quotus quiſque ſibi vim inferre, iugulare cupiditates, ac in labore perdurare nouit? quos ſi fortè rogetis, quomodo pernam condiri oporteat, quo iure mergi ament ficedulæ, quo tempore cœnæ apponatur promulſis, qua parte ſint aues meliores, quarum clunes, quarum alæ laudatiſſimæ, cuius inter quadrupedes prima gloria, inter piſces cuius ſummus honos, & poſt accipenſerem lupone, an aſelis auctoritas præcipua; multo promptius reſpondebunt, quàm ſi quæ dignitatis, quæ ſingularum virtutum ratio, quæue ſit ad beatitatem via munitiſſima, percontemini. quid enim hæc ab incogitantibus, & aliud agentibus exquiratis, qui Deo ſe ipſos & ſuam conſcientiam approbare nihilo magis curæ habent, quàm ſi Epicuro voluptatis auctori aſſentirentur, qui Deos in quibuſdam intermondijs in otio pinguiſſimo degere, neque inibi aut ſui quidquam, aut alieni curare, conſtantiſſimè docuit? Quàm ſecus omnia in Caſtello? quem in domo copioſa & locuplete natum arctè & contentè pater habuit perſeuerus, idem magiſter virtutis, qui auctor vitæ, idem operis inſpector aſſiduus, idem exactor acerbus. Si parumper ceſſaſſet filius, aderat vltor & vindex: ſiquod verbum paulo petulantius iactaſſet, dormiendum incœnato erat: ſi mandata ſomniculoſè accuraſſet, etiam atque etiam erat lugendum: ſi excidiſſet mendaciolum, erat continuò parata noxa: ſi ſe commouiſſet inconcinnius, ſi intempeſtiuè colluſiſſet cum fraterculis, ſi pedem iniuſſu parentis extuliſſet è foribus, pœnæ deprecatorem acerſere nihil attinebat. quibus conſilijs ſi Paridis adoleſcentiam rexiſſet Priamus, minimè ille ſanè neque amici violaſſet hoſpitium, legibuſque omnibus inuitis, hoſpitis è ſinu vxorem abſtraxiſſet prædator importunus, neque ſuam patriam incendiſſet. Diui boni! quæ domus? quàm referta copijs? quàm nitidus apparatus? In

qua

qua tamen cum ornentur tori, veſtiantur parietes, renideant lacunaria, tantum ſit pretioſæ veſtis, tantum auri atque gemmarum in conditis, ac tanto abacus argento fulguret, nihil eſt dominis ipſis neque melius, neque magis pretioſum. Nam ſicubi præcepto Epicteti eſſe locus poteſt, prohibentis tabulis & picturis domum occupari, quod eas eſſe quaſdam impoſturas dicat, quæ tantùm oculis paſcendis adhibentur: iubentiſque ædes modeſtia, ſobrietate ac diſciplinæ ſanctitate depingi, certè locus eſſe in hac domo poſſet, niſi alterum dignitati ac ſplendori generis tribuerent, vt feruis, vt equis, vt ſignis, vt vaſis, vt ſtragula veſte, vt corporum cultu niteant: alterum ſuis moribus ac ingenijs, vt hæc pro luto habeant, & in eorum tam vbere copia, ipſi ſibi minime indulgeant, ſed hactenus vniuersè ac de tota familia, iam ſeorſum, atque ſingulatim de Hieronymo. Eſt ſanè Plinij ratio probabilis, qui trimorum infantum ex ſtatura conijci poſſe dicit, quæ demum, cum ij ad iuſtam ætatem peruenerint, ſit futura corporum vel breuitas, vel proceritas; nam eſſe altero tanto futuram maiorem pronuntiat. ſed mea ratio, niſi fallor, eſt longè probabilior, ex primoris ætatis diſciplina ſtatuentis, quanti, cum ætas maior, & cum doctrinarum facultates acceſſerint, ſit quiſque futurus. Bonam mentem, & confirmatam ex cuſtodia patris voluntatem extulit Hieronymus, magiſque accenſam ac incitatam, quàm vt Stimula, aut Agenoria, & Agonio, quos Romani thure propitiabant, ſeduloque comprecabantur, vt ſuos ciues domi, foriſque ad omne ſtudium veriſſimæ laudis exacuerent, opus haberet. Cum primum parentis è gremio, & ex vmbraculis domeſticis velut in ſolem ac puluerem venit publicorum & frequentium gymnaſiorum, inibique in turba, vt loquitur Columella, & ſub monitoribus, hominibus ignotis & alieniſſimis opus facere inſtituit; vbi quotidie ſummæ exiſtimationis in diſcrimen veniret, ac videret vtrinque præſtanti adoleſcentes tum ingenio, tum induſtria, qui eloquentiæ cauſa nihil non facerent, cum

Ery. Puteani Bellar.

Hiſtor. natur. lib.

Lib. 1. de re ruſt.

 eius

eius artis gloriam, velut ſummum in theatro locum occupatum cerneret, ipſi continuò cœpit animus æſtuare, ſudare præcordia, & quo pacto paria, aut etiam maiora præſtare poſſet, ſolicitè ſecum verſare, neque tamen diffidere, ſe poſſe minimè ſanè illud tantùm, ne ſoli eſſent, efficere, verùm etiam ne eſſent primi præripere, ac ſibi nauiter ſuis viribus vtendum conſtituere. Cum enim in ſcholæ frequentia pauci admodum maiorum gentium eſſent, pars multo maxima ſoboles eſſet opificum, inſtitorum, ac ſellulariorum, præcipua Hieronymum vrebat cura ex cuiuſdam adoleſcentis æmulatione, qui natus obſcuriſſimis parentibus, cum viueret cultu modico, gracilique lare, leuiuſque veſtiret, ac minus obſonaretur, tamen admiratione ingenij conuerterat in ſe omnium oculos, & Hieronymo tum primum in ludum ventitante, inter condiſcipulos erat, quod memorant inter vmbras fuiſſe Tireſiam, ſoluſque tum adſpectabatur, tum prædicabatur. Quid non efficit adoleſcens ingenuus, acer cum primis, monitiſque & exemplis domeſticis plus ſatis inflammatus, tum etiam recenti æmulatione præferuidus? Nitendo peruicit Hieronymus, & ſanè magna contentione tenuit, vt quem ab initio ludum iniens offenderat principem iuuentutis, atque, vt Quintiliani vtar verbo, ducem claſſis, hominumque de ſe exiſtimatione, ſuaque haud ſanè inani perſuaſione tumeſcentem, propediem magno interuallo poſt ſe relinqueret: remque in eam opinionem adduxit, vt ingenij, literarum, eloquentiæ denique, etſi vtrique primas, Caſtello tamen libenter priores tribuerent, & iam ab illo velut à ſole quodam occiduo ad hunc ſolem naſcentem oculis animiſque conuerterentur. Age, candidate mellitiſſime. Redegiſti in ordinem elatum adoleſcentem, ac velut eius omnibus luminibus obſtruxiſti, coronam illi diripuiſti de capite, excuſſiſti ſimiolum è ſummo loco exiſtimationis, currum eius triumphi perculiſti ac euertiſti, ac eum ita demum ſentire coegiſti, vt aliquando inter cæcos, & inter pallentes vmbras eſſet

Lib. 1. cap. 2.

Tireſia,

Tireſia, meliorum inopia factum fuiſſe. Neque tamen aut antea, cum vni plaudebat theatrum, florenti obtrectauit Hieronymus: neque poſteaquam conticuerant rauci plauſores, iacenti, frigentique inſultauit; quorum alterum, vt clanculum in ſermone obſcurare eius famam conaretur, erat inuidi, & malignè ac malitiosè callidi: alterum vt victum, ac ſibi ſummittentem faſces premeret ac proculcaret, erat ſuperbi ac impotentis. Hæccine Hieronymus? qui quanto quemque maiore ingenio, & ſucceſſu feliciore tractare literas nouit, tanto plus ei tribuere, tanto arctius & ſuauius complecti, tanto ſæpius deprædicare, omnique ſermone celebrare, denique tanto ſtudijs vberioribus ornare conſueuit. quid enim aliud eum & ſapientum voces, & Græcorum tragœdiæ, & ſummorum exempla Regum docuerunt, quàm vbicunque virtus ſit, vel ſi ſit in hoſte, coli ac ſuſpici oportere? At enim ab adoleſcente conſtantiam conſiliorum requirere eſt eiuſdem, cuius eſt à dite ac fortunato laudem frugalitatis, aut à nobili moderationis expectare. Cum enim impetu potius, quàm recta ratione valeant adoleſcentes, & cum leuibus quibuſque momentis ad ſuſcipiendum ac deponendum amorem impellantur, minimè mirum eſt, ſi ij, qui fortaſſe monitis alicuius, aut munuſculis excitati aliquid impetu maiore, quàm virorum inſtituerunt, paulatim langueſcant, totuſque ille priſtinus ardor intepeſcat. Etenim quod Aſtronomi duorum cæleſtium ſignorum proprium ac perpetuum eſſe tradunt, Arcturi, ac Hædi, vt oriens alterum ſit vehemens, alterum ſit cadens acerrimum, idem vulgò videmus in adoleſcentioribus vſuuenire, inter quos aliorum primi conatus ſunt laudatiſſimi, ſed moram non ferunt, nec diuturnitatem; aliorum poſtremi, cum ſocordiæ pertæſi ſerò demum, ſed tamen aliquando ad bonam frugem conuertuntur. Ita plurimorum manca eſt, & dimidiata laus, aut rectè ſobrieque inchoantium, ac velut telam ordientium, quam mox tædio victi nolint pertexere: aut fædis, obſcuriſque initijs luculentum Horat. 3. ad. 1.

& honeſtum finem imponentium. Minimè ſunt hæ vices in Caſtello, vt cum exceptione aliqua loci aut temporis debeat laudari. minime aut ita nunc ſapit, vt aliquando deſipuiſſe arguatur, aut eius ita multa in proſcenio ſunt proponenda, vt ſit aliquid velut poſt Siparia relinquendum. Fuerit ſanè lautorum, delicatorum, & molliſſimo cultu hominum poſt tepentium balneorum vſum poſcere frigidam, ac ea perfundi. ſit eorum, quorum præcordia febris torret, verſari ſubinde in diuerſas lectuli partes, nec vno in loco poſſe diutius conſiſtere: ſit fugacium militum & effœminatotorum, propter animi imbecillitatem, ſtationes deſerere; Hieronymus ſtetit, ſtabitque inconcuſſus, & Socratica quadam conſtantia cœptis ſuis & propoſitis ſemper mordicus inhærebit. Siculorum agrorum celebratam nobilis poetæ diſticho vbertatem, iure nos quidem miramur. quidquid interdiu ſunt oues depaſtæ, quidquid decerpſerunt capellæ, id omne poſtridie gregem rurſus propellens in pabulum opilio, eo noctis ſpatio, quod interceſſit, repoſitum videt, & rore fœcundiſſimo inſtauratum. Sed enim hanc ego vnam è multis fabulam eſſe reor, quæ de inſula Sicilia, vt etiam de Siculo mari maximè omnium rerum fabuloſo, circunferuntur. quàm id ſit verum, fides penes auctorem eſto. Illud cum admirabile, tum etiam certiſſimum eſt, Hieronymum diurnis temporibus lucubrando conſumptis nocturna & ea ſanè breuiſſima quiete ſic dicam reuigeſcere conſueuiſſe, & heſternis velut ſpatijs decurrendis fatigatum, curato paucis horis corpuſculo, rediјſſe alacriorem ad opus, firmiorem depopoſciſſe libellos ac pugillaria, repetijſſe de integro laborem & commentationem, & tanquam recentem commiſſum campo equum eadem illa ſpatia conficere geſtijſſe. O multos cuiuſque menſis dies! ò longa annorum tempora! quotidie tamen cum poſſet Epicuri hortos, porticum maluit, & Academiam adire, atque cum omnium legum conceſſu diuertere aliquando liceret ad otium, & ludicro aliquo ſtudio explicare frontem, maluit vrgere opus,

Virg. Georg. lib. 2.

&

& oculis laudem ac honeſtatem ſpectans irretortis nunquam niſi plenus laſſitudinis aut ſolem condidit, aut ad quietem ſeceſſit; cum nullis ne medicorum quidem minacibus interdictis adduci, aut perpelli poſſet, vt ſic philologiæ, ac deinceps aliarum facultatum, tanquam cuiuſdam Ægeriæ, congreſſu vellet abſtinere, & quoduis potius periculum ſibi adeundum, quàm à ſperata dicendi gloria diſcedendum putaret. Audiui cum diceret, ſe literis conſignatas hominum ſapientum cogitationes legendo perueſtigare; atque ea præclara diuinorum ingeniorum monumenta peruoluentem colloqui cum doctiſſimis ex omni antiquitate ac ætate viris; eoſque ſe, nec mutos, nec mortuos, vt ipſi quidem videbantur, omnis vitæ magiſtros adhibere, præclareque ſuadentes audire, deque eorum ſententia, quid ſibi eſſet faciendum, conſtituere: quot nos interea dies frangeremus poculis, quas delicias vſurparemus, ſuſque deque habere, ac ſe nobis multum debiturum profiteri, ſi quemadmodum à ſe ipſo ſententijs ac ſtudijs diſſentiremus, ita illi aliud agenti parceremus obſtrepere. Nos verò tantum iuuenem quid interpellaremus in opere, ita natum & inſtitutum, vt de omni officio ac munere vitæ nemo magis laboraret? Ita ſane. quid Hieronymum interpellaremus?quem facilè pati deberemus, augere faſtos patriæ, afferre lumen literis, vendicare doctrinas à ſitu & puluere, & quid præſtare, & quò ſummum aliquod ingenium progredi poſſit, experiri. Chryſantas fuit miles Perſa, Xenophontis libris notiſſimus, & Cyro, merito ſuo, chariſſimus. Is, cum arte, viribus & pernicitate apud ſuum regem gratioſiſſimus eſſet, nulloque non prælio victor exiſteret, non tamen contentus modo humanarum virium, hippocentauris maximè ex omnibus animantibus inuidebat, quod hominis quidem prudentia, cuncta proſpicerent; manibus quidquid opus eſſet, molirentur; equina verò velocitate ac robore, quodcunque ſe fuga proriperet, aſſequerentur, quodcunque maneret, euerterent. Scilicet eſt inexhauſta cupiditas gloriæ, Xenoph. Cyrup.

nullumque modum concupiſcendi, nullum agendi nouit. querantur viri fortiſſimi ſibi lubricas manus eſſe, fluxum corpus, ſenſus minus acres, quàm vellent, & vim quandam penè diuinam deſiderant, quàm vix ſit hominis pudentis exoptare. Tu certè, Caſtelle, cui non ſatisfeciſti? ipſe tamen penè inertiæ pœnam deprecaris. quis non ſemper miratus fuit motus celeres ingenij tui, & aureum flumen eloquentiæ? eam tamen ipſe ſtagnum appellas ranarum paluſtrium. quis te locupletior grauiorum artium inſtrumento, in diſputando ſubtilior, magiſque in veritate indaganda perſpicax & acutus? quis iuris ciuilis magis tenet fontes veriſſimos? tamen collatus ad alios te habes pro fungo, & in publico audiri verecundaris. Eſt ſcilicet eorum, qui ſibi nihil modicum in animis finxerunt, quantumuis ſint progreſſi, tamen nihildum tantis exhauſtis laboribus actum putare, donec vlterius eſſe aliquid perſpiciunt, quò ſeſe incitando, impenſiuſque contendendo, poſſint eniti. Quando enim tu ſemidoctos è triuio pluris æſtimaſti, quàm lixas & calones? nullus non angulus abundat ijs, qui nobiles facultates venditant, & literarum nomen ac titulum circunferunt; quos ſi penitus excutiatis, miremini profectò audaciam hominum, qui in tanta ac tam olente inſcitia, doctrinæ famam affectent. Quin vident homines vaniſſimi labores penè infinitos Hieronymi, quotidianam commentationem, & præclaras in multiplici genere ſtudiorum exercitationes; quæ hercle hunc fructum pepererunt, vt eius è fama gloriaque, ſeculo laus acquiratur? Auditus toties fuit tanto ſilentio concionis vniuerſæ Hieronymus, toties fuit ſpectatus, cum ſtaret tanquam in acie, & contra acres, pugnaceſque aduerſarios ſuam rationem propugnaret: eaque fama per ciues ac vicinos didita de ipſo & peruagata eſt, non modò ſtudia, curaſque eius, ſed remiſſiones etiam, luſuſque pueriles quadam penè ſanctitate ſemper fuiſſe temperatos, vt eius nomen ſuis parentes liberis ingerant, colereque eum omnes honeſtiſſimum arbitrentur. Quid enim hic ipſe ſplen-

didiſſi-

didiſſimorum ciuium conſeſſus? nonne cum omnes iudicaturi conſederint, nemo tamen ſe non ſtudioſum eius & fautorem, non ſe captum eius moribus, non ei ſe nodis æneis deuinctum profitetur? quid autem optabilius libero & ingenuo cuiuſquam animo, & ad voluptates honeſtas nato, quàm velut in pleno & frequenti lectiſsimorum ciuium theatro vnum adſpectari, idque ſcire, omnes cum adoream ſumma voluntate decernunt, ita ſentire, tantum inter ſua munera, eiuſque merita intereſſe, quantum fabulæ ferant, inter Glauci ac Diomedis munera interfuiſſe? quid porro quod tanta alacritate, atque tam obuijs cuiuſque ſtudijs ornatur, vt ſi ius nullum haberent ſuffragij, facilè appareat, quemque libentiſsimè coronam de ſuo capite eſſe detracturum, quam capiti eius imponeret? Vident ſiquidem, quorum inſiſtat veſtigijs, quo animo contemnat fortuita, quo totum regnum fortunæ irrideat, quàm ferat conſtanter caſus aduerſos, quam indolem oſtendat eius adoleſcentia, & quàm mirabilem præcipuè in iſta ætate recti generis voluntatem: cognoſcunt, nihil peruulgatum, neque vllam ſibi mediocrem ex literis gloriam deſtinare, ſed cum eloquentiæ perfectiſſimam formam, & I. Prudentiæ ac cæterarum facultatum cognitionem penitiſsimam affectet, quod alij ſibi multi ſummum audendi ac terminum conſtituunt, id eundem ſibi creſcendi initium ſtatuere. Quid illud? quod cum eſſet Caſtellus ſuorum ſtudiorum in medio curſu, & ſecurus de ſuis, die nocteque duntaxat de I. Prudentia cogitaret, per celeres nuntios vocatus ad ſuprema patris fuit; quem, cum expirantem inueniſſet, ſcilicet maximum animo dolorem percepit: ſic tamen ingemuit, ſic ſe afflictauit, ſic optimi & chariſsimi capitis deſiderio extabuit, vt tamen terræ terram eſſe redditam cogitaret. Nondum è ſepultura patris exaruerant lacrymæ, neque illius ſummi doloris ſe multum acerbitas remiſerat, cum attulerunt nuntij trepidi, populantibus agrum noſtrum Gallis, duas Caſtelli cum primis fructuoſas arationes in Laudenſi direptas & vaſtatas, abactos greges,

Homer. Iliad. H.

greges, diſsipatas familias, ædificiaque exuſta fuiſſe. quæ cum audiret, plus hominem pupugit, plus perculit aratorum, quàm ſua calamitas, quod illis è nidulo ſuo excuſsis errandum nudis ac egentiſsimis videret, ſibi verò, vnde cladem ſarciret, Dei benignitate ſupereſſe. Mihi certè eodem animo Caſtellus ſuum illud incommodum, ſuarumque fortunarum iacturam tuliſſe viſus fuit, quo Thales demerſit aurum, quo Simonides enatauit vuidus è ſalo, quo denique Bias è capta Priene ſine omnibus ſarcinulis exceſsit. Quem ego cum obuium forti animo eſſe iuberem, ille dulce renidens, ac cælum ſuſpiciens, Diui, inquit, ſint hac qualicunque mea clade contenti. poſſum non forti ſolùm, ſed etiam læto animo meis rebus carere, & mearum fortunarum deformitatem ſpectare, ſi ſpes ſit, placari mihi, mitigarique vlla ſatisfactione Deum poſſe, cuius numen nimis ſæpe, nimiſque indignè ac proteruè eſſe à me violatum confiteor. Eſt aliquid in conditis, vnde hoc corpus alam, quod etiam ſi quis caſus eripiat, cui demum ego iure poſſim ſuccenſere? Sed enim miſellis colonis quid fiet, quos bellum omnibus fortunis euertit, quos deſpoliauit, quos à ſuis penatibus, atque penè ex hominum numero exterminauit? Palatos conquiram ſedulò, & ſi quos nanciſci potero, conabor fouere, recreare, atque ad ſpem ſalutis erigere. Hæccine adoleſcentis oratio, an Socratis? quid enim hìc exclamem? quid conteſter? quos veſtros ſenſus interrogem? Ne longum faciam, tacebo quæ hìc emicent lumina virtutum præſtantiſſimarum, & eò, quò properat animus, contendam. Non ita pridem extulerat patrem Hieronymus, & iam pro copia præſenti, diſſipatarum fortunarum ſtatum compoſuerat, cum ecce ad eum viſit ciuis primariis, & eſſe dixit, quæ remotis arbitris cum ipſo de eius re magna, ſi eſſet ab alijs rebus otium, agere vellet. Cum Hieronymus more ſuo comiter eſſe otium reſpondiſſet, ille verò, Rem nouam affero, inquit, & inexpectatam; quam ſi ſapis, non aſpernaberis, animum certè probabis & tui ſtudioſiſſimi ciuis, & de tuis com-

commodis die noctuque cogitantis. Affero conditionem coniugij lautam cum primis, ac inuidendam, qua pronuba Iuno, qua Hymenæus meliorem & magis auſpicatam afferre nullam poſſunt. Tum de virgine paratius minimè indiſertus plurima, de generis ſplendore, de moribus, & forma, de affinitate, de dote opulenta, & ſi quid fraterculo contigiſſet humanitus, de vbere hæreditate. tum hortari, obſecrareque adoleſcentem, & ſpe metuque tentare. tum obteſtari diuoſque homineſque, opportunitatem decidiſſe cælitus, quam ſi oblatam amiſiſſet è manibus, fruſtra poſtmodum eſſet ſimilem optaturus. Quandiu enim tanquam Cybelis ſacerdos frigeret domi, ſteriliſque emarceſſeret, cum liberis dare operam, fruique coniugio oporteret? At Hieronymus ictus re noua tergiuerſari, excuſare multa, dicereque ſe ab re vxoria abhorrere, aliaque omnia cogitare. Cum ſæpe multa eſſent vtrinque iactata, cum ſpe, cum prædicatione ſua eſſe omnia maiora diceret eques, cum ſatageret, vt amicè fideliterque monenti vellet aſſentiri, cum per cineres patris, perque omnia ſacra rogaret, vt ſapientius aliquid de re tanta ſtatueret, Equitem Hieronymus cum eo dimiſit, ſe eapropter Lauretanam peregrinationem ſuſcipere certum habere, inibique Deiparæ numini ſupplicaturum enixè, vt ſibi quid faciendum cenſeret, ſignificare ne grauaretur, eiuſque velut de conſilio ſententiaque, cum rediſſet, eſſe conſtituturum. Ergo profectus parum commoda anni tempeſtate Lauretum fuit, ac ibi ad Templum recta, vbi cum & ſæpe & diutiſſimè ſupplex contendiſſet à Deipara, vt ſibi eam mentem inijceret, quam ipſa probaret, atque vt ſibi vtrius rei auctor eſſet, oſtenderet non obſcurè, paulatim ſenſit abduci ſe in alia omnia, faſtidire & auerſari mentionem nomenque nuptiarum, delerique etiam, ac velut abradi ab animo depictam tam graphice imaginem virgunculæ, monerique ſenſibus intimis, vt omni repudiata conditione ſeſe totum ad Deum conferret: neque ante deceſſit, quàm ſtaret ſententia, nullum amplius audien-

di auctorem coniugij, nulliſque ſe nuptijs illigandi. O præclarum adoleſcentem, quem non incendit iuuenta, non delinierunt preces & blandiciæ, non labefactauit cupiditas, non pepulit forma! ò adoleſcentem præſtanti ingenio ac pietate, qui de re nulla Deo inconſulto audet conſtituere!

Perorata cauſa eſt, Viri Clariſsimi. Quid enim Soli coner lucem fœnerare? præſertim qui potuerim [illegible], atque adeò debuerim ex Pindari Nemeis didiciſſe, quàm ſit paucis verbis honeſta cauſa contenta. Te ſi velim, Hieronyme, extrema oratione, vt te in tuis contineas perennibus ſtudijs, atque vt veræ laudi ſeruias, quam tu diligis ex omnibus rebus plurimum, amicè monere, nonne eadem opera ab igne contendere poſsim vt niteat atque ſplendeat, à mari vt ſtatis temporibus exæſtuet ac inclinetur, & à tellure, vt redeunte quotannis mitiſsimo tempore veris flores ac fruges fundat? abſtinebo ſuperuacanea cura, & faciam, quod eſt proximum: Vouebo, vt qui adhuc LABORI litauiſti, EVENTVI ac FORTVNÆ litare iam poſsis. Dixi.

Digitized by Google

In Laurea

CAROLI FRANCISCI BONSIGNORII In Oppido Deirago Præpoſiti

PANEGYRICVS.

QVÆ demum ratio fuit, doctiſsime Bonſignori, cur cum ad hoc velut epulum conuenturi eſſent corrogati ciues ampliſſimi, præſtanti omnes nobilitate, copijſque atque ingenio, florentiſſimaque tum fortuna, tum dignitate, mihi homini nouo, nulliſdum vſo publicis honoribus, nullaque prædito facultate ingenij locum in his ſubſellijs eſſe poſſe putaueris, eundemque teſtem induſtriæ tuæ & auſpicem honoris eſſe volueris? Sed enim, quocumque id animo feceris, me tam inopem ab omnibus ornamentis, extremi hominem loci ac ordinis, nulloque inter literatos numero non poſſum cum hiſce ſummis viris comparare, neque noſtrum vtroſque in eodem conſidentes loco intueri, quin redeam in memoriam eius conuiuij, quod ſuo natali die Venus lautiſsimum Dijs apparauit. Cum enim inibi inter cæteros accumberet Porus affluentiæ Deus, proximèque ſederet Penia, hoc eſt, paupertas, quæ mendicatura cibum cœpto iam conuiuio ſuperuenerat, quid abeſt, quo minus mutato nomine fabulam narrari dicamus de nobis, graphicèque in eiuſmodi epulo noſtrum hunc conſeſſum depingi; vbi vos, Viri Clariſsimi, pars maxima & potiſsima ſeu cœnæ, ſeu theatri ſedetis, lauti ciues, copijs affluentes, perfuncti honoribus ampliſsimis, doctrinæque opinione, & rerum geſtarum gloria inclyti: vbi ego, nullo cenſu, nulliſque maiorum imaginibus, Plato in cõuiuio, ſeu de Amore.

ginibus, ſed tantùm literulis de triuio notus, hæreo poſtremus? Ad me quidem quod attinet, non committam hodie, vt tam multis, atque tam claris luminibus noſtræ ciuitatis immixtus obliuiſcar, quàm *diſtent æra lupinis:* neque equinas eas fæces vetere apologo notiſsimas imitabor, quæ fluitantes in amne immixtæ pomis, non modò ſordium ſuarum, verùm etiam nominis ſunt oblitæ, ac ſeſe vocabulo nitidiori pro pomis venditarunt. At quoniam ea res nunc agitur, quemadmodum Carolum Franciſcum Bonſignorium quàm ornatiſsimum dimittamus, vobis quidem, quibus affluunt omnia, & qui patriam veſtro ſupercilio fulcitis, quàm id procliue ſit, nemini eſſe poteſt obſcurum; ego verò, quem naſcentem fortuna bonis omnibus deſpoliauit, quid poſsim conferre, hercle non video. Cuiuſmodi hoc eſt, cum itidem ſint oculi mihi, cum ſint aures, & animus ad æſtimandam Bonſignorij vim admirabilem doctrinæ, & virtutum concentum mirificum, non eandem eſſe, quæ vobis, ad ſua his tantis rebus præmia perſoluenda facultatem? Itane ſibi optimates & ſatrapæ ius totum ornandæ alienæ induſtriæ vendicabunt: Nos tenuiores in cauſa quoque amiciſsimorum ingratos videri ac inhumanos erit neceſſe, vt ne communi quidem officio ſatisfacere poſsimus? attamen vt cætera deſint, theatro quis nos excludet, vt ne premere quidem pollicem in fauore valeamus? vt, ſi minus hecatombem regiam facere poſsimus, ne verbenis quidem, & ſacra fronde aras coronemus? Vt ne fercula quidem feramus in pompa? denique vt ne ſaltem inclamemus, Io triumphe?

Principio tecum loquor, Laureator Clariſsime. Quid exiſtimas de iuuene, cui de conſilij ſententia tantum honorem habuiſti? quidue in eo deferendo fuiſti ſecutus? Neque enim dubito, quin permulta ſecutus fueris, quæ ego, te ſilente, colligam breuiſsimè. Moribus eſt planè niueis, habetque præter ſtudium ardens omnium rerum honeſtarum, multa etiam in receſſu, quæ ſummo pretio poſsimus æſtimare.

mare. Vix enim è tanto numero adoleſcentum, quemquam reperiamus, qui ſit ad obſequium facilior, atque ad pietatem propenſior, ſtudioque maiore artium optimarum, atque ad dicendum magis prompta facultate, & qui in rebus magnis adminiſtrandis tantum veræ prudentiæ cum tanta morum ſuauitate, coniungat. Cum enim varias & multas Romanæ vrbis partes Choragus Plautinus commonſtret, vbi garruli, periuri, contumelioſi, & ſycophantæ ſolent eſſe frequentes, fruſtra ſcilicet Bonſignorium quæratis apud Cloacinæ ſacrum, quò ſolent commeare mendaces & glorioſi: fruſtra propter Canalem, quò meri oſtentatores: fruſtra item ſub Baſilica, vbi ſe ciues ſcortis putidis & exoletis emungendos, deſpoliandoſque præbent. Quid enim Bonſignorio cum Comitio, quem in locum ventitant periuri? quid cum æde Caſtoris? quid cum Tuſco vico, vbi perſæpe magnus numerus eſt eorum, qui ciues per fallacias interuertunt pecunia? Quid cum Veteribus Tabernis, vbi peſsimum genus hominum homines in pace deſpoliantium fœneratores conſiſtunt? Quamquam enim eorum locorum nominibus vrbs hæc noſtra caret, & nuſquam hic Cloacina eſt, & Libonis puteal, quem tamen fugit eſſe nobis pro vno Scelerato Vico vicos ſceleratos permultos, multaſque pro vna Saburras? quibus in locis vt conſiſtat Franciſcus Bonſignorius, ac ſe inibi ſuis ciuibus ſpectandum præbeat, non talentum magnum Atticum, non lautum patrimonium, non regnum velit merere. Ergo ſi vobis conuento Bonſignorio opus fuerit, vbiuis eum potius, quàm in eis nundinis improbitatis quæratis oportet. Multus domi eſt, multus in ſuo Muſæo, & cum ſuis libellis. ſi quò foras emigrauit, in Templis fortaſſe inuenietis operantem ſacris, ac ſibi Deum, ac diuos propitiantem. inde ſi exceſſit, recta fortaſſe ad bibliothecas, aut quoquam ad doctum aliquem, quicum de literis iucundiſsimè colloquatur. denique ſi ne illò quidem, haud aberit, quin amicorum cauſ'i perreptet per vrbem, & ſe ipſum opera ijs nauanda dirum-

Curcul. act. 4. ſc. 1.

dirumpat. Nullum quidem certè fuit tempus, quo non in Bonſignorio iudicij elegantiam, copiam conſilij, conſtantiam fidei, & quod familiam ducit, religionem multorum prædicatione conteſtatam plurimi fecerim; ſed eo maximè, cum ei de vitæ ſuæ rationibus conſtituendum fuit aliquid, & in quam viam ſe daret, eligendum. Herculi quid acciderit à pucrili ætate ad adoleſcentiam peruenienti, neminem qui Xenophontem peruolutauerit, arbitror ignorare. Eum enim ſapiens Prodicus ait in eo ætatis vtriuſque confinio egreſſum ex vrbe fuiſſe, & cum arbitris remotis conſediſſet in ſolitudine, fluctuaſſe dudum animo, ac vtram viam eligeret, hæſiſſe ancipitem; cum hinc Virtus eum confirmaret ad ſuum ſcandendum cliuum: inde iucunda Siren Voluptas calicem aureum Babylonis propinaret. Bonſignorium alia ſanè perdifficilis deliberatio ſuſpenſum habuit, de vniuerſa vita quid conſtitueret; vtrumne literulas colendas ſuſciperet, an ſuccederet in paternum artificium, an potius forenſes diſceptationes iudiciorum ſequeretur. Quid enim in conſultationem venirent aulæ miniſteria, quæ ſemper non degener animus auerſus refugit? quid bellica, quæ & irriſit propter incommoda, & ſemper fuit propter atrocitatem deteſtatus? Naturæ quidem tuæ, Bonſignori, ſimillimæ horologijs, quæ multos orbes ac rotulas ſemper habent in opere: ſimillimæ item cælorum, qui aguntur motu præpeti, & vertigine quadam verſantur aſſidua, vis quædam ineſt ardens, efficax, actuoſa; vt eodem artificio facta ad agendum moliendumque ſemper aliquid videatur, quo facti Dædali Vulcanique tripodes feruntur fuiſſe, quos inquit Poeta ſponte ſua, nullius impulſu, ſecum ipſos conflixiſſe, & tanquam canerent vtrinque ſigna, Marſque cieret prælium, concurriſſe infeſtos, ac ſe mutuis ictibus colliſiſſe. hæc te natura poterat ad res gerendas vocare. ſed cum illud (vt ego quidem reor) maturè pertimeſceres, ne ſi te plus æquo humanæ vitæ curis inuoluiſſes, minus de annis æternis poſſes cogitare, neue tum de ſumma ſalute venires in diſcrimen

De dictis & factis Socratis lib. 2.

Ierem. cap. 51.

men

men maius, cum te ſuprema dies ad dicendam cauſam ad ſeuerum illud atque inexorabile prætorium abriperet, nimirum hæc cogitares, & permagni tua, quidquid humi geritur, putares intereſſe? hæc te cogitatio eò facillimè trepidum adduxit, vt ſarcina leuatus grauiſſima cælo velles ferre animum: ferreaque illa profanorum, ſeu ſecularium negotiorum abrupta catena, ſub Chriſto Domino velles in ſacra veſte merere. Tantæ porro conſtantiæ conſiliorum nolite, Viri Clariſſimi dubitare, quin reſponderint vitæ rationes benè compoſitæ, & eo digniſſimæ, qui mox eſſet extrudendus in meſſem Domini, & ſuis ciuibus auctor futurus pietatis, atque ſtatum Chriſtianæ reip., Eccleſiæ diſciplinam ac harmoniam, legumque ſacratarum auctoritatem defenſurus. Seruauit eam conſuetudinem religio priſcorum, vt agnos tauroſque, Donatus quos aliquando mactare Dijs voluiſſent, nefrendes adhuc, & vixdum ab vbere depulſos, è grege vniuerſo maturarent eligere; quos ſeorſum habitos, ac propterea EXIMIOS & EGREGIOS appellatos, multo alebant impenſius, qu m alios ſolerent, quòd illi ſuis Dijs alerentur. De aris loquor adhuc, nec vſquam à templis abeo longius, ne quis fortè queratur obſoleſcere nimis orationem meam, & ſtabulorum fæcibus inquinari. Iam docui lectum à puero Bonſignorium fuiſſe, qui aliquando ſacris velatus inſignibus Deo miniſtraret; continuò ad eam rem ſepoſitus fuit, continuo moderatoribus diligentiſſimis traditus in diſciplinam. continuò ſepta diligenti cuſtodia, munitaque firmis præſidijs eius adoleſcentia, necunde quidquam illaberetur in animum ad eius infuſcardum candorem, quod eo indignum foret, qui litare Deo, immolareque hoſtias acceptas aliquando deberet. Duo ſunt, quibus oportet eſſe inſtructum Sacerdotem, VERITAS & DOCTRINA. hæc duo ſacroſanctæ leges, hæc ratio ipſa, hæc omnium PP. oracula præcipiunt. qua gemina dote ſi caſſa eſt natio Sacerdotum, quid ego querar dolentius? aut quid dicam amplius? quàm ſurdos eſſe & penè ſenſu com-

 muni

muni carere qui mutam eam horrendi carminis legem non audiant: Ne ipſi vos inferunto ſacris: Ne myſteria contrectanto: profani ſunto: Ne ſacra verba concipiunto: Qui contra faxint, æterna morte pereunto. Quamquam cum peſſimum ſit, extremèque improbum genus eorum, qui neutrum habentes, tamen qua ſunt vecordia & ſtupore, ne diſtrictum quidem metuunt in caput ſuum Dei vindicis gladium: genus eſt tamen illud aliorum, minus quidem impudens ac nefarium, ſed magis frequens & quotidianum, qui cum intelligant à ſe vtrumque exigi & expectari, Iouem illum Homericum imitantes, qui duo rogatus ab Achille, annuit de altero, de altero præcidit, ipſi quoque ſeueriſſimis legum ſanctionibus moniti, vt niſi probi doctique ad aras ne accedant, de alterutro tantùm laborant & aut illiteratam probitatem ſectantur, aut improbam eruditionem: ſtudentque vt ait D. Hieronymus *aut ruſticitatem ſanctam habere, aut eloquentiam peccatricem*. Homines eiuſmodi quàm rectè faciant, nihil attinet à nobis dici, ne multi querantur ſuum à nobis iugulum peti. neque enim id inſtituimus; neque adeò eſſe poſſumus ad eam ſeueritatem auctores idonei; qui ſatis gnari quanto ſit procliuius præcipere grauiter, quàm viuere, modum noſtræ laudationis neutiquam excedemus. Veritas quidem, quæ vox cuiquam fortaſſe notionis paulo obſcurioris poteſt videri, quid eſt aliud, quàm tua iſta, Carole Franciſce, conſtans ratio, & animi benè morati diſciplina, quæ omni leuitate amputata & circunciſa, ad Deum noſtri generis auctorem omnia referat? Quid enim iſte pudor tuus ſignificat? quid iſte ſemper virilibus officijs animus occupatus? quid iſta mens ſubitis omnibus caſibus imperturbata? quid iſta in omni temporum varietate frons eadem & oratio? Nam quod ſint, qui minimè ſibi poni in crimine dictitent oportere, quod comam alant, & ſtudioſius pectant, cæteriſque munditijs vltra modum virilem delectentur, equidem vt ea de re profanos non vexem acerbiſſime, in Sacerdote

Iliad. 11.

Ad Nepot. de vita Cleric.

dote quis ferre poſſit? Hoc verò tolerabile, quemquam qui Templis miniſtret, & quotidie ferme ſe ipſum ſiſtat altaribus, nitidum velle videri, pulchellum, comptum & elegantem? eum ſeſe, tanquam Adonidem exornare ſuæ Veneri? coli muliebriter, & quæ in vaniſſima quadam, & inani oſtentatione ſunt poſita, ſtudioſè conquirere? veſtimentumque eius, cuius *tum ornatus, tum omnia dicta factaque*, vt inquit D. Hieronymus, *doctrina eſſe debet populorum*, *fœtere luxuria?* qui ſi ſeipſum credit, his rebus expoliri, riſu dignus eſt, ne dicam ſibilo & ſanna, cum nihil tam Sacerdotem exornet, quàm inops cultus, macies oris, non affectata probitas, vita rigens, miſer cibus, victuſque aridus, & capillus neglectus. Da illis lenocinijs atque de toto eo meretricio ſtudio mollium & delicatorum quid ſentires, Carole Franciſce, nonne quotidie ſtudio potius, & ratione diſſimillima, quàm clamore Stentoreo declaraſti? quid enim ipſe de te prædicem aliud, quàm quod de Euſtochio lectiſſima virgine prædicauit D. idem Hieronymus, cuius primariæ fœminæ rura Bethleemitica dudum incolentis *ſermonem & habitum & inceſſum doctrinam virtutum eſſe* pronuntiauit? longius nolo abeamus. Videte, obſecro Viri Clariſſimi, veſtes Bonſignorij vt non obſoletas, ita nec lacinioſas. videte vt neque cultus eius Cynicis ſordibus ſqualet, neque contra luxu fulgurat & ſplendeſcit. conijcite oculos in illum non molliter fractum inceſſum, ſed virilem. illud animaduertite ſtrictim tonſum caput, non comptis pexiſque capillis inumbratum. eam denique ſi vacat animaduertite in eius vniuerſa vita munditiem, quæ facilè quemque doceat, præſtantiſſimi iuuenis animum diſtrictum ſemper grauioribus & honeſtioribus curis, vitæque officijs occupatum commendo, pingendoque corpori non vacare, pretium veſtium, togæque ſtructuram aſpernari, & malle parabili cultu ciboque deſideria explere naturæ, quàm in ſaginato & phalerato corpore, macie animum conficere ac enecare. Es tu quidem humaniſſimus, attamen

Ad Fabiolam.

Epiſt. ſelect. 2. 15.

men tua iſta grauitas ream peragit alienam lenita-tem. es moribus multo ſuauiſſimis, at ratio tua haud dubiè iugulat multorum libidinem. es comitate ſingulari, at habitus oris & corporis tui plurimorum, qui *polluunt vocabulum Chriſti*, luxuriam criminari non deſinit. Hactenus eſt à nobis diſputatum de altera earum rerum, quibus loci ordiniſque noſtri perfecta laus continetur. grauem vidiſtis & probum Bonſignorium & qualem etiam decet vnctum Domini; quem niſi præterea ſacris & humanis literis excultum cognoueritis, me adeò auctore dicite eum nondum eſſe dignum, cui ritè poſſit Sacerdotium mandari. Quemadmodum enim ſi quis Græcè Latinèque ſciat, ſi Græcis ac Latinis literis traditas artes teneat omnes, aut etiam *ſi linguis hominum loquatur & Angelorum*, ſed contaminata vita & fama ſit, & quo in loco gratiæ conſiſtat apud Deum ſuſque deque habeat, eique minus ſtudeat cuſtodiendis eius legibus facere obſequenter, quid hoc hominis eſſe dicatis? niſi quoddam inſtar eorum cenotaphiorum (Suetonius tumulos honorarios appellat.) quæ conditis alibi demortui cineribus, caſſa & inania ſunt, habentque tantùm ex operis pretio atque magnitudine lautæ cuiuſdam opulentiæ oſtentationem. Perinde quicunque numeros omnes implet virtutis, niſi item *Myſteriorum peritus eſt, & Sacramentorum Dei ſui eruditus*, minimè ſanè Sacerdotum in numerum poteſt venire. quid enim aliud eſt, niſi quiddam ei marmoreo ſimulacro Iuſtitiæ ſimillimum, quod in vmbilico noſtræ vrbis mutum ex alto pegmate videris eminere? O rem difficilem ita poſſe inter vnctos Domini conſiſtere, vt à titulo non abſis longiſsimè! Rudes ac indocti quin editam oraculo diuino ſortem extimeſcitis? feri, ebrioſi, & cupiditatum inſulſarum pleni, quid ſacra conuomitis? quidue conuenit vobis cum noſtræ religionis myſterijs, quæ ſanctiſſimè oportet curari? Pietatem nos adhuc Carolo Franciſco tribuimus, iam illi & literas tribuamus, quas cum à religione diſceſſit, & amauit ex omnibus rebus plurimum,

Cor. 13.

D. Hier. ad Nep.

rimum & coluit. Qua de re videor ſanè ego, Viri Clariſsimi, poſſe exploratius aliquid affirmare, cum iiſdem caſibus ſimus defuncti, cum ille mihi, ego illi arbitri fuerimus omnium conſiliorum, cum vocarit nos idem æris campani ſignum in ludum, idem dimiſerit, cum lecti ad eandem rem fuerimus ab incomparabili viro Federico Borromæo, cum idem forum calefecerimus literarium, denique cum annos plus denos clepſydra vterque eadem & didicerimus diſciplinas ab alijs, & ipſi alijs tradiderimus, acceptaſque more ſiphonum refuderimus. An mihi tanto ſpatio temporis eſſe potuit obſcurum, qua ſolertia & acumine, qua docilitate atque ad diſciplinas percipiendas ingenij felicitate Carolus Franciſcus Muſas coluerit? an conſumpto in eius contubernio non modio vno ſalis, ſed planè trimodio, per eas rimulas, quas mihi arcta familiaritas, & poſtremo tempore etiam collegij ac ſortis neceſsitudo aperuit, ipſum adeò eius animum non licuit introſpicere? Hoc igitur habetote, nihil Franciſcum feciſſe iucundius, quàm vt abderet ſe in literas, in eiſque quotidie progrederetur. Quid enim illud fuit, quapropter vltro ad eam vitam accederet, in qua labores ſuſciperentur perpetui ac ineuitabiles, niſi vt aliquando in album literatorum poſſet referri? quod ſanè tanti æſtimauit, vt cum Eudoxus procul ab omnium mortalium conſuetudine in excelſi montis iugo conſenuerit, ne quid ſe in opere literario interpellaret: cum Carneades Cyreneus antequam ſe dederet contemplandæ naturæ, caput, ſtomachumque deterſerit & repurgauerit, ne ad ſe Muſæ grauarentur hoſpitio diuertere; ob eandem cauſam Bonſigorius fæces ex animo, & tumultuantes cupiditates eiecerit, ſeceſſeritque in eum locum, vbi ioca ſeria literæ forent, ad eamque rem vnam eſſent omnium curæ conuerſæ. Quid enim Archimedem illum Syracuſium demiremur, qui lineis geometricis intentus irruentium hoſtium ſtrepitum, & captæ ruentiſque patriæ gemitum non ſenſit, cum Carolus Franciſcus occupatus ſuis literulis, totuſque in illis

Tit. Liu. Dec.

 ruen-

rutentis ſtrepitum Europæ non exaudiuerit? Quanquam enim vni Theologiæ Caroli Franciſci ſit hodie honos quæſitus, & hic vnus titulus velut in fronte cuiuſdam eius tabernæ pendeat proſcriptus, tamen quibus rebus ad eam rem præparandus animus fuerit, & quibus ſemitis ad illud culmen enitendum, neminem arbitror veſtrum ignorare. An ſcilicet diuina illa facultas Carolo Franciſco ſomnianti in bicipiti Parnaſſo, aut de Hippocrene largius haurienti repentè contigit? an ſic obiecta illi fuit, quemadmodum incuruo atque ad agrum ſuburbanum fodiendum quaternis obolis conducto Timoni theſaurum Iupiter ante pedes obiecit? an potius Carolo Franciſco Theologiam indidit laurus eadem illa Heſiodi, quæ otioſis paſtoribus poetica fertur inſpiraſſe? Nihil eiuſmodi; ſed quemadmodum qui modò magnorum exercituum ſunt imperatores, fuere principio milites manipulares, mox ſigniferi, tum verò ductores ordinum, deinceps militum tribuni; quibus in ſingulis gradibus & aliquandiu conſtiterunt, & præclaris militaris induſtriæ ſpeciminibus ſubinde ad maiora imperia ſuffragationem meruerunt: perinde qui modò diuini iuris prudentiam, & arcana noſtræ religionis tenet, quæ ſunt notionis difficillimæ, aliſque naturæ negatis cælos ac cæleſtia feliciſſimè tentauit, ſpectatus antea, probatuſque rebus alijs multis & præclaris fuit. Nam & dicere commodè didicit in ſcholis, & acutè colligere, & callidè ratiocinari, & facultatem orationis in omnes partes verſare. Sed indolem animaduertite adoleſcentis. Arte hac Iſocratica eatenus vtendum ſibi ſtatuit, non vt præſtigias faceret, ſed vt ſeruiret cauſis: neque vt Athenienſes præcones imitaretur, quos ait Poeta, ea quæ facta eſſent, narrando prædicandoque ſolitos fuiſſe bis tanto maiora efficere, ſed vt de rebus eximijs ſplendidè, magnificè ac luculenter, contra de exilibus preſsè, ieiunè, & exiliter diſputaret. Etenim ita exiſtimauit, vanum eſſe & nugatorium de arce cloacam, de cloaca arcem efficere: cauſas verò bonas euertere, & inferiores quæ

Lucian. in Timone.


Eurip. apud Gaſp. Sciopp. nuncup. ad Eccleſiaſten.

eſſent; dicendo ſuperiores efficere, veteratorium eſſe ac ſycophanticum. Illos verò deteſtatus, execratuſque ſemper fuit, quibus eloquentia, res tam ſacra, pro telo delibuto eſſet ad feriendum, & qui tanto munere diuùm, quod ornamento, quod ſolatio, quod præſidio eſſe multis oporteat, ad cuiuſquam abuterentur iniuriam. Poeſeos verò repudiandæ eam cauſam habuit, quod vix eſſe dignum viro cenſeret, tempus conterere arte, planè negatoria, plenaque ineptiarum, & plus ſæpe ad partem alterutram offendente, vt aut mollior ſit & impudentior, quàm deceat caſtos viros, aut acerbior & petulantior, quàm bellos deceat & concinnos; quæ ſi nomen ſuum tueri cupit, cum maximè ſeria eſt & grauis, tum mentitur impudentiſſimè. hiſce igitur conſilijs & inſtitutis literas Carolus Franciſcus perdiſcebat latinas, quum ex inſperato rogatus fuit, ecquid animum ad literas etiam Græcas eſſet adiecturus? Quidni conditionem acciperet, & hanc quoque gemmam addere ſuæ coronæ ſtuderet? quidni nouum hunc laborem ſuſciperet in ſpem gratiæ Eminentiſſimi purpurati FEDERICI BORROMÆI, quem Diui accommodauerant terris, vt Muſis omnibus hoſpitium & lautia præberet, atque vt intermortuas & conterritas literas refoueret? qui vt erat ipſe ſummis doctrinis excultus, ſuos ad idem laudis ſtudium excitare nunquam deſtitit: & inuitatis vndique ſpe ingentium præmiorum ſummis artificibus effecit, vt cum aliæ artes ingenuæ, tum etiam linguę, quarum penè nomen interierat, refloreſcerent ac propemodum renaſcerentur: magniſque ſuis ſumptibus & laboribus rem eò perduxit, vt ſuos Inſubres Græcè, Hebræè, Arabicè, & Chaldæè loquentes audiret. Quem ſcilicet ad tollendum quiduis oneris non commoueret herois incomparabilis auctoritas, ac illud diuini viri paucos è multis eligentis iudicium? Erat omnino perarduum, & magni operis nouam linguam aggredi, & eloquentiæ ac philoſophiæ ſtudijs ſtudium intermiſcere linguæ peregrinæ, quæ tum numeris, tum temporibus, tum

accentibus, tum dialectis, tum etiam ſono, & efferendi ratione, tum denique ipſis quoque literarum ductibus & formis immenſum quantum diſcreparet. Quis id neget fuiſſe perarduum, præſertim occupatiſsimo adoleſcenti, qui ſummo certamine animi primas cuique in omni facultate conaretur præripere? Sed quid arduum volenti? at enim ne nouas literas ſequi, fraudi foret ſtudijs alijs, neue quid incommodi ac detrimenti ex nouæ curæ acceſsione caperet eloquentia, tempora, inquit, contrahantur ſomni, de remiſsionibus animi dematur aliquid, imperetur aliquid amplius viribus, extendantur vigiliæ, magis animo infigantur calcaria, pinnarumque talaria pedibus affigantur. Tanti ſcilicet erat fontes ipſos peruestigare doctrinarum: tanti intelligere Græcè loquentes tum Muſas, tum Patres, proceresque Eccleſiæ: tanti ſe morigerum ei præbere, qui cum pro ſuo ſummi imperij iure cogere poſſet, maluit inuitare. Neque tamen cum maximè Græcis literis ſtudebat Bonſignorius, quidquam præterea, quod ſanè ad vitæ rationes pertineret, ſibi ab ea gente perdiſcendum conſtituit. Fallant Græci fidem; luxurientur & pergræcentur, pacis nullas conditiones audiant, niſi pullati, atque magna aliqua clade conterriti, obtrectent ſummis cuiuſque virtutibus, denique res pacis; res belli inconſulta temeritate adminiſtrent. Carolus Franciſcus præclarum ſibi futurum putauit, ſi cum Græcè loqui ſuam linguam inſtituiſſet, rebus alijs à Græcis plurimum diſsideret. Hoccine Græcum eſt, quod fidem colit tam religioſè, quod fauet etiam alieniſsimorum ingenijs, quod ſuorum conſiliorum tuetur conſtantiam, quod Deum rebus omnibus inchoandis adhibet; quod nihil ſuſcipit temerè, neque iacta ſemel alea Mineruam tum demum illam expectat, quæ olim Athenienſium incogitantiam, atque cæcam temeritatem benè fortunare conſueuit? Hoccine, inquam, Græcum eſt, an Romanum? an dignum Euangelij præcone? an villico & colono conſentaneum, quem ſit in ſuum fundum diuinus pater familias

lias miſſurus? an ei conuenientiſsimum, qui ſit iura Eccleſiæ propugnaturus, & Eſdræ exemplo ſit populo enarraturus legem Domini, & omnia ad immortalis Dei gloriam collaturus?

Sed enim quid ago? Æneam laudo, vt inquit ille, cum culicem vix aptè poſsim. Erras, Carole Franciſce, ſi me reris tuæ potius encomium virtutis, quàm tralatitiam præſentis diei gratulationem inſtituiſſe. Ea enim nobiſcum neceſsitudo, is vſus, & animorum coniunctio intercedit, & porro, (quod ſurda Nemeſi dictum velim) intercedet, vt hodie, ſaluo officio eſſe mutus non potuerim. Nam quod ſtrenuorum adoleſcentum animis ſolet extrema oratio quaſdam faces admouere, ſpontèque currentes velut nautico celeuſmate magis magiſque incitare, ipſe modò labore minimè neceſſario ſuperſedebo. Anne fieri poſſe credatis, vt vis tanta ingenij, tanta in omni genere ſolertia, ac tantum ſtudium artium optimarum conſeneſcat? præſertim deguſtatis gloriæ fructibus ſuauiſsimis, ac datis induſtriæ ſuæ prædibus tam multis? Vtere ingenio tuo, præſtantiſsime adoleſcentum: & quando te humanis ac diuinis armis inſtruxerunt literæ tuæ, cogita quotidie in quem illa vſum, totque præclaras ingenij, naturæque dotes tibi Deus fœnerauerit. Dixi.



In

In Laurea

AMBROSII TVRRIANI Epiſcopi Nouocomenſis

PANEGYRICVS

Qui inſcribitur

ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ.

Ili. 17.

Plutar. an grauior ſint morbi.

Homer. Iliad. P.

ILlud mihi perſæpe contigit mirari, quod diuinum poetam ferunt Homerum dixiſſe, qui cum noſtros in hanc vitam ingreſſus & exitus, cum varios ancipiteſque caſus humanæ vitæ, cum totam illam Troiani belli ſeriem, quo tanta vis mortalium tam acerbis lethi generibus fuit ante diem interempta, cum denique recentiſsimam ac indignam Automedontis necem, cui ſuos quoque ipſius rhedarios equos illacrymaſſe ferunt, ob oculos haberet, eò demum euaſit, vt diceret, Omnibus ex ijs rebus, quæ ſerperent ac ſpirarent in terris, nullam homine neque magis ærumnoſam & miſeram, neque magis calamitoſam videri. Qui ſanè tam acri ac eleganti vir ingenio, quin in pronuntiando tam ſeuerè alia multa ſpectauerit, non dubito; ac illa cum primis, quod cum cæteris animantibus tantum indulſerit natura, quorum alijs teſtam, pennas, corium, ſquammaſue ſtatim naſcentibus circundat: alias veneno, dentibus, rictu, vnguibuſue obarmat; ac ita pleraſque ſenſibus inſtruit acrioribus, vt etiam aliquas viuacitate donet triplo, quàm homines, maiore: omnibuſque ita medicamenta herbaſque commonſtrat, quibus ſuos quæque morbos depellant, vt

eis etiam paſtus varios atque abundantes nihil laborantibus fundat ex ſeſe; homines contra ſtatim ab ortu nudos inermeſque exponit abijcitque, atque potius omnibus obijcit infortunijs: quibus vitæ ſpatio longiore mulctatis etiam petenda foris medicina eſt, ratioque morbi leuandi; ne animorum enumeremus ægritudines ex rebus aduerſis, ne iniurijs ex mutuis acerbitates odiorum, ne ſanguinarium armorum ſtudium, quo ſæpe multa mortalium millia vno die ad orcum demittuntur? Neque tamen, vt alijs perſuadeat vniuerſis, mihi vnquam perſuadebit Homerus; cui adeò non poſſum aſſentiri, vt etiam ei nequeam non iraſci, quod velut in ferenda ſententia multò maluerit magna ea ſanè, ſed non omnium, incommoda ſpectare, cum illa potius, quæ ſunt multis partibus maiora, ſequi in iudicando debuerit; Hoc animal, quod ipſe adeò infra pecudes omnes deprimit, ipſis pecudibus imperare, habere os ſublime, corporeque fictum eſſe erecto, vt cælum intueatur, vnde ſuam originem ducit, eique vim intelligendi, rationemque inditam, ac eius denique in animo ineſſe quiddam cæleſte diuinumque, vt doctiſſimi illi veteres putauerunt, atque ne in tam contracto vitæ ſpatio foret, quod pecudibus, vt ita loquar, longæuitatem inuideret, ei moderatis vtenti rationibus ſpem vitæ immortalis proponi. Quæ ſi poeta cura expendiſſet intentiore, ſimulque illud animaduertiſſet, quo ſapientes homines conſilio res rationeſque ſuas moderentur, quàm aptè ſibi quiſque vitæ ſuæ deſcribant officia, quæ ſint ipſorum in animis, & quantarum rerum comprehenſiones, quàm liberali præclaroque ſtudio virtutum ad auctorem ſui generis deum, velut ad quendam archetypum, quàm proximè accedere connitantur, quanta denique parui ipſi, & quàm firma ipſi imbecilles moliantur & extruant; dixiſſet procul dubio, quod aliquando Mercurius Trimegiſtus, *Magnum miraculum homo eſt*: & quod multis poſt ſeculis Abdala Saracenus, qui (vt Arabum legimus in monumentis) interrogatus quid in hac quaſi mundi

apud Io. Picum Mirand.

mundi ſcena admirandum maximè ſpectaretur, *Nihil ſpectari homine admirabilius* reſpondit. Si tamen perſtas adhuc in eo, vt homini tantum detrahas & obtrectes, nihil agis, Homere. Obſecro quid emunctius Ambroſio Turriano? quid elegantius? quid aptius deſcriptiuſque? quid in omni officio diligentius? quid denique minus aberrans à regula? in quo, tanquam in ſimulacro, ſi quid ipſe fortaſſe minus probas, præter illud vnum, quod nunquam manum de tabula, nos tuam Homere, quam etiam ipſo præfefers nomine, agnoſcemus cæcitatem, ſynceritatem requiremus. At enim illud ego vobis non inuitis videor eſſe facturus, Patres Ampliſſimi, vt in induſtriæ laudatione minus multus ſim, quàm in gratulatione felicitatis, quoniam ea quæ penè ad ſummam quandam in terris; & expletam, beatam vitam pertineant, ita videam in hoc vno candidato velut extructa & cumulata, vt præterea, quid quærere poſſit amplius, non videam. Ergo cum ea precatione veterum, vt quæ ſuſcipiuntur à nobis, bene vertant, rem inſtituamus.

Nobis verò in hoc ad cauſam ingreſſu ita videtur; vt progredi aptè, atque vt dicendo poſſimus conficere, quod volumus, eſſe rationem illam expeditam, & haud ſcio, an vnam neceſſariam, vt conſtituamus, quid demum illud ſit, quod quemquam (quatenus quidem in humanis rebus licet) felicem poſſit efficere. Eſt hæc ſanè quæſtio tum ſic obſepta difficultatibus, tum tandiu ac tanta animorum contentione iactata, tum diſſidentium varietate tam latè fuſa, tam multiplex, atque inextricabilis, vt ſi tantùm nomina recenſeam Academicorum, Cyrenaicorum, Stoicorum, Epicureorum, Peripateticorum, quorum aliqui tanquam de terminis, aliqui de tota poſſeſſione dimicauerunt: aut ſi tantum eos enumerem, qui ſententiæ cuiuſque dicendæ auctores ac principes extiterunt, Zenonem, Antiochum, Chryſippum, Epicurum, Herillum, Theophraſtum, Ariſtippum, Ariſtotilem; nemini veſtrum poſſit dubium videri, quin ad

rem tantam diſceptandam minus hercle opus ſit iudice aut arbitro, quàm vate, aut Delio natatore. Iam verò ſi ſingularum veluti factionum opinionibus exequendis velim docere, quo res iſta tumultu geratur, cum aliqui velut coniuratis animis pro voluptate pugnent: quidam detractis moleſtijs continuò cenſeant effici beatam vitam: quidam ita diſputent, contentam ſuis integris incorruptiſque ſenſibus naturam eſſe, neque melius quidquam poſtulare: nonnulli denique grauiſſimam eam ſententiam dicant, quæ vni Honeſto vim aſſerant, ac vniuerſam rationem felicitatis; qui poſtremi perinde omnia tribuunt animo quaſi nullum ille corpus, velut teſtam nullam, ſarcinamue circunferat; cum illi ſuperiores ita vitæ commoditatibus, & copijs, vtilitate, delicijſque corporis cuncta metiantur, vt non meminerint, quid intus lateat incluſum in corporibus noſtris, & quàm illud diuinum ſit, quo nos ſcilicet pecudibus tantum præſtamus. In qua tanta varietate philoſophorum hallucinantium, ac inter ſe altercantium, & aliò funem ſine fine trahentium, qui cum ne probabili quidem fortaſſe vtantur argumentatione, multa ſe tamen penè rationibus Mathematicorum neceſſarijs concludere perſuaſiſſimum habent, quos equidem fugiam atque repudiem video permultos, neminem quem ſequar. Ariſtoteli cur vni malim ex omnibus aſſentiri, cauſis adducor grauiſſimis; qui ſic in prima commendatione ponit Honeſtatem, ac ita beatam vitam cenſet effici ea re, ſi naturæ conuenienter congruenterque viuamus, vt eam perfici explerique rebus alijs permultis exiſtimet. Qui cum dicit maximum ſanè momentum eſſe poſitum in eo, ſi quis extructam habeat in animo altitudinem excellentiamque virtutum, deeſſe tamen ad ſummam felicitatem permulta, & mancam fore ſine aliqua acceſſione Honeſtatem, nec illam ſuo ſatis inſtructam comitatu & inſtrumento, doctrina ſi deſit, ſi valetudo firmitaſque ac forma corporis, ſi ſenſuum integritas, ſi genus, ſi liberi, ſi fortunæ, ſi gratia, ſi clientelæ, equi-

dem

dem quid ille dicere poſſit conſtantius & probabilius, non video. Nos ergo totum Turrianum quadam hac trutina Peripatetica examinemus. breui faxo intelligatis, eſſe quiddam ingens & incredibile, Turrianus quod debet immortali Deo, atque eum cum pauciſſimis poſſe numerari, quos, vt poetæ loquuntur, *Iupiter æquus amauit*. Turriani de patria ſi velim inquirere, quæ illi Indouerum fuit, quinto & quadrageſimo ab hac vrbe lapide, nec admodum frequens vicus, neque, quod equidem ſciam, vlla re inſigni ſcriptoribus rerum Italicarum memoratus, venit in mentem ſuſpicari, ne cui minus erudito cauſa ſtatim in limine videatur impingi. Ipſi adeò Sophiſtæ, & quicunque deinceps laudandos viros præſtantiſsimos ſuſceperunt, ſemper vſurpauerunt eum morem, vt ſi fortè illorum patria vrbs fuiſſet, *quam Romam dicunt*, aut ſi Athenæ, Thebæue, ſiue quæ alia, quam ipſi honoris cauſa poſſent nominare, nullum modum facerent enarrandi auſpicatiſsima vrbis primordia, clementiam cæli, glebæ fertilitatem, opportunitates portuum, omnium rerum optimarum largam paratamque copiam, tum indigenarum mitiſsima ingenia, tum aquæ vinique genus, cæteraque tam ſtudioſè colligendi, ac tam diu deblaterandi, donec eam vrbem ſupra omnia Phæacum & Alcinoi regna ſuſtuliſſent. Quod ſi patria eis viris non alia fuiſſet, quàm angulus obſcurior aliquis, aut Transtyberina aliqua domus exigua, mirum erat quo ſilentio totum hunc locum præterirent, magis muti, tacitique, quàm ferantur veteres Amyclæ fuiſſe, & *Curia Martis Athenis*. Hos rogo, quid paruulos nidulos, & exigua virorum fortium cunabula fugitent oſtendere, cum ſummorum quoque fluminum fontes indicemus, qui plerunque in iugis montium venis perquàm tenuibus effunduntur? Indouerum Turriano patria contigit, mea quoque confeſsione nihilo vicus illuſtrior, quàm Arpinum fuerit, quod orbi terrarum perfectiſsimum artificem, magiſtrumque dicendi peperit: quàm fuerit Coſana villula, quàm

Virg. ecl. 1.

Iuuenal. ſat.

quàm Phalacrine, quarum hæc Veſpaſiani naſcentis audiuit vagitus, illa eiuſdem infantuli crepundia, & puerilem inſtitutionem vidit: quàm Cotignola ſit, quæ nobis in hoc noſtro Mediolanenſi agro Franciſcum Sfortiam, illum pacis bellique artibus inclytum patriæ principem edidit: quàm ſit illud Verbano imminens lacui, lapidoſæ ſimillimum Ithacæ, Maſsinum, vbi natus ille ipſe vtraque fortuna notiſsimus Matthæus Vicecomes fatalis tuæ gentis hoſtis fuit, qui Turrianos exuit imperio, (quamquàm inauſpicatum hoc nomen abeſſe hodie ab hoc munere fortaſſe oportuit?) quàm denique in agro Alexandrino Buſcum ſit, vnde prodijt Pius V. ille non ſolum iure ſummi imperij, & ſacroſanctæ poteſtatis, ſed etiam ſanctimonia vitæ, ac virtutum incomparabilium admiratione Maximus. Cum enim fortium virorum ea ratio ſit, vt plus refundant ſplendoris, quàm accipiant, non ſine Diuûm nutu atque conſilio factum arbitror fuiſſe, Indoueri vt Turrianus ederetur in lucem, vt incunabulis tanti viri dignitas ac ſplendor obſcuro vico & infrequenti quæreretur; quemadmodum cum VII. Sapientum in conuiuio iuſſus eſſet Æſopus humili ſella infra Solonem accumbere, id abſque conuiuatoris magna ſolertia factum fuiſſe negauit, *ne honos illi quoque loco deeſſet*. At ſi quis fortè leuitate animi potius, quàm certo iudicio id Ambroſio Turriano vertere probro velit, quod rure natus ſit, neque niſi grandiuſculus vrbis intra murum correpſerit, ei quid melius poſsim reſpondere non video, quàm quod multis ante ſeculis dixit M. Varro, & Columella, ac poſt vtrumque aliquo interuallo Iuuenalis, qui editis libris homines vrbanos traducere non dubitarunt; quibus deſidiam, ſomnum, theatra, popinaſque, & popinis ſi quid eſt deterius obiecerunt. Tuam in encomio tuo patriam nominari, Ambroſi, oportuit, ne quem fugiat, vnde tantum lumen emicuerit, atque vt qui me audiunt, omnes intelligant, viros quoque maximi tum animi, tum conſilij, & ſingularis tum doctrinæ, tum elegantiæ morum

Sueton. in Veſp. c. 2.

V. Argētonum pag. 311.

rum inde exiſtere, vnde cryſtallus, gemmæ, aurumque in vſus deliciaſque humanæ vitæ petuntur. Iam verò, vt hìc quoque, quæ pars veſtibuli poteſt videri, paulum inſiſtamus, haud equidem ſcio an alius quiſquam ſit nominis atque cognominis magis auſpicati, quàm Ambroſius Turrianus, quorum alterum deuocatum è cælo, & Iouis petitum è menſa videtur: alterum videtur inditum commendatione militaris induſtriæ: illo ſuauitatem & mellitiſsimam conſuetudinem, in contrahendoque & in omni munere vitæ amabilitatem atque dexteritatem; hoc ſuis amicis, ciuitati, diſciplinæ, Eccleſiæ præſidium pollicetur: nomine oſtendit, ſibi affatim eius oliui eſſe, quod Samaritanus doloris mitigandi cauſa ægroti vulneribus infudit immulſitque; cognomento ſignificat minimè ſibi deeſſe vinum, quo eadem illa vulnera, acriore ſi egeant remedio, repurget & curet. Cui cum reſpondeat vtrique tam bellè, equidem adducor vt credam, vtrumque *non ſine mente*, vt ait Maro, *nec ſine Numine diuûm* optimo candidato contigiſſe. Ille certè, quod quidem adhuc vidimus, quo ſe nomine ſuo dignum comprobaret, & quo ne ſic in appellatione, tanquam in alicuius epiſtolæ epigraphe, ambroſiam circumferre videretur, quoties ea ſe ipſum voce, qua notus eſt, nominari cogitauit, intellexit ſe moneri, vt proſcripta toruitate vultus, amota aſperitate atque auſteritate, ablegata arrogantia & morum truculentia, & vltra Sauromatas amandata ea triſti ſeueritate, quam in Thraſea Pæto Tacitus, quam in Andrio Critone tantopere damnat Dauus, quam adeò in Pauſania Athenienſi Thucydides improbat, ſtuderet litare Gratijs, quod neque M. Catoni contigit, neque Xenocrati: & comitate ſumma vteretur, amicorumque exciperet deſideria lætus lubenſque, porrigeretque ſe ad alienas vtilitates, obuijſque arrideret; Ne ſi nomen ſuum factis refelliſſet, foret qui ſibi, quod D. Hieronymus Vigilantio, & quod Creſcentio Philoſopho D. Iuſtinus Martyr, diſſimilitudinem morum opprobraret. Iam inde à pueritia, cum præ-

Annal. lib. 16. Terent. Phorm. Hiſtor. l. 1. Epiſt. lib. Apol. 1. & Euſeb. Eccl. hiſt. l. 4.

præſentire neſcio quid videretur, quale propediem futurum eſſet Eccleſiæ lumen, & qualis adminiſter Euangelij, quiduis perpeti paratiſsimus erat, modò ſpes foret, ſe ad famam, atque ad aliquem illuſtrem locum dignitatis emergere poſſe; vt iam tum ex illa velut herbeſcentis ingenij teneritate, quàm vberes aliquando Virtutis ac Sapientiæ fruges eſſent exſtituræ, facilè quiſque poſſet augurari. Quid enim mirum cuiquam videri debet, iam tum ea ſententia Turrianum fuiſſe, qui in domo pudica & ſeuera non auribus modò, verùm etiam oculis, quæ facienda eſſent, didiciſſet, cum vtrinque circumſtarent parentes, præclari, grauiſsimique benè agendi auctores, cum ipſa quoque cupiditatum vocabula proſcriberentur & vindicarentur, cum ſemper ad aurem eſſet parens vt optimus, ità diligentiſsimus, idem monitor & hortator, idem præmonſtrator & caſtigator, idem exactor cenſorque ſeuerus, cum ille pendenti ab ore puero ſemper eadem, ac denique cum ipſe multo ſapientius, quàm olim Athenienſes feciſſent, editam oraculo ſortem impleuiſſet. Cum enim Athenienſibus reſpondiſſet Apollo, ſi vellent viros bonos in ciuitate prouenire, non alia lege atque ratione ipſos voti ſui compotes eſſe futuros, quàm ſi, optimum quod eſſet, puerorum auribus insererent, illi aurum inſeruerunt. Hæccine Athenis, vbi nata altaque omnis doctrina eſt? Hæccine veſtra Minerua digna ſunt, omniumque gentium de veſtris ingenijs exiſtimatione? Itane pro monitis ſalubribus, liberorum veſtrorum auribus aurum inditis? ò præclaros religionum, oraculorum, ac diuini iuris interpretes, ſatis ego veſtrum ſtuporem mirari non poſſum. Quin ſi auro vis ineſt ad beatam vitam eiuſmodi, aſſentimini Socrati veſtro ironicè, hoc eſt, ſuo more, pecuniæ admiratoribus dicenti, Beatiſſimum illum eſſe, qui tria auri talenta in ventrem condiderit, talentum vnum habeat intra caput ſuum, certumque auri pondus vtriſque in oculis circunferat? Sed feſtinanti nimis hæc multa. Iam cedo qua ſis ſtirpe genitus & procreatus,

Dio. orat. 32. ad Alexandrinos.

Lib. 18. in Eutydemo.

Ambroſi mellitiſſime: niſi enim à pleriſque velim diſſentire, debeo Dei immortalis munus vt primum, ita maximum agnoſcere, ſi quis nota ſeculis nomina ſuæ gentis habeat, ſi ſæpe legat in faſtis memoratos proauos & atauos, ſi decora, ſi monimenta familiæ poſſit multa percenſere. Reſpice, Clariſſime candidate, atque ab his rebus, quæ nunc ſunt, ad eas quæ olim fuerunt, ipſe te conuerte. Nihil in maioribus tuis offendes de triuio, nihil neque modicum, neque obſcurum; ſed prouinciarum adminiſtrationes, principatus in libera Ciuitate, dynaſtias, expeditiones, & imperia; quæ nanciſci *attingit ſolium Iouis, & cæleſtia tentat*. quibus ſtudijs horum ciuium vſi fuiſtis? quandiu patriæ præfuiſtis cum ſummo imperio? quò æmulos potentiæ Othonem & Matthæum Vicecomites redegiſtis? quàm ſæpe, quàm diu vidiſtis hoſtes in ſordibus & ſqualore, pauidos, extorres, inopes, atque à ſpe pendentes deſperatiſſima? Sed plauſtrum euertit Nemeſis, ac deiectis qui ſtarent, iacentes erexit. O Cæſaris Henrici nomen vobis inauſpicatiſſimum, cuius in Italiam aduentus omnia commouit ab imo! O dies veſtro generi funeſtos & nefaſtos, quibus ad Placentiam, atque ad Decimum ab hac vrbe lapidem aduerſo prælio pugnatum à vobis fuit! quibus diebus Turrianorum eſt fuſus & fugatus exercitus, pedites conciſi, equitatus diſiectus ac diſſipatus, & principatus in perpetuum ereptus; niſi ſi quando velut è machina Deus gentem reſpiciat, & afflictis perditiſque rebus manum ſalutarem admoueat. Dominatio, ac imperium prius fuere, modò ſunt nomina dediſcenda vobis ac prorſus obliuiſcenda. Sed tamen familiæ florentiſſimæ ita dignitas exaruit, ac ita concidit magnitudo, quemadmodum olim Rhodius coloſſus, qui terræmotu corruens comminutus fuit, & in plurima fragmenta diſſectus, diſiectuſque: quemadmodum illiduntur ad ſcopulos magna nauigia, quorum tabulæ diſſiliunt, ac æſtu partes in omnes ſparguntur: quemadmodum nobis quotidie lux Phœbeia noctis interuentu eripitur, cum pro ſole

Horat.

Ioſ. Ripam. dec.3.l.1

vno

vno innumera ſydera micant, quemadmodum deſecta vna arbore ſurculi permulti recreſcunt. Dominatricis olim familiæ hodie quoque in agro Nouocomenſi atque in ora vniuerſa lacus Larij reliquiæ ſuperſunt honeſtiſſimæ, quæ neceſſitati parent ac intra priuatæ fortunæ modum deliteſcunt. Tu nominis Turriani fax magna es, Candidate doctiſſime, tu principum ſoboles velut acciſis ſtirpibus recreſcens, tu ſpes magna futuri temporis, tu ſplendoris, magnitudiniſque hæres, tu columen afflictæ, iacentiſque familiæ; qui magnorum nominum Caſſoni, Guidonis, atque Franceſchini ita ſæpe redibis in memoriam, vt nunquam eam cogitationem dimittas, quid te, quid illis dignum ſit, & quid facere tantæ gloriæ hæredem oporteat. Natus his maioribus Ambroſius, cum præmaturè ante vſum rerum ſentiret de rebus humanis eadem, quæ D. Bernardus, fluxam earum fidem eſſe, nihil ineſſe veri ſolidique boni, ſed laqueis, veneno, ſcopulis plena eſſe vniuerſa: idque quod nos ſeculum, quod mundum nominamus, hominum ad perniciem inſtructiſſimum eſſe; ad ordinem hunc noſtrum velut ad ſacram anchoram confugit, vt ſine vxorio capiſtro, ſine ſtudio liberum quærendorum, ac propterea multo minore cura diligentiaque rei familiaris Deo linteatus deſeruiret, ſuamque & aliorum ſalutem liber ſolutuſque negotiaretur. Id conſilij cum cepiſſet tum ſibi aptiſſimi & ſaluberrimi, tum ſuis multo iucundiſſimi, quæ eius perſonæ muneriſque forent, non aliunde ſibi, quàm è Seminario Mediolanenſi eſſe petenda conſtituit, gnarus alicubi pingendi, cælandique, texendi alicubi, alicubi etiam fundendi æris artes tradi; in eo loco diuinitus inſtituto dari rationes certas & præcepta, artem denique vniuerſam tradi boni Sacerdotis: vniones, coralla, & gemmas ſcalpi alicubi & expoliri; inibi iuuentutem aſſidua doctorum ac moderatorum ſedulitate, atque præſertim D. CAROLI auſpicijs, ſic dicam, denuò recoqui, & in idoneos Euangelij præcones, atque in gentem ſanctam ac aris dignam effingi. At

Ambroſium ſi quis ineptè amans, ac ineptè ſollicitus, ab eo conſilio abſterrere voluiſſet illis verbis; Metuo ne diſciplinam tam ſeueram non ferre poſſis; ipſe continuò ſic, Eia, tu plus metuas, quàm ego cuia res eſt? Atquì obſeruandus multorum nutus. quid leuius dicebas, ei poteſt eſſe, qui ſit obtemperare paratus? Atquì accipiendæ plagæ ſunt ac muſſitandæ. ego verò non ſinam operam meam accuſari, plagæque num vni mihi? An non multo ante Spartani pueri victo gemitu acceperunt & concoxerunt? At breue ſpatium ſomni. Num breuius atque contractius, quàm fabro, qui nocte intempeſta proſilit ad opus faciendum? At perferundi labores. Num ſcilicet imponendum Pelion Oſſæ? At cubile non ſtratum molliter. Num durius cubandum, quàm militi, qui in armis, atque ſæpe ſub dio noctes exigit? At cibaria parcè, maligneque præbentur. Si panis & aqua mihi ſuppetant, num ſolum Epicurum exiſtimas de felicitate cum Ioue contendere paratiſſimum eſſe? O præclara ineuntis ætatis auſpicia! ò melleum, aureumque adoleſcentulum! ò præclaram orationem, neque iſta duntaxat teneritate ætatis, ſed Socrate, Ageſilao, & Neſtoris hernia digniſſimam! Num tanto à Turriano dato ingenij animique ſui ſpecimine conſulendus præterea vates fuit, aut haruſpex, qualis eſſet vir futurus? Et quamquam alicubi fortaſsis indocto muta hactenus Turriani felicitas videri poteſt, minimè tamen dubito, quin vos, quo eſtis iudicio, tantam parentis in puero ſic dicam fingendo lambendoque ſedulitatem, ac indolem adoleſcentuli talem, in vitæ rationibus inſtituendis tam præclarè ſentientis, in eius rebus feliciſsimis enumeretis. Ego enim rebus deinceps contentus, tædij vitandi cauſa, plerunque abſtinebo nominibus, eiuſque in quaque re, quæ à me dicetur, felicitatem tacitis veſtris iudicijs æſtimandam relinquam. Ac de Seminario quidem tandiu, atque tam acriter pertendit, vt puſionem ſuauiſsimum audiendum eſſe cenſuerint: traditusque mihi mihi in diſciplinam fuit, quem meis præceptis

ad

ad eloquentiam informarem. Eius verò de obſequio, induſtria, pudore, vigilantia quid ego dicam? niſi cum decem ſibi Neſtoras Agamemnon Homericus, cum tot ſibi Zopyros, quot eſſent acini mali punici, Rex Perſarum Darius, ſibi exoptauerint, me mihi, ſi quos, quantumque vellem, facta fuiſſet eligendi poteſtas, Turrianos optaturum quingentos fuiſſe, qui me docentem audirent. Neque ſanè periculum fuiſſet, ne tam bellicoſa è familia centuriati tam multi conturbarent ſtatum Ciuitatis, deiectique inibi de omni honore, vbi magno vſi imperio fuiſſent, veterem iniuriam armis vltum irent: ſed ex viris huiuſmodi, qui vtramque fortunam pari magnitudine animi ferrent, ac obliti antiquarum diſcordiarum, omniumque militarium offenſionum, ſtudia multo mitiora ſequerentur, illud potius ſperauiſſem, reſtitutum iri Italiæ veterem gloriam eloquentiæ, ac nos propediem viſuros Mediolani fuiſſe Athenas recidiuas. De more illo Laconum antiquiſsimorum, qui ad patientiam agonici certaminis filios ſuos plagis præduràbant, ac tandiu ad aram Dianæ Orthoſiæ cædebant flagellis, donec multus in aram deæ ſanguis deflueret, credo neminem veſtrum non ſæpius inaudiſſe. Illud ex eadem ſeuera diſciplina minus eſt peruulgatum, & minus multis rerum ſcriptoribus memoratum, quod dum illa peragebatur laniena, fœmina quæ ſacris præerat, ſimulacrum eius deæ præferebat. Erat illud ſanè exiguum & leuiſsimum, quod infantulus quiſque bimulus facilè geſtauiſſet; tamen ſi ſeſe cædentes ephebi ſibi parcerent, ac remiſsius verberarent, adeò graue è veſtigio fiebat, vt id Sacerdos ſuſtinere non poſſet. Quàm hæc vera ſint, de me, V. Clariſſimi, facio coniecturam. Meum illud eloquentiæ tradendæ munus quoties in tardos, in ceſſatores, atque in hebetes incidiſſem, è quibus velut è ficulnis ſtipitibus Mercurij numen exſculpere contenderem, cum aptius ex eo ligno poſſet Priapus effingi, mihi ſupra omnes Atlantis, Herculiſque labores graue ad perferendum fuit, multoque ad Siculas Latomias, quàm in

Tertull. ad Martyr. c. 4. Lutatius ad Thebaid. 8.

Pauſan. in Laconicis.

Io. Meurſius Græcia feriata.

ludum concedere maluiſſem. Sin alacres, experrectos, vigilantes, ac ingenioſos fuiſſem nactus, qui nulla ſua progreſsione ſatis eſſent contenti, ac velut feracia beneque culta noualia votis auidiſsimi coloni cumulatè reſponderent, tum verò mihi ſemper labor ille multo iucundiſsimus eſt viſus, & ne labor quidem, ſed ſumma & ſuauiſsima voluptas. Quàm me putatis iucundè in memoriam eius temporis redire, cum hærens lateri meo Ambroſius Turrianus nihil reliqui faciebat ad ſummam diligentiam, & cum non ſolùm auribus, ſed etiam oculis inconniuentibus excipiebat, quæ tradebantur à me? Quandiu apud rhetorem fuit, tandiu cum Agar ancilla conſueuiſſe poteſt videri; (vtor enim libenter doctiſsimi Clementis Alexandrini ſalibus.) Rhetorices forma, venuſtaſque illexerat mirum in modum, deuinxeratque ſibi animum adoleſcentis. At cùm biennium eius indulſiſſet amori, atque Turrianum ſuæ rationes aliò ad ſacras literas vocarent, audijt vocem diuinam, *Ne multum ſis apud alienam*, tranſtulitque ſeſe ſic ad ſapientiam, tanquam ad Saram; quæ multo vſa mitius herili imperio, quàm olim illa feciſſet Abrahæ coniux, æmulam Agar, hoc eſt, eloquentiam, domo non exegit, non præcipitem prouoluit, tantùm ait, Non habeat herum, ſed ſeruiat: non imperet, ſed ancilletur. Sic enim ſe Turrianus colendis dedidit Muſis ſeuerioribus, vt multum de vetere animo amatorio retineret, atque ad eloquentiam tanquam ad dicaculam amatricem, comptulam, feſtiuamque, Muſis illis non inuitis, reuiſendam identidem excurreret; ac alteras ita vxorio loco haberet, primoque in pretio, vt altera pro pigmentaria, pro pſaltria, pro ſale ad condiendam vitam atque oblectandam vteretur. Nam quæ ratio foret Turrianum ſic totum ad philoſophos atque theologos migrare, vt nunquam reſpiceret vernantes eloquentiæ genas; ac vt illam, quæ tantum ſplendorem, pondus, ac dignitatem rebus verbiſque addere poſſet, comitem aſpernaretur? Diui meliora quàm vt tantum deſiperet adoleſcens elegan-
tiſsimi

tiſsimi iudicij, vt Virgiliani paſtoris exemplo, quem ſuorum leuitatem amorum, ſuamque fluxam fidem fateri carmine non puduit: *Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit*, ſuperiores amores faſtidiret. Eclog. 1. Quin ita ſe in penitiſsimas illas rerum obſcuriſsimarum peruestigationes, atque ita in illa velut adyta abdebat, vt ſuas tribueret poetis, & libellis elegantioribus horas ſubciſiuas; atque vt quoties luberet exporrigere frontem & animum exhilarare, nuſquam longius ſuo ab Helicone abiret, ad Muſas ſcilicet à Muſis diuerteret. Dic enim, amabo te, Turriane ſuauiſsime, quas tibi remiſsiones proſpexiſti, cum maximè otiari, feriarique voluiſti? Quas remiſsiones, Diui boni! qui cùm aſſentireris viro grauiſsimo Muſonio philoſopho dicenti, *remittere animum quaſi amittere eſſe*, nunquam tibi faciendum cenſuiſti, vt velut diſcinctus euagareris, literulaſque penitus omitteres. Apud Aulum Gellium lib. 18. c. 2. Ego verò ita exiſtimo, te ſimiliter feciſſe, atque ſolet quiſque miles fortis, qui ad hyberna cum ſeceſsit, quieſque eſt ab armis, minimè tamen arma ponit, ſed ea puluerulenta, cuſtodijs horrida, vſuue hebetia exacuit, expolit, ac inungit: ſimiliter atque piſcator, qui labore perfunctus ſuo laborem alium quieti ſimillimum eligit, vt nauim ſubducat, rudentes in ſpiram conuoluat, ſarciat retia, ſentinamque exhauriat: ſimiliter atque colonus, quem dum intendentes ſe tenebræ reuocant ab opere, opere ſe alio exercet leuiore, vt boues fricet, acus ſubſternat, & ſi quid in ſtiua, ſi quid in plauſtro vitij factum eſt, emendet: ſimiliter denique atque lautus conuiuator, qui menſa prima ſublata inferri bellaria iubet, & ſcitamenta, quæ ſaturi quoque conuiuæ poſſint arrodere. Nam quod ex viris duobus doctiſsimis alter ſuum librum Noctes Atticas inſcripſerit, ſuum alter Dies Geniales, quid ego de te dicam, Turriane, niſi noctes tuas & atticas ſemper fuiſſe & eaſdem ſic dicam genialiſsimas? Aulus Gellius. Alex. ab Alex. genialeſque dies tuos, eoſdem ſemper & atticiſsimos extitiſſe? An tu ſcilicet eam vnam rationem oblectandæ vitæ, genioque indul-

gendi eſſe cenſuiſti, ſi rideres motiones, ſi aleam luderes damnoſam, ſi cum congerronibus & combibonibus ſpatiareris, aut ſi furtiuis puellarum amoribus indulgeres? Apage has fæces, hæc vitæ, vt ita dicam, dehoneſtamenta, hæc ſcelera inexpiabilia, quæ fibulam viro forti conſtantique nunquam laxauerunt. Sed ades iam, Herille philoſophe, qui ſcientiam ſummum bonum eſſe defendiſti: de Turriano quid cenſeas, quem videas habere tantum elegantium literarum, rerum naturalium comprehenſionem tam multiplicem, atque iuris diuini humanique tantam notitiam? Nos tamen iſta, quæ ſuopte genere præclariſſima ſunt, eius felicitatis eſſe duntaxat vnam particulam, modicam acceſſionem, ac penè tantùm appendiculam quandam definimus. in alia re multo maxima maximam & potiſsimam partem felicitatis collocamus, in contemptu rerum humanarum, in incorrupto de quaque re iudicio, in aptiſsima & bene conformata vitæ ratione, in ſententiæ conſtantia, in regula plus quàm Lesbia vitæ, in iuſto pioque bello vitijs omnibus indicto, & in quodam plurimarum virtutum concentu ſuauiſſimo. His rebus nos beatum felicemque eſſe Turrianum pronuntiamus. Cuius probitatem & virtutem cum laudamus, illud caueto te cogitetis, laudari à nobis genus illud quoddam ficti officij, ſimulatæque religionis, totum poſitum in callida quadam oſtentatione, cum vocem, ſupercilium, motumque totius corporis ita quis componit ac aptat, vt candor animi, qui maximè vnus abeſt, pulchrè aſſimuletur. quod hominum genus ſi quis vno verbo graphicè velit depingere, vix poſsit melius, quàm ſi dicat illud eſſe eiuſmodi, vt flere ad nouercæ tumulum poſsit. Cui ſi perſonam illam, temporis cauſa ſumptam, detrahatis, mirum eſt quæ fœditas ac turpitudo morum, qui liuor, quæ libido, quæ ſuperbia, & quàm infinitæ cupiditates ſeſe ſpectandas exhibeant. Quiduis à me capite, Ciues ornatiſsimi, ac illas aliquorum ſcenas diſcutite, & quę inibi poſt aulæa & ſiparia latent, proferte atque protrahite,

Cic. 5. de Fin.

vt aliquibus, quibus plebecula viuis penè thus, aras, templaque ac radios decerneret, ſuus à me honos habeatur. Turrianus virtutem ſolitus eſt re ipſa exhibere, non adumbrare, neque vana tantùm imagine aſsimulare; hoſce fingendi artifices tam callidos *cane peius & angue* odit, vt illa Achillis Homerici verba iure poſsit vſurpare: *Is mihi iuxta inuiſus, ac atri limina Ditis, qui verbis aliud prodit, quàm mente volutat*. Iliad. 1. Reliqua me adhuc in admirationem tui traxere, Turriane, hoc traxit & in amorem, quod te iam pridem multis documentis comperi, ſine omni fuco & fallacia eſſe, qui potius falli poſsis, (quamquam ob eximiam prudentiam ne hoc quidem) quàm fallere. quod eſt eo amabilius, quo rarius in homine, qui diu peregrinatus ſit à patria ſua, multas vrbes perreptauerit, conſueuerit contraxeritque diu multumque cum aulicis; qui ſi diſparem animo habitum oris præſeferre, & ſimulationem aptè poſſunt verbis, vultuque ſuſtinere, tum demum ſe & foro aptè vti, & rationum ſuarum inſtituendarum in rectam viam ingreſſos fuiſſe, perſuaſiſsimum habent. Valeant, dignaque ſuis moribus præmia ferant homines id genus. ſed magis occupatus eſt lætitia meus animus, quàm vt poſsit hodie cuiquam ſuccenſere. Quem non ſibi arctiſſimè commoditate & ſynceritate ſuà Turrianus obſtringit? Mores iſti tui, ò Virorum præſtantiſſime, graues, ſeueri, compoſiti, humanitatis tamen & facilitatis condimento temperati vim ad hominum attrahendas retinendaſque voluntates habent mirificam, vix vt quiſquam vnus vni charior ſit, quàm tu vnus vniuerſis. Quemcunque tu tanta excipis tua comitate, non à te, ſed à bono Genio & à fortuna propitia ille ſe credit excipi: neque enim illum veſtibulo magis & vulnis, quàm animo videris excipere; lætiſſimumque dimittis, quemcumque tanta benignitate deducis. Ædes tuæ elegantiſſimæ, omnique nitentes cultu, neque vlla re magis, quàm domino ſuo tum ornatæ, tum pretioſæ, non antrum Polyphemi ſunt, ſed officina omnium officiorum, ſed

ege-

egenorum penuaria cella, ſed ara miſerorum. Niſi me omnia fallunt, nemo è Crœſis illis, qui tantum arant, *quantum non milnus oberret*: nemo ex Satrapis: nemo ex illis qui clauſis incubant theſauris, quos vulgi exiſtimatio perbeatos prædicat, & quos Iouis in gremio eſſe putat, eſt felicitate cum Ambroſio Turriano comparandus. Egone vt aut cenſeam fuiſſe felicem, aut etiam vt felicitate Turriano anteponam L. Cornelium Syllam hominem profligata audacia, perdita libidine, effera crudelitate, inexplebili cupiditate, ſuperbiaque intoleranda, quem tamen ſuffragatio popularis, & quædam vaniſſima blandiendi aſſentandique ratio FELICEM nominauit? Nam quod eadem leuitas multitudinis, cum idem L. Sylla conſulatum cum Q. Metello gereret, alterum appellauerit Felicem, Pium alterum, quis iudicium à vulgi iudicio ne, an temeritate requirat? aut certè ſi requirendum, quæ ratio fuit, cur cum hinc ſumma prudentia eſſet, illinc furor: hinc abſtinentia, illinc ſemper hians auaritia: hinc religio, illinc omnium legum contemptus, ita populus inſaniret, vt ex altera parte pietatem, ex altera illam expetitam votis omnibus beatitatem conſiſtere arbitraretur? Ergo ille poſſet eſſe felix, qui remp. armis occupauiſſet, ſuſtuliſſet libertatem, omnia concupiſceret, ſe quotidie per cubilia honeſtiſſimarum matronarum volutaret, ſibi ſuiſque quiduis in quemque permitteret, ſitiretque humanum cruorem? Aut ille minus felix poſſet eſſe, qui pietatem impensè coleret, qui leges conſeruatas eſſe vellet, qui latum vnguem à religione ſummi officij migrare non auderet, qui denique quàm perperam quicquam facere, mallet omnia perpeti? Me videte, Viri Clariſſimi, quanto probabilius diſputem, qui de ſingulari pietate Turriani, quæ ſit eius felicitas, faciam coniecturam. Nego enim eum, qui ſit tam religiosè probus, non magnam partem poſſidere felicitatis. Modeſtiam qui fortuna obſecundante retineat atque conſeruet, qui bonam mentem cum bonis literis coniungat, qui re affluente nihil permittat

Iuuen. ſat.

cupi-

cupiditatibus, qui floreat gratia, qui valeat athleticè, qui quantum poſſit, quotidie iuuandis, ſubleuandis, ornandiſque amicis comprobet, qui diem ſibi cum perijſſe doleat, quo neminem inſigni aliquo beneficio affecerit, illum ego, quouis inuito repugnanteque, feliciſſimum eſſe defendo. Hæc quibus tandem, ſecundum ſuperos, accepta referat Turrianus? Parentibus opinor, qui rudem adhuc puerilis animi teſtulam ſalutaribus opinionibus imbuerunt. A parentibus porrò vbi diſceſcimus, quem proximo loco nominemus, cui plurimum debeat Turrianus? Is enimuero Iulius Maſcarus eſt, auunculus eius, ornamentum ſeculi, domicilium virtutis, priſcæ maieſtatis abſolutiſſimum exemplar, columen Eccleſiæ Mediolanenſis; qui cum primum Io. Baptiſta candidati noſtri parens fato conceſſit, puerum omni ſtudio ac potius pietate complexus, nunquam eam cogitationem dimiſit, quemadmodum illum, optimum, prudentiſſimum, doctiſſimumque poſſet efficere. Vlyſſi Homerus Palladem applicuit, quæ præſto ſemper eſſet, coercitiſque perturbationibus animi eum Regem moneret, incitaret, reuocaret, & quid agi vellet, edoceret, ſcopuloſque atque ſibi comparatas inſidias, velut intento digito indicaret, ac denique aduerſus veneficia certis pharmacis præmuniret. Menandri verò græca muſa homini ſtatim nato præſtò Genium eſſe aliquem putauit auſpicandæ benè vitæ, recteque degendæ magiſtrum. Turriano quid opus Pallade fuit? quidue Genio illo poetico? Nemo neque magis ſapienter, neque magis amanter præcipere, ac officia vitæ edocere Turrianum potuit, quàm is qui cognatione auunculus eſſet, ac ætatem omnem gerendis rebus contriuiſſet: Virtutiſque diſciplinam meliorem reperire puer nullam potuit, quàm auunculi contemplationem imitationemque optimi viri & ſapientiſſimi. Neque ſanè Maſcarus ſi penicillo, coloribuſque ſui ſimillimum pingere voluiſſet, potuiſſet ſimiliorem exprimere. Vis eadem conſilij, dignitas eadem oris & totius corporis, eadem in rebus gerendis dexteritas,

Odyſſ.

Apud Plut de tranq. animi.

tas, fides eadem ac benignitas in amicitia, eadem prӕcauendi ſolertia, comitas verò, & ſi licet ita loqui, popularitas etiam maior; vt proceritatem corporis, vt ſonum vocis, vt illa quoque omittam, *ſic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat*. Dicam breuiſſimè: natura inſtitutioque in Ambroſio Turriano Iulij Maſcari ſimulacrum depinxit. Auunculi certè huius in funere, quo tantum detrimenti publicӕ quoque totius Eccleſiӕ noſtrӕ rationes ceperunt, hӕſiſſe paulisper, aut eſſe ad ſcopulum impacta fortuna felicitaſque Turriani poteſt videri. Non equidem inficior quiddam fuiſſe inӕſtimabile, quod in eo capite Turrianus amiſit. in eodem amiſit auſpicem bene viuendi, auctorem conſiliorum, prӕmonſtratorem, viuam ſpirantemque legem; omniumque virtutum domeſticum exemplar: amiſit qui cunctantem caſtigaret, qui prӕclarè agenti plauderet, qui producere ornareque non deſineret: denique amiſit quicquid quiſquam ex optimi & fideliſſimi amici ſtudio, ex diligentiſſimi auunculi beneuolentia, & ex amantiſsimi parentis pietate poſſet expectare. At enim permulta eum dolorem lenierunt, quod matura gloria ac ӕtate deceſsit, & quod multo ante proſpexit, ne ſibi quiſquam alius prӕter ſororis filium in amplum locum dignitatis poſſet ſuccedere. Minimè tamen hӕc ad illud pertinent, quod eſt in vetere prouerbio, *hæredis lacrymas ſub perſona riſum eſſe*. Anne ſcilicet aut Maſcarus ita meruit de Turriano, aut ingenio animoque Turrianus tam degenere fuit, vt ei propter ſtudium augendӕ rei mors cuiuſquam mortalis ac alieniſsimi iucunda potuerit eſſe, ne dicam, vt talem auunculum *expectatum foras eijceret*? Quin ſicundè facta Turriano poteſtas fuiſſet vt eligeret, vtrum mallet ex eius morte regnum nanciſci, an eo ſuperſtite, exili, tenuique vti fortuna, non dubitaſſet quibuſuis conditionibus eius vitam depaciſci. Veruntamen quando migrandi neceſsitas fuit ineluctabilis, nulla eſſe potuit tanta acceſsio dignitatis ac fortunarum, nec vllum potuit Ambroſio Turriano venire

Virg. Æneid. 3.

P. Syrus Mimus.

Terent. Adelph. I. 2.

tantum

tantum commodum, vt in auunculi funere lacrymas poſſet amariſsimas vberrimaſque cohibere: vultumque demortui, quem animo potius, quàm tabula, quamquam & hac quoque, expreſſum habet, ſic intuetur, vt deſiderio ſublatum proſequi non deſinat, vt eadem ſibi mortuum dicere credat, quæ olim conſueuit, ac denique vt ſibi eius veſtigijs, quandiu viuet, inſiſtendum arbitretur. Sed eodem redeo, vnde ſum profectus. Mors ea, quæ Turriano luctuoſiſsima fuit tum interitu ſummi optimique viri, tum diſtractione arctiſsimæ neceſsitudinis, ferax eadem fuit, & pene auſim dicere, felix, certè fructuoſa vtiliſque, quod Maſcarus ex hac vita decedens Turrianum in vacuam amplæ dignitatis poſſeſsionem admiſit. O te fortunatum, Ambroſi Turriane, cui ſic fortuna linit iacula ſua, vt feriant leuius: iacturamque talis auunculi, quam re nulla potuerit ſarcire, qua re potuit, ſarciuit. Nam illa ratio, quæ cuique ſemper viſa magnifica fuit, ita collocantium felicitatem in virtute, rebus vt alijs creſcere minuique non poſsit, mihi ſemper admirabilis, ne dicam ridicula, viſa eſt. De M. Catone, qui omnibus comitijs repulſam tulit, de M. Regulo, quem Pœni tortum necauerunt, de Socrate circumuento ab inuidis, de Ariſtide pulſo in exilium, perſuadeant cuiuis eos magnos viros, magnos heroas fuiſſe, mihi certè eos fuiſſe felices nunquam perſuadebunt. Miſera felicitas, quæ doloribus moleſtijſque diuturnioribus conflictetur, quæ ſemper naufraga fluctuet, cui *neque ſeruus ſit*, *neque arca*, quæ eſuriat, & vix ſecundario pane poſsit latrantem ſtomachum placare, quæ per brumam rigeat frigore, & centone viliſsimo ſe contegat, cuius perpluat tectum, cuius nulla dignitas ſit, nullus comitatus, nullæ copiæ, nulla ſupellex. An etiam cum iſtis tantis opibus veſter ſapiens, ò Stoici, florens & pulcher erit, Rex, ac ſolus diues? An non habeat, ſibi cur oculi doleant, Cynicus Diogenes, Ambroſium Turrianum ſi videat, cuius felicitas tot virtutum præſidio ita munita eſt, ac tanto earundem comitatu ita circumſepta, **Catull.**

cumſepta,

cunſepta, vt etiam reditus iuuidendos capiat de fundis, habeat ſtragulam veſtem, habeat tantum argenteæ ſupellectilis, obſonetur, conuiueturque tam lautè, ſi quando velit amicos accipere, habeat tot ſeruulos, tot tabulas pictas ſuſpendat ſummorum artificum, rhedaque vectetur, eidem incedenti decedant de via, venienti aſſurgant, occurrant intranti, abeuntem deducant, amœnitatum ſit affatim ad delectationem, ſupellectilis ad delicias, epularum ad voluptates, non deſint horti villæque, tellus ac mare ſubminiſtrent alimenta, natura penè tota ancilletur, denique faueant, & ſuffragentur vniuerſa? Eſſe quaſdam in Gaditano freto Inſulas beatorum, in quibus degant incolæ æuum feliciſſimum, tum Plato, tum Græci Latinique poetæ pene omnes memorant. An inibi tibi ſit concupitum regnum, ò Turriane? an tuam cum quoquam mortali velis commutatam fortunam? Nam quod in eis fortunatis inſulis ſponte fruges proueniant, excoquantur, veniantque ad corbem, & iniuſſæ capellæ ad mulctrum accurrant, vernent roſæ, & vere perpetuo rideant omnia, fluminaque lactea defluant, nec vllum incommodum percellat humanam vitam, præclara hæc ſunt, ſed ſunt duntaxat in fabulis otioſis poetarum. Tua ſolida eſt, non ventoſa, non inanis & ludicra, non commentitia felicitas. Te quid beatius in terris eſſe poteſt? qui gementibus pene vniuerſis vnus habes nihil, quod doleas: quem omnibus calamitoſis, inopibus, & ſuas quibuſque deflentibus clades, nullæ premunt ærumnæ: qui tantas inter offenſiones bellorum, inter tam crebras excurſiones hoſtium in agrum noſtrum, ac in tam diuturnis militum hybernis habes vnde vitam exhilares: cui adeò fortuna, homines, ac ſuperi ſemper indulſerunt; cui denique adeò ſuppetunt ac ſuperſunt omnia, quæcunque quiliber auidiſſimus concupiſcere poſſit. Feſſus, anhelusque ad hanc partem extremam acceſſi. Cepi equidem hactenus ex contemplatione tuæ felicitatis fructum iucundiſſimum voluptatis: neque tot rerum velut in ſcena, quid-

In Gorgia Homerus Odyſſ. 4. Virg. 6.

quam

quam ſum æquè miratus, ac animum tuum tam bellè, tam modeſtè tua fortuna vtentis. Diui tibi cum alia ſua munera diutiſſimè conſeruent, tum præcipuè moderationem iſtam animi, quæ quandiu conſtabit tibi, tranquillitas (Euthymiam Græci dicunt) deeſſe non poterit ea, quæ aliquibus ſola, aliquibus præcipua, mihi duntaxat magna pars felicitatis, & eius fructus ſuauiſſimus ſemper eſt viſus. Rebus videor viciſſe veriſſimis, te neminem habere, cui felicitate concedas. neque tamen, vt ſolent, qui alicuius formam aut fortunas laudant, eſſe mihi optandum exiſtimo, me ſurda Nemeſi locutum fuiſſe. Cum enim arrogantiæ & inſolentiæ vindex ea dea ſit, fortunæque commutationem eis minitetur, qui rebus ad votum fluentibus ſe impetu quodam cæco tranſuerſos auferri patiuntur, Turrianus tam modeſtus, tam conſtans, tam verecundus, quid Nemeſin metuat, non video. Quandiu agnoſcet vnde ſibi hæc tanta bona velut in gremium depluerint, habebitque illa pro inſtrumento virtutis, non pro libidinis, vt ita loquar, incentiuo: atque ita ſibi rationem conſtare exiſtimabit, ſi quamplurimos ea ſubleuabunt, ſi præſto erunt amicis, ſi pios in vſus erogabuntur, tandiu ſuam trabali clauo rotam configet. quod quia proprium ei, perpetuumque eſſe futurum confido, (quid enim tanto iam vſu rerum, ac tanto honorum decurſu Turrianum nobis immutet?) nihil dubito curſum ei felicitatis nuſquam interruptum ad ſupremum vſque tempus deſpondere. Dixi.

In

In Laurea

VITALIANI OLDRADI
In Baſilica Metropolitana
Canonici Ordinarij
ac Theologi

PANEGYRICVS.

QVàm mallem calculo & ſuffragio deferre lauream tibi, Medulla Charitum, quàm ſedere deſes: & velut ad ludos atque ad ſpectacula vocatus, compreſſis manibus intereſſe! An ego penè ſolus ſine iure tabellæ conticeſcam: & expers communis officij, quam priuato ſemper adhuc ſtudio promoui cauſam tuæ dignitatis, eam nunc publicè deſerere poſſim? Sed enim vt ſuffragandi poteſtas erepta ſit mihi, loquendi certè, garriendique non eſt impedita libertas: faciamque modò quod apoplexia correpti ſolent, qui cæteris ſtupentibus membris, & ad functiones ſuas ineptis, lingua tantùm vtuntur. Cætera mihi eripi ferrem iniquiſſimè, niſi ad hoc munus ſepoſitus conferre poſſem aliquid, quo tibi in tanto amicorum tuorum ſtudio meam ipſe quoque voluntatem probarem. Quamquam præter ſpectata meritâ adoleſcentis eximij, hic ipſe ſplendor honeſtiſſimi conſeſſus, inſolentia huius atrij, & præcipua clariſſimi Agonotetæ, ſeu Laureatoris dignitas meum pectus pertentant: dicereque inſtituentem clamore quodam atque penè conuicio adoriri videntur,& cum iurgio percontari, Quid tanti promere ac afferre de mea officina poſſim, quod loco tam celebri non ſordeat, atque tam emunctæ nares non aſpernentur? Huc illa res accedit, quod alijs

alijs quoque ſpectris & imaginibus, ſibi quas mea mens trepida fingit, conturbor atque commoueor; quod non eos tantùm arbitror intereſſe, quos longo diſpoſitos ordine intueor, neque huius tantùm ætatis & ſeculi: ſed multo plures, & eos quidem variorum temporum viros clariſſimos aſſidere nunc exiſtimo, ac mihi circumfundi; quibus cum difficile putem eſſe, pro ſuo in te, Vitaliane, amore de te ſatisfieri, difficilius eſſe reor, pro ſua ipſorum vetere gloria dicendi, non eſſe faſtidio rudem hunc veſtrum, & ineptiſſimum oratorem, qui abſurdà ſiniſtraque iactantia poſſit videri, cum vnus maximè tacere debuerit, ſibi potiſſimum dicendi partes ſuſcepiſſe. At enim ſi quæritis, quas ego laruas & ſpectra memorem, & quos viros demortuos excitem ab inferis, qui me tantùm conſternent; Me verò non abſterreat auditor Venerius Oldradus, non ex eadem familia Virinus, Atho, Alphonſus, vnuſque ac alter Petrus, non Ioannes, non duo Purpurati Guidus & Vitalis, denique non omnes illi Heroes, quos vna domus velut equus Troianus varijs temporibus effudit? Meus hercle plus ſatis æſtuat animus ac trepidat, dum præter notos vultus horum ciuium, qui nunc augent hìc numerum ac interſunt, laruas quoque ac vmbras videre ſeſe autumat cum ſacris infulis ac thiaris, cum ſignis militaribus, & cum honeſtarum legationum inſignibus; ac eas rerum, quas ſum dicturus, teſtes eſſe futuras arbitratur. Hæc dum cogito, vix mihi vox, vix conſilium conſiſtere poteſt. Sed ſeſe colligat animus & confirmet, lætuſque maiore, quàm putaſſet, frequentia, poſteros etiam, ſi licet, ad concionem hanc vocet; vt ex laudatione Vitaliani Oldradi ſibi, quales ipſi debeant eſſe ciues, preſcribi cognoſcant. Neque ſinè cauſa multorum mihi venit in mentem, qui nunc ſunt manes & vmbræ. Magnus enim ſplendor eſt huiuſce generis, antiquitas peruetuſta, & fama celebris per gentes, ac virtutis magis & gloriæ, quàm inuidioſarum opum tradita veluti per manus hæreditas. Fuit ea conſuetudo antiquorum, vt ſicubi funebris pompa

 inſtrue-

Digitized by Google

inſtrueretur, pictas tabulas proferrent eius familiæ, ac oſtenderent vultus maiorum cum luculento rerum geſtarum elogio ac teſtimonio, eiuſque generis penè à Pico & Aeaco ſtirpem repeterent. Diui melius, quàm vt nos hodie funus exornemus, cuius etiam nomen & mentionem vt ominoſam & inauſpicatam execramur. Triumphum inſtruimus & veluti natalem diem agimus adoleſcentis, qui nobili & honeſto loco natus, eo mihi magis laudandus videtur, quod nihil magis contempſerit, quàm eam nobilitatem, quæ vniuerſa in fide annalium, atque in monumentis literarum poſita, tota pertinet ad antiquos. Sunt, qui totum hunc locum, vt leuem, præteriri putent oportere; qui ita diſputant, nihil eorum, quæ ſunt poſita in fortunæ temeritate, eſſe eiuſmodi, vt eo erubeſcere aut gloriari debeamus. Hi multò magis Auguſtum irridebunt, ſtudioſè antiqua omnia conquirentem; & inſaniſſe dicent eos, qui tam impenſo pretio lucernam Epicteti pararerunt. Nolo diuinum hoc munus temerè vniuerſum contemnant, atque ſermonibus traducant: atque adeò nefas eſſe puto, ab hominibus nouis, qui heri fortaſſe, aut certè non ita dudum ab agro ſuburbano in vrbem irrepſerunt, nobilitatem non honoris cauſa nominari; eam ſcilicet, quam fortia facta maiorum, quam præclara in remp. merita, quam virtus & exercitatio peperit, non inertia, neque deſidia, & quam charitate patriæ, & militari aut forenſi induſtria filij quotidie pergunt augere. Natum quem ais loco nobili? nondum iuſtus, nondum fortis eſt, aut pius. Ita ſanè, quod enim ei tribuis, eſt totum alienum. Veruntamen huic ſplendori generis, quem tam ſuperbè deſpicis, ego multo plus tribuo, quàm aſtris natalitijs, quorum quo ſitu & aſpectu quiſque gignamur, tanti putant intereſſe. Siue enim quodam naturæ conſenſu & conuenientia, quam nos ſimilitudinem, Græci ſympathiam appellant: ſiue recordatione eorum, quæ rectè, fortiterue fecerunt maiores: ſeu recta educatione, aut alia re demum quacunque, eum certè, qui nobili genere

Sueton. in Auguſto.

ſit

ſit ortus, nos aptiorem eſſe videmus & propenſiorem ad omnem honeſtatem, quàm illum, qui patre figulo, aut lanio ſit genitus. Memoria tot rerum relicta in mentibus poſterorum, tot exempla virorum eximiorum non vocant, ſed impellunt ad ſimilitudinem ſtudiorum; non monent, ſed ſtimulant; non hortantur, ſed rapiunt. Nutrix ipſa medius fidius, atque ipſæ tabulæ pictæ dignitatem loquuntur, & puerorum oculis ſpolia, faſces, diplomata, & infulas ingerunt: docentque per quæ ſtudia ſit parta & quæſita gloria tam ingens, per ea ipſam in poſteros propagari oportere. Non equidem fero nobilem deſidem, nolo illum, vt Lactantius inquit, *remouere ſe à veris actibus* ac retroferri; eos infeſtiſſimè odi, qui extincta varijs corruptelis indole, hominis & opum, quàm animi atque ſententiæ hæreditatem adire maluerunt. Sed illud contendo; qua quiſque in domo, & quibus parentibus ſortitò naſcatur, id multum valere ad futuræ vitæ coniecturam; propterea quod haurimus nos pleraque à noſtris, libentiſſimè fingimur componimurque ad exemplum domeſticum, & quæ domi ſunt cognita & viſa, tanquam continuò ſint probata, ſtudemus imitari. Tibi, Vitaliane, contigit, generique tuo nobilitas, quæ velut longo tractu multorum ſeculorum ad hanc diem pura peruenit, nota Italicis, Latiniſque literis, celebrata ſcriptorum monimentis, memorata tam ſæpe in huius vrbis annalibus, atque in hanc Ciuitatē, in hanc Eccleſiam, ac in vniuerſum nomen Catholicum præſtantibus meritis parta & comparata. Nequaquam tamen ſatis in ea, cur alijs præferreris, cauſæ eſſe exiſtimaſti, niſi rectius ingenium tuum eſſet, arteſque meliores, quàm vulgi ſolent eſſe, atque niſi accederet magnitudo animi atque conſilij, maximaque cura adhiberetur in eo, ne in tanto ſplendore atque lumine quidquam minus honeſtum appareret. Veruntamen maiores tuos, ſi potes, computa; quos tibi non eſt honeſtius habuiſſe, quàm vita moribuſque expreſſiſſe. Laborem ſi lubeat inanem ſuſcipere, quid tibi procliuius eſſe poteſt, quàm repetere penè memoria

De falſa Sap. 3.16

ab vltima annalium noſtrorum originem tuam? atque propè ab incunabulis huius Eccleſiæ teſtes excitare antiquitatis tui generis: ac noſtrum vnumquemque docere, quàm ſæpe Heroes gentiles tui, & quàm magnis ſubſidijs labentem ac propè cadentem tum temp. tum religionem fulſerint? Qui mehercule, quò gratia, & quò gloria ſuorum meritorum excellentium perduraret perennaretque poſterorum in mentibus nihil Phidia ſtatuario, nihil Polycleto, aut Myrone opus habuerunt; cum ipſi ſibi ſtatuam, vt
De doct. Princip. Plutarchus inquit, præſtantes in rep. ciues factis ſuis immortalibus, viſu iucundiſſimam atque magnificentiſſimam conſtituant. Sed enim cum eſt præclarum, poſſe quemquam de multis è ſua gente ciuibus, rerum geſtarum magnitudine inclytis probare: tum eſt multo præclarius heroas poſſe, qui res geſſerint immortales, percenſere: at eſſe præclariſſimum peneque diuinum nemo negabit, poſſe è ſuo genere, quòd tu Oldrade potes è tuo, radiatas aliquorum imagines proferre, *quos aurea ſtellantis regia cali accepit, & numerum Diuorum altaribus augent*. Neque ſanè de vno quopiam duntaxat, ſed de pluſculis, id quod aio, potes docere, quos merita immortalia ſuſtulerint in cælum; te vt veriſſima illa gratulatione, cuius verba nobis Propheta præit, poſſimus proſequi: *Beatus qui ſemen habet in Sion, & domeſticos in Hieruſalem*. Venerius, illud non viri, ſed virtutis & ſanctimoniæ nomen, qualis & quantus fuit? qui alumnus diſciplinæ ſanctiſſimi noſtri parentis Ambroſij, eiuſque monitis exemplisque conformatus, illius velut è palæſtra & contubernio ſic ad ſuam atque ad aliorum ſalutem inſtructus prodijt, vix vt vllum Eccleſia Dei, cum ab Ambroſio formatore morum ac magiſtro diſceſſimus, eo tempore maius lumen haberet, cum etiam meritorum incomparabilium admiratione ſit honores cæleſtes conſecutus. Ille verò rebus gerendis natus, & maiore quadam magnitudine animi præditus, quàm vt diutius ſcalmum priuatus regere deberet in ſtagno, D. Simpliciano

pliciano in Pontificiam hanc quandam vigiliam ſucceſſit. Cui cum Eccleſiæ adminiſtrationem, tanquam in decurſu lampadem, traderet ſenex ille diuinus, quid ſcilicet illud vnum à iuuene, à benè valente, atque quod caput eſt ab educato in domo omnium virtutum magiſtra ſtipularetur, nullo vt loco deeſſet Eccleſiæ? Quamquam dignus Venerius fuit, qui tempeſtate multo commodiore vteretur, niſi nutu diuino videri poſſet ad ea tempora reſeruatus, quæ ſummi & experientiſſimi gubernatoris indigerent. Ad caſus innumeros ſubitorum periculorum obiectus, & tanquam in medios fluctus turbulentiſſimi temporis iactus Venerij Pontificatus fuit, cum non homines, ſed furiæ, ſed portenta, magno poſt mortuum Origenem interuallo inſana eius dogmata ſpargerent, cum etiam Gothi populantes omnia, ſacris profaniſque perniciem & vaſtitatem afferre molirentur. Quàm ſteterit impauidus, quàm fortiter pro domo Dei, & pro Eccleſiæ vallo pugnauerit Venerius, & quanta ſuæ conſtantiæ admiratione barbaros obſtupefecerit, quum vnus inermis ſeſe armatis eorum cuneis & phalangibus oppoſuit, quum confertos, quum rerum dominos, quum omnia minitantes exturbauit è templis, quum virgines ingenuas ab eis ipſis abſtractas in ſeruitutem, & mox corporum omnia ludibria perpeſſuras, impuriſſimorum tenebrionum è complexu euulſit, hæc & ſimillima, digna huius luce theatri quid ego commemorem, cum ea in faſtis huius Eccleſiæ vberrimè denarrentur? Anne verò diutius tu careas hac ſcena, Petre Oldrade, alterum & nitidiſsimum gentis tuæ ſydus? qui cum præcipiti ruentique huic vrbi, velut Deus è machina, ſalutarem aliquando dexteram porrexeris, & cum religionem iactatam, perditam, ac propè comploratam, tuis conſilijs, eloquentia tua, ac auctoritate ad ſalutem, ac velut ad vitæ longioris vſuram reuocaueris, patriam demiror ingratam, quæ tibi ſtatuam lingua inaurata non decreuerit, qualem apud Delphos Gorgiæ Leontino poſuit antiquitas. Deſiderij Longobardorum Regis ſæuum & impotentem dominatum, triſti- Dio. Chryſ. orat. 37.

bus ac truculentis plenum exemplis enarrare ſi lubeiret, perlonga creſceret hiſtoria. Nolo eam, vt eſt in vetere prouerbio, Camarinam mouere, ne triſtiſsimi temporis commemoratione plus etiam, quàm facimus, affligemur. Non dicam, quemadmodum fax ea feralis bellum per vniuerſam Italiam circumferret: non quemadmodum in omnem ætatem & ſexum, in ſata ac ædificia, & in aras ac templa ſæuiret, quàm omnes ſuperos hominéſque ludibrio haberet, quàm denique ſuperbè ſupplicum velamenta, ſacrarum dirarum denuntiationem, atque adeò ipſa Tarpeia fulmina irrideret. Nulla cum ſpecies abeſſet mali, cœpere denique Itali externa circumſpicere auxilia, legatuſque in Galliam Petrus Oldradus fuit, non magis Hadriani Pontificis Romani, quàm ipſius religionis, & cauſæ communis Orator, qui Regum optimum, optimumque Cæſarum Carolum Magnum permoueret, vt caſum miſeratus Italiæ dignam pietate ſua, & ſuorum armorum tum felicitate, tum ſanctitate expeditionem ſuſciperet, belluamque teterrimam ſi minus auctoritate ad æquas conditiones, iuraque imperij moderata flectere poſſet, certè armorum terrore, bellique denuntiatione reputare cogeret Martis incertos euentus, & contumacem abnuereque perſeuerantem acie denique collata edomaret. Dicam rem tantam quàm potero breuiſsimè. Non potuit res vlla ſapientius inſtitui, non dexterius administrari, non tranſigi felicius. Dixit tam commodè Petrus Oldradus, ac tam vehementer, vt tota cum imperij mole Carolus M. ad euertendum Deſiderium continuò ſeſe comparauerit. Cuius expeditionis quem fugit eum euentum fuiſſe, vt Longobardos vetere iam regni poſſeſsione deiecerit, gentem deleuerit fermè vniuerſam, ac ipſum Deſiderium captiuum abduxerit? Dicite, amabo vos, Viri Clariſsimi, quæ tandem cauſa fuerit, cur Vlyſsi Homerica Muſa verba volucria tribuerit? quæue cur Gallia Herculis ſui linguæ dederit catenulas? Tibi, Petre, ſi rectè velimus ratiocinari, tibi, inquam, & linguæ

tuæ,

tuæ, quæ Caroli M. ſicam exacuit, ac eidem arma induit, ſuam Italia ſalutem referre debet acceptam. Tu culturam agris, tu vicis vrbibuſque frequentiam, tu ſacra templis, tu denique Italiæ Italiam reſtituiſti. Te auctore, tuiſque conſilijs rem tantam ſuſceptam atque peractam fuiſſe, præterquam ſcriptorum auctoritate, fide quoque numiſmatum poſſum docere. Cum enim Carolus M. omnibus gentibus, omniumque poſterorum memoriæ eſſe vellet teſtatiſsimum, quis ſibi ea induiſſet arma, & quis cunctantem ad illud ſummum virtutis opus perpuliſſet, numiſmata fundi iuſsit eiuſmodi, quorum in aduerſa facie ipſe ſtaret Carolus M., in auerſa eſſet Petri effigies cum ijs verbis PETRVS OLDRADVS CAROLI MAGNI COMPATER, AVCTOR EXPEDITIONIS IN LONGOBARDOS. quid verbis opus eſt? hoc imperatoris optimi de Petro ſibi coniunctiſsimo teſtimonium viſi etiamnum Aquiſgranæ, in ipſius Imperatoris tumulo inciſum, tradunt viri grauiſsimi. Neque ſanè tam propenſa voluntas Caroli M. contenta verborum honore fuit, ſed quem AVCTOREM EXPEDITIONIS & COMPATREM nominauit, cuius etiam vultum eodem numiſmate expreſsit, quo ſuum, eiuſdem ditioni ac imperio totam hanc prouinciam Mediolanenſem addixit, vt qui antea ſacra, iam & profana moderaretur. At enim, quem Heroum ex tanto numero iam tertium ſpectandum exhibebo? Atho is eſt; non ille quidem mons Thracius, Lemno inſulæ adiacens, quem ineptiſsimo, immo nullo Xerxes conſilio ſibi perfodiendum conſtituit: ſed tamen arx quædam religionis orthodoxæ, magnum columen Eccleſiæ Ambroſianæ, Epiſcoporum abſolutiſsimum exemplar, natuſque vnus inſtar ſpongiæ, ad eam, quæ penitus iam inſederat atque inueterauerat in populi Mediolanenſis nomine, maculam eluendam. Erat iamdiu contumax hæc Metropolis, & refractaria Pontificibus Romanis, vnde ſacra iura peti, cuius nutum cuncta intueri, cuius etiam ſummo imperio ſubmitti faſces

Moriggi de nob. Mediol. l.6. c.11.

omnes, quò denique referri vniuerſa debere, veteres Religionis Orthodoxæ rationes docuerunt. Verbis quid opus eſt? Summæ & ſacroſanctæ poteſtatis ità omnis reuerentia exoleuerat, exceſſeratque ciuium ex animis, vt non contenti mordere frœnum, palam etiam detrectarent imperium: & cum ſæpe, vincente patientiam & cætera omnia remedia morbo, deuouerentur diris, vecordes furenteſque fulmina quoque haberent ludibrio. O miſeras fortunas ciuitatis! ò ciues cæcos ac temulentos! Vix Atho, Diuis, hominibuſque approbantibus, inauguratus fuit huius Eccleſiæ Archiepiſcopus, cum execratus morem tam impium & ſacrilegum ciues ſuos ſacroſanctam docuit habere ſummi imperij maieſtatem, flexitque Pontificis ad obſequia. Nempe quam rei gerendæ rationem excogitauit? Eam excogitauit, quæ ſemper vna ad perſuadendum efficax fuit, vt populo exempli ſui velut quandam facem luceret. Ergo in omni ſermone de Sacrorum Rege honorificentiſſimè loqui, eius pendere à nutu, omniaque deferre. Qui cum fortè literis amicorum, aut nuntijs didiciſſet, Sergium, qui tum in Petri nauigio ſedebat ad clauum, iter in Galliam adornare, continuò ſe Romam contulit, vt officij cauſa eo toto itinere ſectaretur Pontificem; nec ab eodem latum vnguem diſceſſit, certus etiam redeuntem, Romam vſque comitari, niſi mors intempeſtiua, eximiæ pietatis in opere iter Athoni, vitamque abrupiſſet. O dignum Archiepiſcopum, cui viuo mortuoque honoris inſignia, monimenta laudis, ac virtutis præmia perſoluerentur vniuerſa! At enim quid ago? Ipſe mihi dum indulgeo, & ex contemplatione admirationeque virorum incomparabilium iucunditate perfundor mirifica, auferri me vltra omnes metas cognoſco. Hoc vniuersè habetote: Oldradæ familiæ ſi quis velit heroas numerare, notari eum ſanè notis eiſdem cenſorijs oportere, quibus Plinius Hipparchum notauit, *auſum ſtellas annumerare poſteris, ac ſydera ad normam expangere*. Neque tamen, cum progredi maximè velim, hinc

li.2 c.26.

poſſum

poſſum abduci, cum mentis meæ quidam error gratiſſimus, ex hoc loco, tanquam in aliqua pynacotheca ſummos viros maiores tuos, Oldrade, illos tot rerum illuſtrium effectores ſpectare vniuerſos videatur: cum illos tanquam in Academia, aut in ſeptem Sapientum conuiuio, aut etiam Gymnoſophiſtarum in cœtu conſertiſſimos videatur audire, propoſita de maximis rebus quæſtione, doctiſsimè, ſapientiſsimèque differentes; quorum de magnitudine animi cogitare non poſsit, quin cogitet, oris quoque dignitate, ſono vocis, & corporum proceritate modum eos communem exceſsiſſe. Quemadmodum illis de ipſis, Vitaliane, tibi veniat in mentem, qui eorum velut è fontibus cum iſta indole profluxiſti, de me ſanè facio coniecturam: neque dubito, quin cum omnia diu multumque reputaueris, ità demum ſtatuas, à maioribus tuis degenerare turpiſsimum eſſe, eos exæquare neceſſarium, vincere verò etiam ſpecioſiſsimum, atque illis ipſis etiam, quos viceris, glorioſum. Quod ſi te, id quod neceſſe eſt, ingens vtrinque circunſtat ea ſolicitudo, illinc quantos Heroes oporteat æmulari, hinc qualem temet oporteat æmulandum præbere, fac Lacedæmonij chori redeas in memoriam, quem conſtat gentis moribus, & ſeueriſsimæ Laconum diſciplinæ fuiſſe conuenientiſsimum. Quis enim inibi obſcœnorum canticorum vſus? quidue molle apud eos, qui fœminas quoque ſtudijs virilibus vellent conſueſcere? Ergo Laconici chori erat ea ratio, vt tres vno tempore ſcenicorum artificum manipuli prodirent, ſenum quidem alter, qui conſumpta gerendis rebus ætate tum demum ea gloriatione vtebantur, *Nos quondam fuimus robuſti iuuenes*: Puerorum alter, qui reip. ſic de ſe ipſis omnia prolixè pollicebantur; *Nos verò erimus longè meliores*: tertius ætate inter vtrumque interiectus, iuuenum erat æuo integro ac florente, qui animo nihilo magis degenere de ſe ita prædicabant, *Nos autem ſumus, atque ſanè, ſi lubet, periculum facite*. Oldradorum ſi quidquid olim fuit, ſi quidquid deinceps futurum eſt, ſi Angelus Politia. Milceli.

quidquid

quidquid eorum hodie viuit, coire in vnum locum poſſet, & vno tempore vniuerſi ſcenam in eandem prodire, eadem antiquiſsimi Oldradi, quæ ſenes illi Lacedæmonij, eadem Oldradi poſteri, quæ Lacones pueri, vos eadem, quæ illi iuuenes, decantare iure meritoque poſſetis, Vnum cuiuis veſtrum eſſe, ac ſemper antea fuiſſe,atque deinceps eſſe futurum Spartæ veſtræ exornandæ ſtudium. Sed cum vnum velut ad ſcopulum diutius, quàm vellem, adhæſerit oratio, hinc eam iam tandem velis remiſque propellamus. At quò lubentius, quàm ad Vitalianum ipſum intuendum & expendendum, ad quem nos iam dudum vocat expectatio veſtra? Mirificè me ſemper cepit eius ille candor non minus animi, quàm oris & vultus, iucundum illud lumen oculorum, tantuſque lepos & ſuauitas ſermonis, tanta diſsimulatio generis, ac præcipuè tam memor animus & gratus in exiguis quoque meritis & leuiſsimis amicorum. Me me, Viri Clariſsimi, videte, qui Vitaliano dux olim fui ad eloquentiam eunti. (quid enim hoc ſiletem, quo ipſe mihi maximè ſemper placui?) Malè peream, ſi mei amandi, ſi obſequendi, obſeruandique vnquam vllum modum Oldradus fecit: qui quamquam dimiſſus è meo Rhetorices ludo dudum fuerit, vt ipſa iam temporis interiecti longitudo veterem illam memoriam laborum meorum obliterare potuerit ac extinguere, tamen eorum viret adhuc, & perennat recentiſsima gratia: & quidquid ſuis ipſe vigilijs, & ingenio ſanè luculento debet, illud vniuerſum mihi acceptum referre perſeuerat: neque deſinit me tanquam eloquentiæ ſuæ auſpicem & parentem colere; vt quoties alter alteri occurrimus in via, neſcio quà ſtatim mutuæ ſuauitate beneuolentiæ deliqueſcamus. Præclarè, ita me Deus amet, remuneraris meos conatus, ò flos iuuenum elegantiſsimorum Oldrade, refers præclaram gratiam rhetori tuo. (vſurpabo enim libenter hoc nomen, quo tu me ſemper obuium blandiſsimè nominas & ſalutas.) præclaras artes colis, qui cui nihil vnquam debuiſti, omnia debere velle

non

non deſinas: & cum non appellanti, nec exigenti perſoluas quotidie multum, nunquam tamen te date in ſolutum arbitreris. Nimirum iſta ſunt veræ nobilitatis & antiquæ argumenta, gratum eſſe, amabilem, ſtudioſum, amicis indulgentem: illa ſunt nobilitatis nouitiæ, quam hodie multi pretio nundinantur, cum faſtu inferre ſeſe, alios præ ſe contemnere, proterere, & inſolentiſsimè proculcare, ſumma quæque ſibi à quouis deberi arbitrari, & ingrati animi vitio beneficia remunerari amicorum, humiliorem quemque tardè dignari ſermone, aditu, atque congreſſu, iactare ſubinde minas, & vultu truculento eſſe. diui perdant hos ciues, qui ſuperbia atque terrore ſuam dignitatem ſeptam tenent, illam dignitatem emptam largitione, amicorum gratioſorum precibus eblanditam, heri demum, aut non ita pridem ex regio cæſareóue diplomate exortam: abeant ac valeant cum præpoſtero ſuo faſtu nobiles eiuſmodi, quorum pro foribus terror excubat, in quorum ſupercilio nubes eminet, qui habent ſuperba limina, cubicularios arrogantes, regia & tyrannica reſponſa. Horum comparatione chariorem eſſe mihi neceſſe eſt Vitalianum Oldradum, tantis Dei muneribus cumulatum adoleſcentem, cuius ornamentorum gratiam afflat nulla arrogantia, qui cum poſsit à multis ante ſeculis claros è familia ſua memorare viros, conſultò abſtinet ſuperuacanea oratione, & omnem ſuperbiam à ſuis moribus, & à limine longius amouet. De ſtudio pietatis Vitaliani Oldradi nondum memini; quæ ſanè res, qua parte eſt poſita in hominum conſilio atque natura, (cum eius pars multo maxima è cælo in animos noſtros demittatur), huic elegantiſsimo iuueni eodem ab illo fonte manauit, à quo cæteræ laudes eiuſdem profluxerunt. ſed rem tantam, ac tam diuinam, ne attingam quidem, ſatis habiturus dixiſſe, huic ipſi candidato in tanto candore cutis & oris, non femur ſolùm aureum eſſe, quale in Olympijs Pythagoras habere ſe oſtendit, ſed ex eodem auro pectus totum eſſe, au- Ælian. 4.27.

ream

ream ſententiam & fidem, mores aureos, aureum animum habere. Nam quod Deum, mentem ſcilicet illam vniuerſi, qui ſolus eſt omnia, totum eſſe rationem Seneca docet, nonne videtur hoc idem aliquo pacto in eum conuenire, qui prudentia atque conſilio vitam gubernet, non libidine atque temeritate, diuinarum humanarumque legum ſanctiones religioſum habeat ſoluere, nihil vnquam tribuat delicijs, animo corpus, rationi animum obtemperare ſemper voluerit? Veruntamen quid ago? qui ſum paulo ante profeſſus, me totam hanc partem pietatis integram atque intactam eſſe relicturum. Septa & clauſtra, quæ ipſe mihi circundederam, perfregit impetus dicendi, quo ſæpe inuiti, ſæpiſsimè imprudentes abripimur. Ergo longæ commemorationis velut filum reſecemus, atque, quò iam diu & vocamur & expectamur, ad literas veniamus, quas homini cuiuis obſcuro honeſtas, nobili verò etiam neceſſarias Vitalianus iudicauit. Nemo fermè qui eiuſdem loci, & æquè generis honeſti ſit, non præcipuo ſtudio quærit hanc laudem. verùm generi ſuo hoc vnum plerique tribuunt, vt multa rectè inſtituant, quæ inſtituta & affecta mox cum fœda mollitiei, leuitatis, & imbecillitatis confeſsione deſerunt. ita illa celebritas benè inchoantium deſinit in ſolitudinem, tanta frequentia ſenſim, ac ne ſenſim quidem, dilabitur, vocatæque ab initio votis & ambitu literæ, iacent poſtremò tanquam ignotæ virgines & illocabiles, ſine procis. quì ſcilicet ille priſtinus ardor animorum, quì acer ille impetus deferbuit? illa ſpes acerrimis atque vehementiſsimis primis auſpicijs excitata quò tandem euaſit? ita ne veſtra in poſtprincipijs languet ac flacceſcit induſtria? itane prior illa, omnia audentium, omnia perferentium alacritas, tanquam ventus adoleſcentulos deficit? quid enim hoc eſt aliud, Viri Clariſsimi, niſi quod nos videmus in fabulis, vbi Prologus poſt peractas eas primas partes nunquam deinceps tota fabula ſpectatur? Quererer hanc miſeram vicem artium pulcherrimarum, quæ certè maiore

Natural. quæſt. præfat. lib. 1.

iore

iore ſuorum amatorum conſtantia ſunt digniſsimæ: ſed occupatus animus lætitia haud libenter ad ægritudinem conuertitur. Alij rebus capiuntur alijs, quò quemque ratio aut impetus tulit. Vitalianus doctrinarum ſpecie captus fuit: eò ſuos omnes amores contulit, ac eas dignas cenſuit, quæ ſibi potius, concinno iuueni, expolito, nobilique adhæreſcerent, quàm Cleanthi olentium alarum homini, & fortaſſe libertino, ei certè, qui hortulo ſuburbano rigando, conſerendo, repurgandoque manus locauit. Neque hercle video, cui de hac re affirmanti fides maior haberi poſsit, quàm mihi, cui nihil fuit vnquam iucundius, quàm tam lepidi adoleſcentis, tam venuſti tantus ardor, tantus amor laudis, ac tanta alacritas capeſcendi laboris. Abdiderat ſe penitus in literas ac immerſerat: eædem illi pro omnibus delicijs erant hominum voluptariorum: ſenſuſque eius, ac animi partes omnes ita obſederat & occuparat ſtudium rei literariæ, vt non exaudiret ciuilium turbarum clamores, non condiſcipulorum laſciuientium voces, non clangorem & ſonitum tubarum vbique vocantium ad arma, ac denique non concuſſæ ruentiſque ſtrepitum Europæ. Cuius intentioris curæ ratio conſtat. Quis enim ignorat ætatem Oldradi non temporibus magis, & Conſulibus eſſe diſtinctam, quàm nouis ſemper acceſsionibus ad ſingularem eius doctrinam, & varijs atque diuerſis laudum generibus? Neque enim habeo neceſſe, neque adeò vacat mihi cuncta ſigillatim ponere ac percenſere: vniuersè communiterque hoc dicam, quidquid ad inſtituendum inſtruendumque oratorem valet, (valent autem multo plura, quàm quot ad concinnandum compingendumque plauſtrum, aut nauim piraticam.) quidquid vtrinque diſputatur inter factitoſos & altercantes philoſophos, id omne quæſitum, compertum, erutum, & pertractatum huic eſſe: nullique condendi carminis, caſtè latinè copioſèque loquendi, differendi aptè, acriterque diſputandi palmam temerè concedere. Eloquentiæ, non eius tantùm, quæ ſeculo ſeruit, & populo ſe ia-
ctat,

ſtat, ſed illius præterea, quæ doctrinis grauioribus ancillatur, & regnat in pulpito, vitiaque hominum velut certis iaculis è loco ſuperiore configit, præcipua gloria Vitaliani Oldradi eſt. Qui multa ſciunt & omnes libros conterere ſtudio habent, iis, vt ſint in explicando faciles, perrarò contingit. Obſcuritatem *furca expellant licet*, id quod de natura inquit Poeta, *tamen vſque recurret*. Quamquam ſunt, qui de induſtria id faciant, qui ignari quid ferre hominum aures poſſint, quid vulgò placere ſoleat, quid denique mereatur ſuffragia multitudinis, cuius iam vnius iudicio *ſtantque caduntque artes*, ea velut per ambages loquuntur, quæ Oedipo coniectore, aut Euandri matre interprete indigeant. Heu miſerum & infelix oſtentandæ doctrinæ ſtudium! An hi, cùm à vulgari genere & communi conſuetudine ſermonis abhorrent, ſatis ſciunt, quanto ſatius ſit ſilere, quàm ea loqui, quæ cæteri non intelligant? an compertum habent, qua hominum offenſa loquantur? à quibus ſi percontere, cur à natura datam eſſe nobis orationem exiſtiment? nonne ità reſpondeant, vt cum fideliſſimus, tum apertiſſimus mentis noſtræ ſit interpres? ſi cur datam linguam arbitrentur? nonne quæ tacitæ cogitationis ſit internuntia, & velut character quidam mentis, & complicatas notiones noſtras euoluat? Si cur datam vocem putent? nonne vt animi varios motus exprimat, idque notis faciat magis certis & perſpicuis, quàm ſint auium garritus, qui egent augurum interpretatione? quæ tandem iſta, dicam ne leuitas? an ineptiæ? an inſania? an importunitas? quemquam Italicè ità loqui, vt ab Italis intelligi non poſſit? ità quemquam loqui Latinè, vt quid ipſe ſibi eo ſermone velit, à Latinè ſcientibus nolit percipi? Hoccine eſt literas tractare, an contaminare, ac abuti hominum patientia? An eis eſt adhuc inauditum Ariſtotelis oraculum, qui vnicam & ſingularem orationis eſſe laudem ait, ſi perſpicua & aperta ſit? An etiam eos fugit, Lactantius quid ſenſerit, qui Septimio Tertulliano viro multis millibus doctio-

In arte Rhetor.

Lib. 5. de Inſtitut. c. 1.

doctiori D. Cyprianum,quod hic multo planior in dicendo fuerit, anteferre non dubitauit? an eos præterit, quid dicendi magiſter optimus Quintilianus exiſtimauerit? qui orationem, cuius ſumma virtus eſt perſpicuitas, vitioſam eſſe ait, ſi egeat interprete, & ab vltimis atque obliteratis temporibus ea repetat, quæ deſierint vſurpari, qualia Saliorum carmina dicit fuiſſe, quæ vix ſui Sacerdotes ſatis intelligerent. Perplexi obſcurique ſermonis hoc ſtudium, quod adeò Cæſar Auguſtus damnauit non ſolùm in collega ſuo M. Antonio, quem voces exoletas reconditaſque aucupantem appellauit inſanum, verùm etiam in Tiberio priuigno, qui ea ſcriberet, quæ mirarentur citius homines, quàm intelligerent; valeat apud placita Pythagorica, notaſque Ægyptiacas, nec non apud libros Sibyllinos, & ſimillimis ambagibus tota ratio ſacrorum Eleuſiniorum tradatur, non valeat in communi ſermone, quem oportet quàm apertiſſimè animi ſenſum exprimere. Quandiu ſic homines deſipient, vt quò famam captent doctrinæ, amittere velint iudicij? Vobis ego dicam diſerte, ac planè, me vt exaudire poſſitis; quandiu ſuperſtitioſa vocum & rerum incognitarum affectatione ſtylum ita obſcurabitis, vt vate magis egeat, quàm lectore; tandiu vobis Terentianum illud reponam, *Dauus ſum, non Oedipus*. Vitauit hunc ſcopulum Oldradus, in quem hodie nimis multi impinguntur, qui vt literis ex reconditis ac interioribus gloriam multiplicis ac variæ ſcientiæ conſequantur, prorſus gratiam perſpicuitatis amittunt; atque vt opinionem quærant ingenij, in offenſionem omnium eruditorum incurrunt. Quidni te cum iſta indole multis anteponam Oldrade? fac tibi iſta facilitate multum placeas, quæ te doctis ac indoctis adeò commendat: tuere tuum iſtum morem, neque ſit tibi fraudi cacozelus, ſeu dicere malis, affectatio, ineptumque ſtudium multorum ad laudem eloquentiæ minimè trita via graſſantium. Talem ac tantum adoleſcentem, tam dexterè ac prudenter vſum ingenio amemus licet, Auditores, & charum habeamus.

Inſtitut. orator. li. 1. c. 6.

locus Plautinus eſt, haud ſanè illiberalis, patris ex ambiguo ludentis cum filia, virgine venuſta, ſed inope, cui ad virum ituræ libellos neſcio quos paucos in dotem pollicetur. *Cum hac dote*, inquit, *nubere vel mendico potes*. Non ludam ego tecum, Oldrade; ſeriò loquar. Cum iſtis ornamentis, cum opibus iſtis copijſque ingenij tui, cum tanto patrimonio virtutis ac dignitatis, cum tam lauta ac eleganti ſupellectili doctrinarum, cuiuſcunque demum generis potuiſti humilitatem & obſcuritatem ad lucem hominum proferre. Matre natus captiua, atque adeò patre opilione genitus ſi fuiſſes, ſola iſta ad bonum tam propenſa natura eſſe nobilis potuiſti, ac inter eos adſpectari, ac eis etiam anteponi, qui ſeriem ſtirpium vetuſtiſſimarum ſic repetitam è faſtis, tanquam aliquem è teſtis & ollis effoſſum theſaurum iactant; quibus illud aut ſolum, aut præcipuum bonum eſſe videmus. Sed eſt, quò mea feſtinet oratio. Abutar ego libenter in hoc tempore hominum præſtantiſſimorum nominibus, & veſtra cum bona venia, Auditores optimi, ipſe me Socratem totius philoſophiæ parentem, aut Ariſtotelem eſſe cogitabo. Non diſplicet mihi nouum ſchema: non abnuo perſonam aſſumere clariſſimorum ex omni memoria virorum; ſiquidem ipſe quoque Platonem meum, ac meum Theophraſtum oſtendere poſſum, quos cognitis artis meæ præceptis, à me pro mea virili parte compos & expolitos è ludo meo dimiſi. Quod ſi me tum, quum abibam à meo munere eloquentiæ præcepta tradendi in celeberrimo totius Italiæ gymnaſio, in quo tantùm non conſenui: tum, inquam, ſi me omnis meorum ſectatorum cohors circumſtetiſſet, & orans obſecranſque pro tanta noſtra neceſſitudine à me contendiſſet, vt ipſe loci mei & magiſterij ſucceſſorem deligerem, Lucium probaſſem, probaſſem Titum, ſed Oldradum magis vtroque comprobaſſem; de quo ſanè deteriùs pronuntiare non debui, quàm de vino Lesbio Ariſtoteles corpore affecto iacens pronuntiauerit. Eum enim in ſpe vitæ admodum exigua tra-

Perſa 3. 1.

Agell. noct. Att. 13. 5.

trahentem animam, enixè diſcipuli cum rogaſſent, vt ex omnibus eligeret vnum aliquem, quo poſt eius ſummum diem præceptore vterentur: & cum præcipuè duorum emineret ingenium, Theophraſti quidem ex Lesbo inſula, & Menedemi ex inſula Rhodo, nominibus alumnorum ſuorum pepercit & abſtinuit Ariſtoteles, ſed allato vino Rhodio, *firmum*, inquit, *hercle vinum & iucundum*; mox Lesbio deguſtato, *Vtrumque*, inquit, *oppidò bonum*, *ſed melius Leſbium*. Non deerat hercle mihi doctiſſimorum manipulus auditorum meorum, quorum quiſque eum locum & perſonam ſuſtinere facilè potuiſſet: eo throno digni complures erant: imminebantque illi ſpei iuuenes lectiſſimi. Sed Principis ſuffragio tu lectus, Oldrade, fuiſti, cui ego decedens traderem prouinciam, & quo magiſtro florentiſſima iuuentus ad ſtudia doctrinarum excolenda vteretur. Tibi ergo totam hereditatem artis facultatiſque dicendi tradidi: tibi forum meum & officinam decedens vacuam reliqui, qui à me inchoata perficeres: tibi regnum illud & iura tranſcripſi, vt penè vitæ neciſque dominus de tot ingenuis ephebis tuo arbitratu ſtatuere poſſes. Ale ſatiuas iſtas arbuſculas, illas finge ad exemplum tuum; & iſtam iuuentutem, quæ à tuo nutu pendet, doce, non tibi, non cuiquam gratuitam laudem veniſſe, ſed omnem veram gloriam, præcipuèque doctrinarum emi percharo; palam id doce, quanti ſteterit tibi, locum iſtum & nomen diſerti doctique iuuenis inueniſſe. Siue nos enim ignauiam Sphingem vocamus; ea ſuum Oedipum inuenit: ſiue Hydram nominare malumus; incidit in fatalem ſibi Herculem. Quid enim faceres aliud, cum pro vna matre Lacæna, quæ aliquando clamauerit: Curre, fili, & per ignem ferrumque ad decus feſtina. geris in dextera ſpem Spartanæ dignitatis augendæ, geris ſpem ſalutis ac imperij. Subi per infeſtos mucrones, ac ſtrenuè te te infer, tua matre claſſicum canente. perſolue patriæ, nominique Lacedæmonio quod debes: & mihi refer hanc gratiam, vt laude filij vel benè geſta rep. trium-

 phantis,

phantis, vel in opere extincti pulcherrimo, frui diuturniſſimè poſſim. Quid inquam Oldrade faceres, cum pro hac vna Lacæna clamauerit cohors penè innumera nobiliſsimorum è genere tuo ciuium, ire fortem ad labores iubentium? Petrus clamauit Oldradus, is qui Hadriani PP. legatus, & mox huius Eccleſiæ Archiepiſcopus, ea impetrauit à Carolo M. quibus Eccleſia Mediolan. hodie quoque ſuum ſplendorem ac maieſtatem tuetur. Atho clamauit, qui turbulentis temporibus, & tum ira cæleſti, tum ciuium contumacia fœdis in hac vrbe Pontifex creatus, qua ciuitatem verbis caſtigando grauiſſimis, qua monendo amanter, qua ſuo commouendo exemplo, truces animos, vt ſalui eſſe vellent, mitigauit & flexit. Clamauit D. ille Venerius, cuius radiatum caput eſt in tabulis pictis, qui Gothos, turpes inquilinos, iniecta diuinitus formidine, oſtentata Domini Cruce, fugauit. Clamauit, (vt miſſos faciam alios quamplurimos,) Alphonſus, ille nempe, quo parentum noſtrorum memoria non alius tonando, ciuium animos verſando, ac totam Italiam permiſcendo præſtantior ea ætate Euangelicus Orator habitus fuit. Clamauitque mediùs fidiùs Cardinalis vterque, Vitalis, & Guidus, ac vtroque maior Diuus Io. Oldradus *à meda* qui prælio victus, captiuuſque abductus in Germaniam, cum poſt ſqualorem & calamitatem fœdiſſimi atque diuturni carceris rediſſet ſoſpes in patriam, diræ comites peregrinationis viros huius ciuitatis primarios voce ac exemplo confirmauit, vt opibus in vnum collatis ſe legibus vitæ ſeueriſſimæ obſtringerent: atque tum nata familia & inſtitutum HVMILIATORVM fuit, quod auſteritate magiſtra, premendiſque ſanctiſſimi parentis veſtigijs tandiu ſtetit, floruitque, donec legum omnium excedente metu ex animis, ac eos ſubeunte auaritia, libidine, luxu, omnibuſquè artibus ſycophanticis promeruit, vt ipſi, ceu arbori cuipiam noxiæ ac infrugiferæ ſecuris impingeretur. Clamauere præter Oldradum de Oldradis, Flauiumque Oldradum, vtrumque Nouarienſem Antiſtitem alij permulti

Morigg. de nob. Medio'. l. 2 c. 11.

multi gentis eiuſdem, quorum omnium vocibus, tanquam lituis excitatus Oldradus, impetu ad laudem, atque ad ſimilitudinem domeſticarum virtutum anhelauit. Tametſi quid impetum dico? num in rationem, aut conſilium, num in tantam grauitatem & conſtantiam cadere poteſt impetus, qui quiddam ſuapte natura cæcum eſt, præceps, & plenum inconſultæ temeritatis? Parce mihi Oldrade ſuauiſſime, ſi ſuum tuis bonis nomen non reddo. Neutiquam ille ſanè impetus fuit,ſed perpetuus,& per omnem adhuc vitam æquabilis curſus, & continuus quidam tenor laudabilium conſiliorum, & bene agendi, benèque audiendi ratio quædam conſtantiſſima.

At cum ſentiam, nihilo me felicius, quàm olim fecerit Damoetas ille Virgilianus, *ſtridenti fiſtula* nimis iam diu *miſerum diſperdere carmen*: veniatque inſuper in mentem vereri, ne iam plus nimio veſtris auribus ſim grauis, ipſe me velut à curſu reuoco, & quod hactenus elogio fortaſſe non potui, iam vaticinio aſſequi contendam, vt dignum aliquid hoc conſeſſu, certè non iniucundum, videar dixiſſe. Non equidem eam artem factito, quam in triuijs ſolent quotidie mulieres Ægypriæ, quæ quo plebeculam emungant argento, ſecunda omnia de amore, de liberis, de valetudine, de agro, deque rebus omnibus vaticinantur. Neque huc hodie deſcendiſſem, vt me vobis de arte inſueta venditarem, ſi eadem animo de Vitaliano præſentirem, quæ quondam aut Thetis de Achille filio ſuo, cui Troianam expeditionem ſuſcipienti certam mortem dixit impendere; aut Calchas de Agamemnone, cuius copias peſtilentia conflictatum iri prædixit. Diui meliora, quàm vt Oldradi vita in magnam aliquam difficultatem, aut in aduerſam fortunam incurrat. Si quid minus lætum animo prouiderem, minimè hercle facerem, vt intempeſtiuè promitterem hanc artem: iureque poſſem vereri, ne me verbis & modis Oldradus iiſdem acciperet, quibus Calchantem Rex Regum accepit Agamemnon, quem contumelioſè *Vatem malorum* nominauit,

Eclog. 3.

Iliad. a.

Quæ affero, multo ſunt lætiora, quàm vt inde cuiuſquam poſsim offenſam timere. Quod ſi fortè cupidè quæras, quemadmódum ego repentè vates extiterim, ne mihi quidem eſt procliue narrare. Sed enim ſalit mihi oculus, meuſque animus ſeriem quandam perlongam rerum iucundiſsimarum, & optatiſsimorum euentorum multo certius præſentit, quàm vt poſsit dubitare. Ergo accipe. Romam cogitas, & ſanè INNOCENTII S. P. vocatu, vt inibi in luce generis humani, atque in orbis terrarum theatro ea doctrinarum pretioſa mercimonia diſtrahas atque diuendas, quæ in patria tam impenſo pretio coemiſti. Iubeo te ire felicem. omnia quæ ſunt intra modum fortunæ tuæ, aude concupiſcere & expectare. vniuerſa tibi euentura è ſententia, vel prædibus pignoribuſque tibi à me caueto, ſi lubet. Parata inibi tibi futura ſunt omnium ſtudia, fauor, beneuolentia, & ſuffragatio: & quod tua maximè refert, parata erga te ſumma propenſio voluntatis INNOCENTII, qui te poteſt vno reſcripto beatum efficere. Amaberis, adſpectaberis, digitoque monſtraberis in vrbe domina gentium, nemoque non fauebit ingenio, moribus, atque doctrinæ tuæ. Hæc foris. propediem ſoſpes in patriam redibis, auctus opulento Sacerdotio, neque ſine ſplendore fortunæ, nitebiſque ac latè fulgurabis in amiculo purpureo. Domi tibi non modò non prenſanti, ſed ne optanti quidem aderunt omnia tum à ciuium tuorum, tum ab optimi tui Antiſtitis benignitate ac munificentia, qui præfecturas, clientelas, inſpectionem Diœceſis, conſultandi munera, Inquiſitionis, Baſilicæ maioris ac Noſocomij curam tibi haud ſanè dabunt, ſed congerent, neque congerent, ſed planè cumulabunt. Vitæ porro longior vſura, proſpera corporis haud ſatis firmi valetudo, gratiaque apud ſummos infimoſque, ſplendorque ac dignitas præſto erunt, aberitque prorſus nihil, quin ſis futurus beatiſsimus, Vatemque tuum nihil tibi adhuc, niſi vera canentem, amare non deſines. Dixi.

In

In Laurea IOANNIS BAPTISTÆ MOSELLÆ Rheti

PANEGYRICVS.

SI tibi foris & peregrè virorum clariſſimorum voluntas tam propenſa, ſtudiumque tuæ dignitatis augendæ tam inſigne ac ſingulare, atque habitus ab alieniſſimis extero ac peregrino tantus honos, Moſella doctiſſime, permira videntur, cogita, minimè te neque ad antrum Cyclopis, neque Buſiridis aut Leſtrygonum ad oras inhoſpitales eſſe errore, aut tempeſtate delatum, ſed Italiæ ad eam partem, quæ cultiſſima eſt, copijſque, ingenijs, ac ſtudijs maximè omnium liberalibus vna florentiſſima ſemper habita fuit, inſtarque veteris Græcorum Olympiæ neminem vnquam honorum aditu prohibuit, vbi noſtrum cuiuis quicunque fortis eſt & ſapiens, ille ciuis eſt, Inſuber eſt, patritius eſt; quemadmodum Annibali Pœno Carthaginienſis erat, quicunque hoſtem ferijſſet. Quò verò minus etiam mireris, nemo ex his quos frequentes vides & confertos, non eo eſt habitu animi, vt ſi quantum bonæ frugis in te ipſo eſt, tantum in hoſte videat, non illud etiam in hoſte ſuſpiciat, neque pretio, quod ſummum habet, æſtimet. Sed propitius ſit nobis ille Iupiter, primum ne ſemper bellicis terroribus concutiamur, mutuiſque belli offenſionibus clades penè vicibus alternis patiamur, reddamuſque: tum, ſi ita viſum ſuperis, vt ſemper furente cum hoſte aliquo collidamur, ne ille nos cultu magnitudineue animi, aut vllo genere virtutis exæquet,

Homer. odyſſ.

Gregor. Niceph.

Annibal apud Ennium P. Manu. ad V. Cic. in Verr.

quet, multoque minus, ne antecellat, ac denique ne vlla re ſuperiores ſint, qui à nobis cauſa vincuntur. Ergo ſiue ipſi virtuti vis ineſt eiuſmodi, vt in quoque qui modò ſenſu communi vtatur, mirabiles excitet amores ſui: ſiue nos ipſi (nam inuidos per me licet laus aliena etiam ad inſaniam adigat) ſiue, inquam, molliore nos animo, candidioreque ſumus, vt virtutem reuereamur, vbicunque demum ea veluti hoſpitio diuerſetur; in mancipione Æſopo Phrygio, in Taxari barbaro & Scytha, in Veneto Georgio Caſtrioto, in Gaſtone Foeſio Gallo, & dum apud Rauennam confoſſus iacuit, tum maximè prælium in nos ciente; an in Carolo V., in Alexandro Farneſio, in Franciſco Sfortia, nullo prorſus diſcrimine; quod hic te coli ſentis, Ioannes Baptiſta Moſella, & ſignificationem ſtudiorum noſtrorum minimè obſcuram perſpicis, equidem ſic exiſtimo, te cum naturæ noſtræ nonnihil, tum moribus tuis plurimum debere. Etenim ipſe tibi pariter vides euenire, atque ferunt eueniſſe Polycleto, & ex illa memoria pingendi, cælandi, fingendique nobili cuiuis artifici, qui tabulis pictis, & ſignis palam ad ſpectaculum propoſitis, continuò ita (ſic enim dicam) ſonoram clamoſamque omnium ordinum admirationem excitabant, vt quandam pene apotheoſim ex hominum iudicio, approbatione, plauſuque & acclamatione conſequerentur. Neque tamen me fugit eſſe quaſdam in orbe terrarum hominum peſtes, monſtra, & portenta, tum eorum, qui ſemper ita exterorum inuident gloriæ, vt ſi quam anſam vellicandi habeant, ſi quid ſecus & peruersè interpretari poſſe videantur, ſi obtrectare eorumque luminibus obſtruere poſſint, morbo quodam animi ſui, ea re nihil faciant libentius: tum eorum, qui ſuorum popularium cuncta faſtidiunt, *naſoque ſuſpendunt adunco*, neque vllis, niſi veteribus & olim extinctis, aut peregrinis ingenijs applaudunt. Genus hoc vtrumque hominum, meo ſanè iudicio, deterrimorum vrat per me licet malus liuor. ego tam procul ab inuidia, quàm ab aſſentatione id in quoque; nullo

nullo diſcrimine, probo mirorque, quod eſſe non meo ſolùm, ſed etiam cuiuſque amore digniſſimum exiſtimo. Moſellam alia tellus ab hac noſtra, & illa quidem itinere quatridui remota, tantum adoleſcentem peperit, quem niſi ego æque, atque meos oculos, charum habeam, non is φιλόκαλος ſim, qui adhuc, vt quidque maximè ſpectabile fuit, ita eius ſtudio flagrantiſſimo exarſi. Nam hercle huius ſimiles ſi noſtra ætate vlla tellus ferret quamplurimos, qui de cultura ingenij, ac de omni ſtudio laudis tam præclarè ſentirent, nequaquam hoc ſeculo illam aliquot, vt ſibi quidem videntur, ſapientum virorum querelam audiremus quotidie, quæ me quidem exanimat ac interimit, excluſam & pulſatam foro induſtriam ad paucos abijſſe, & vix iam eſſe, qui fontem Aganippem adeant, quique artes excolant illas verè ingenuas, & ſic dicam, viriles ac humaniſſimas, cum opifices viliſſimi tam multi artes colant ſellularias & quæſtuoſas. Quo tu, Moſella doctiſſime, aſtro meliore natus videri debes, qui genitus velut conſilio diuino ad eleuandam ſedandamque huic ætati falsò conflatam inuidiam, omnia ſtudio virtutis poſteriora duxiſti, in eaque paranda nihil non eſſe tibi perferendum putauiſti eo ſeculo, quod ignauiſſimum, corruptiſſimum, contaminatiſſimum quidam non dubitant appellare. Ij gnari fortaſſe inſcitiæ ſuæ, ſuorumque flagitiorum, ignatiſſimi ſuæ ſtultitiæ ac impudentiæ, callidè culpam priuatam ac propriam deriuant aliò, atque deflectunt in ſeculum, & illud nullis non conciſum contumelijs deflere cogunt eam in aliena culpa pœnam innocentum, quam noto carmine Græci defleuerunt, *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui*. Niſi fortè vetere potius conuicij exercitatione, quàm ſtomacho & nauſea peccantis ſeculi, quidam hoc ſuſcipiunt, vt cauſam communem euertant, & ſe quoque ipſos, modò cum cæteris omnibus, ſua pudenda confeſſione condemnent. Quamquam verò non eſt hodie tam exigua copia virorum excellentium, quin plures harum baccarum, qui ætatis

tis noſtræ gloriam exornant, poſſimus ex proximis locis percenſere: tamen hunc vnum ſi habeam, *famæ quem opponere poſſim*, nonne idoneus poteſt videri, cuius mores & doctrina multiplex, & vita rectæ rationi conuenienter ſapientiſſiméque acta quoſuis noſtri ſeculi reprehenſores facilè redarguat, & linguam cogat maledictis occluſiorem habere?

Achillem illum Homericis & Pindaricis, omnibuſque omnium literis celebratum heroa, cuius impulſu Pergamum concidit, nulla vnquam tam inimica virtuti ætas fuit, neque gens tam barbara, quæ non in cælum rumore ſecundo ſuſtulerit. Minimè mihi hodie propoſitum eſt tam inueteratam & conſtantem opinionem confutare. Quis enim ferat, ab omnium conſenſu me vnum diſſentire? Veruntamen quæ illa fuit hominis magnitudo animi, cum vocatus ad Troianam expeditionem, & ad coeundam cum cæteris ex Pelopidarum gente Regibus armorum ſocietatem multis precibus inuitatus, ire ad communem perſequendam iniuriam abnuit: & metu correptus, in veſte muliebri tandiu delituit, donec extractus è latebra, malo compellendus fuit, vt poſita ſtola charam Theſſaliam, charam domum vellet relinquere? Ponite modò fornices non mulieroſo tantùm duci, non iracundiæ tantùm præcipitis, non ſolùm immemori fœderis, cauſæque communis deſertori, ſed etiam meticuloſo, & muliebriter imbecillo, qui ſanè vir nunquam erat, cum in ſuis latebris ſexum mentiebatur. Non id equidem ſuſcepi, vt Achillem, à quo nunquam non re, non verbo ſui laceſſitus, grauius obiurgem, ſed vt ea comparatione Ioanni Baptiſtæ Moſellæ commendationem conciliem. Quid enim eiuſmodi in eo fuit, qui pene adhuc puer, nihil maluit, quàm cælo patrio relicto, alicubi foris quærere laudem & virtutem? Valeant fraterculi & ſorores, lectiſſimæ virgines: valeat nutrix, quæ mammas infanti præbuit: ipſi adeò, nomina dulciſſima, parentes valeant. Nullum tantum vinculum fuit, quo poſſet Moſella conſtringi ac impediri, quo

minus aliquò foras velut ad mercatum doctrinarum concederet. Conceſſit, impetrato ab optimo parente commeatu, & venit in hanc Italiæ partem, quam nos incolimus; conſumptiſque apud Inſubres non multis annis Bononiam, Romam, Neapolim, & eius oræ gentes adijt. Qui ne cognoſcendarum rerum nouarum inani ſtudio vectus huc illuc poſſet videri, nuſquam deſedit piger, nuſquam non ſubſtitit ſtudiorum cauſa, nuſquam non reliquit cum modeſtiæ pudoriſque ſui, tum etiam induſtriæ, in hominum mentibus ad longi temporis memoriam impreſſa veſtigia. O tuam rationem prudentem! ò ſapientem peregrinationem! Neque enim illud ignoro, eſſe non paucos, qui domo profecti cum lauto viatico, velut æſtu quodam vagi feruntur, & magis odio præſentium rerum, quàm ſtudio remotarum, vbiuis malunt, quàm domi eſſe; qui foris nihil agunt, niſi ſumptuoſiſſimè feriantur, & cum inter ſuos poſſint re bene ſtructa frui, malunt Scytharum ritu, mutatis ſubinde cauponis, alienam arrodere. Quid demum errando vagandoque feſſi domum referunt, præter ſeries longiſſimarum fabularum, quas denarrent ſuis, præterque laſſitudinem, attritas veſtes, pudoremque grandis conſumptæ pecuniæ? Longè diſpar eſt ratio tua, Moſella. certo ſcilicet conſilio miſsionem petijſti ac impetraſti: certo conſilio patriæ finibus exceſsiſti, quo mox doctior eandem repeteres: nota loca, notos amnes Ænum, & Lycum reliquiſti, quò apud Eridanum, & Tyberim ignotus & hoſpes ad famam peruenires: maris iactationem ſæpe diuque pertuliſti, quo aliquando cum dignitate quieſceres. Iam ergo quid tibi aliquot annorum peregrinationem Lacones obijciant, qui adoleſcentem è ſuis obiurgauerunt iactantem ſe viam tenere, quæ ferret in Pylæam? Nouiſti viam quæ ferat in Ligures, Venetos adijſti, flexiſti in Hetruriam, exploratum habes & perluſtratum vicum pene omnem agri Campani. Nihil horum diffitemur; verùm præter hæc, quæ ſunt multo leuiſsima, illud quoque longè maximum & honeſtiſsimum

com-

compertum habes & exploratum, à quibus fontibus eloquentia petatur, quibus vijs dialectica, minimè vt quidam criminantur, ars veteratoria, ducat ad verum inueſtigandum, quibus laboribus notitia naturæ penè totius comparetur. His adde illa tanto illuſtriora, quanto cæteris rebus præſtat virtus; quibus præceptis natura vitioſa edometur & comprimatur, quibus armis prauitati afferatur interitus, & quantopere laborandum, vt animus rationi obedienter viuat, eamquè vnam præcipientem, prohibentem, vocantem, ac imperantem exaudiat. Hæc in media Sparta, atque apud ipſos Ephoros Laconum iudices, aut etiam in illo ſeuerisſimo Athenienſi Areopago Moſella ſi memoret, cui demum non probabit? aut quis eum propterea obiurgatione potius dignum putet, quàm vt cum Socrate in Prytaneo alatur ex publico? Quæ tua veſtigia dum oratione mea perſequor, & quæ ſedibus ſubinde mutatis tua velut deſultoria vita diu pertulit, non genere ſolùm diuerſa & grauia, ſed & numero propemodum infinita, ea dum vniuersè colligo, non alicuius adoleſcentis, ſed ipſius Pythagoræ itinera videor, & veſtigia perſequi. Cum enim ille Samius non contentus eis doctoribus, quorum ei copia in patria contigiſſet, nunquam ſatis profeciſſe viſus fuerit, quandiu ſibi vſquam aliquid in orbe terrarum diſcendũ ſupereſſet, & obeundo varias gentes collegerit vbique vim multiplicem literarum interiorum, omnes philoſophiæ partes penitus hauſerit, omnemque omnium artium varietatem complexus fuerit: cum in Ioniam, in Siciliam, in Ægyptum, Crotonem, Metapontium, Agrigentum, & Babylonem vectus doctrinarum cauſa, ipſius Italiæ omnem ſinum, ac pene omne angiportum fuerit ſcrutatus; quid tu aliud egiſti, qui abes domo tua tam multis annis, tot adijſti loca, tot frequentaſti gymnaſia, tot gymnaſiarchos audiuiſti? Vbique pro locorum opportunitate aliquam encyclopædiæ partem didiciſti; notitias rerum & ſcientiam (ſic enim dicam) depaſcendo, & *floriferis vt apes in ſaltibus* omnia libando, Italiam peragraſti vniuerſam;

Lucret. lib. 3.

uerſam; vbicunque aliquos fuiſti nactus idoneos magiſtros, ad eos te in diſciplinam contuliſti; vt cum oculos tuos varia ſpecies explicantis ſuas opes naturæ paſceret ac recrearet, animum interea tum præceptis morum, tum rerum cognitione inſtrueres ac locupletares. Dic ſodes, & in concione memorare ne graueris pernoctes tuas vigilias, lucubrationeſque & labores intempeſtiuos, cum diurna lux deſiderio tuo non ſufficeret, & cum gemeres interuentu noctis opus inſtitutum abrumpi. Quamquam ne abrumperetur, quàm ſæpe ad facem accenſam excubuiſti, noctemque inuitam, & minimè literis natam, ipſis literis vendicaſti? Ergo nullus ſit vnquam modus deſudandi? Humano labori quendam ceu terminum natura noctem poſuit, vt cum eo ventum ſit, & ipſe ſtiuam colonus, & miles telum, & ſtylum ponat orator. Sed nec legibus teneri, nec ſe pati vllis finibus circunſcribi ardorem aliquorum, tuus eſt teſtis iſte ardor, Moſella, quem intentum operi, fruſtra tenebræ vocabant ad quietem, fruſtra laſsitudo ad lectulum, fruſtraque cadentia ſidera ad ſomnum. An te ſcilicet verſus Homericus extimulabat, *Turpe quidem eſt remanere diu, vacuumque reuerti*? Mirum, niſi tuos dies noctesque, tuaſque vigilias & ſomnos hæc ſumma cura conturbauit, cum illud magnopere vereceris, ne qui de te omnia ſumma promiſiſſes, inanis redires ad tuos, neque ſatis tum patris curaſſe mandata, tum promiſſa tua meminiſſe viderere. Libero te iſta cura, Moſella doctiſsime. Cuique ſeueriſsimo peregrinationis tuæ rationes probabis. crede mihi; ſpem omnium ſucceſſu rerum tuarum ſuperaſti: peregre domum reuertens multo plus rerum pretioſiſsimarum deportauiſti, quàm quantum parens quiſquam auidiſsimus poſsit exoptare. Quid enim ego tuum reditum, Argonautarum cum reditu comparem, qui hoſpitis expilata domo, Colchis vellus aureum abduxerunt? quidue cum Niliaco, aut cum Indico cataplo, qui terrarum orbe quotannis enauigato in Aegyptum, in Hiſpanias, in Luſitaniam, atque in Hollan-

Iliad. 6.

Eurip. Medea.

Dionyſ. argon.

Hollandiam tantum auri argentique deuehit? haſce opes nemo ſanus ad illas comparet, quas tu auditis peregrè doctoribus, conſultis viris eruditiſsimis, peruolutatis bibliothecis, frequentatis diatribis, euigilatiſque vigilijs tuo in animo condidiſti, quæ te ſi minus locupletem (quamquam in ſumma doctrina penè inſunt omnia.) efficiunt, at expoliunt eam partem, qua præcipuè homo es, at augent dignitatem, at vtramque fortunam exornant, at Craſſis te illis, *argento inuolutis*, qui centum iugis arant, multis partibus anteponunt. Ego verò ne ita quidem ſuperſtitiosè faueo antiquitati, vt Vlyſſeos illos errores, neſcio quàm ſpecioſos, certè calamitoſos, cum auſpicatiſſima peregrinatione tua eſſe conferendos exiſtimem. Vlyſſem memoratis Auditores, ſupplicem vbique, ac ignotum, cuius in caſibus tam multa fuerunt ſordida, ſubdola, ſycophantica, deliteſcentem in frondibus, Cyclopi verba dantem, cubantem in coryleto, cum morionibus luctantem, fruſta vorantem de menſa Procorum, quem mendici ſpecie reuerſum ſoli canes agnouerunt? Nihil hìc ſimile; neque adeò ſine Moſellæ inſigni contumelia peregrinationes vtriuſque in contentionem vocare poteſtis. Moſellæ peregrinationi Diui homineſque fauerunt, venti tempeſtateſque obſecundarunt, ipſi equi, ipſa rheda, mare ipſum, quem veherent, ſenſiſſe videntur: vbique comitas hoſpitalis, vbique amicorum ſtudia: plena denique omnia dignitatis, ſplendoris, ac feſtiuitatis. Quid vſquam caſibus in Vlyſſeis, quod mereatur Moſellæ cum profectione, vel ornamentis, vel celebritate, vel rerum denique ſucceſſu componi? Nolo iam longius euagari, nec plus amori meo indulgere, ne videar maius aliquid ſuſcepiſſe, quàm quòd potuerit à me præſtari. Rhetiam tuam repete, quæ nunc ſanè multo lætior reuertentem excipiet, quàm olim naſcentem ſuſcepit. Hoc ſpero, ſuſcepturum te perpetuam dimicationem pro cauſa religionis, & qua caſtis moribus, qua doctis clamoribus iniecturum improbitati & conuictæ ſectæ pudorem. Age, repurga illa cubilia;

lia: & iſtam indolem atque continentiam perfer in patriam, vt voce & exemplo tuo iugulata nequitia hiſcere ne amplius audeat. Dixi.

In Laurea

ALEXANDRI ANTONIANI

PANEGYRICVS.

QVàm vereor, ne quis veſtrum hodie, Viri Clariſſimi, promittenti mihi Alexandri encomium ſic tacitis vocibus obtrectet, quemadmodum ſophiſtæ neſcio cui apud Lucianum promittenti encomium Herculis obtrectauit princeps Lacedæmoniorum Antalcida; qui, quod ſuperuacaneum eſſe, & ineptiſſimum exiſtimaret, in eo laudando operam ſumere, quem ore vno prædicarent vniuerſi, *Quis enim*, inquit, *eum vituperat*? Atque ſanè eo magis in hac re, tacita veſtra iudicia reformido, quo pronior in eandem ſententiam viſus D. Auguſtinus fuit, qui Solem ipſum, quia ſimulatque exortus eſt, oſtendit propalam, latèque explicat ſua lumina, ob eam cauſam laudatore negauit indigere. Mihi tamen conſilij mei conſtabit ratio, ſi Pindarum imitabor & Iſocratem; quorum alter tantopere commendauit Olympionicas, quibus obſtrectauerat nemo: alter Helenæ formam, quam nemo præter vnum Steſichorum vituperauerat, laudibus exquiſitiſſimis in cælum ſuſtulit. Quid enim, quod floribus ipſis aſſignauerunt odas Pythagorei, quibus Solem ipſum, quibus Lunam, ac cætera ſidera celebrarent, cum ſi vnos excipimus Æthiopas, nemo ſit inuentus, qui Soli, qui ſideribus maledixerit? Quid etiam,

In Charid. & Plut. in Lacon. apoph.

Herodo. apud I. Caſ. Scalig. in poetice.

Pyth. ode 9. etiam, quod ille ipſe Pindarus, eos qui parum memores diuinorum & immortalium operum Herculis, & quanto ille cæteros heroas ſpatio eſſet armorum gloria prætergreſſus, minimè ſe vnquam ad eum laudandum conferrent, ſe omnino pro mutis eſſe habiturum profeſſus fuit? Illa me in ipſo rei inſtituendæ articulo magis habet ſollicitum cogitatio, quod vbi in Alexandri cauſa meos omnes lacertos intendero, nihil eſſe propius futurum intelligam, quàm vt meos eodem illo ſcommate vanos irritoſque conatus irridendos putetis, quo apud Venuſinum poetam ſeſe inflantis, & vitulum æquiparare ſtudentis ranæ conatum ranunculus irriſit. At quando res eſt in hunc locum adducta, vt nec mihi ſit integrum, vtrum velim, cogitare: nec vobis alium quemquam accerſere, vnum illud ſupereſt, quod re tanta recepta poſſim polliceri, me facturum enixè, vt omnes intelligant, actorem hodie ſcenæ, non argumentum defuiſſe.

Sed me in arcem cauſæ properantem inuadere, remorantur quædam in limine. Nomen ſi tibi deligendum fuiſſet vnum ex omnibus, quod aliud præoptare potuiſſes magis auſpicatum, Alexander, quàm quo non vni cuipiam, ſed hominum generi præſidium, opem, auxilium, & remedium pollicereris? Niſi re fallis, idem tu nobis es futurus, qui priſcis fuit Hercules, qui Apollo, qui Dioſcuri, quos antiquitas ſeruatores, malorumque ac triſtium depulſores nominauit. Neque ſanè falles: primordijs enim iſtis penè adhuc incuntis adoleſcentiæ tuæ tam pudicis, ac tam laborioſis, tanquam prædibus, obſtrinxiſti te nobis, vt quantum nomine polliceris, tantum de te expectare debeamus. Qualem iſta emendatiſſima vitæ ratio cenſuram minitatur corruptis motibus ciuitatis? quàm prompta ſtudia promittit periculis amicorum iſta etiam erga alieniſsimos tam propenſa gratificandi voluntas? Quàm fortem ac vigilantem magiſtratum deſpondet ciuibus tanta charitas patriæ? & quod lumen ſeculo ſuo tanta promittit omnium literarum cognitio? Iam verò quæ huius nominis dignitas eſt, quod

quòd ſyllabis conflatur quaternis, ac literis nouenis? Eſt mehercule, vt in recta & decentiſsima proceritate corporis, ſic in longiuſculo nomine quædam dignitas & maieſtas; quam vos agnoſcere minimè ſanè dubito, cum eam multo ante etiam cerdo viliſsimus, & Luciani dialogis notiſsimus agnouerit. Nomen viro Simon fuit. is inſperata auctus hæreditate cum fuiſſet, pudori ſibi duxit, quod nomine appellaretur diſſyllabo, & ſalutatus à vicino Simon, tulit indignè, conuerſuſque ad ſeruulos, Edicite, inquit, mendico iſti, ne nomen meum diminuat, neque me, qui Simonides ſum, nomine decurtato Simonem appellet. Neque tamen longitudinem probo quandam abnormem, quam vix vno ſpiritu poſsimus totam efferre; cuiuſmodi ſuam Plautinus ſeruulus ait fuiſſe, cuius ſunt ij verſus lepidiſsimi: *Si ante lucem ire occipias à meo primo nomine, concubium ſit noctis priuſquam ad poſtremum perueneris.* Si enim vetere Romanorum inſtituto multitudo literarum, quibus nomina compinguntur amicarum, dare numerum debet poculis amatorum, vt ſeptenis cyathis bibatur Iuſtina, ſenis Naeuia, quinis Lycas, Lyde quaternis, ac Ida trinis, quemadmodum eſt in poetæ carminibus, nimis magnum negotium exhibeatur amatoribus, & eos plus æquo prægrauemus, ſi virgunculæ, quam depereant, nomen vltra quindenas, aut etiam vicenas literas producatur. Vicenis ſeſe miſelli proluant poculis? an ſcilicet abeſſe poterit, quin toti turpiter madeant, Soleſque geminos, & geminas Thebas intueantur? Nomina ergo auferte eiuſmodi, quæ poteſtis lagenarum peſtem & perniciem appellare, eaque Comœdijs, Thraſonibuſque & Militibus Glorioſis relinquite. Cæterùm (vt de longis, non de immodicis loquamur) ſi quæ ſit eorum dignitas, vultis vobis conſtare liquidius, ea cum minuſculis quibuſdam & breuiſsimis nominibus comparate. quid de illa exiſtimatis voce monoſyllaba Sus, quod viri Lacedæmonij fuiſſe nomen ait Plato? Quid de illa Pax, ſeu Tax, vt aliqui malunt, qua ſe appellatum fuiſſe dixit

[Margin notes: Putean. Bellar. — Trinum. 4. 2. — Martial. lib. 1. ep. 72. — In Cratylo ſeu lib. 13.]

Syco-

Trinum. 4. 2. Sycophanta Plautinus? quid poſtremo de voce Mys, qua ſeruulum Epicuri vocauit Athenæus? nonne Erycius Putean. vobis nomina huiuſmodi cum ignobilia & contemptiſsima, tum etiam ridicula & nugatoria videantur? At quando adhuc in limine conſiſtimus, ſciti adoleſcentis florem ætatis, & venuſtatem, ac tantam formam, animi cauſa, contemplemur. quid illa magni capitis frons præclara? quàm fulgurant in tanto genarum candore rutilantia labra? quæ faces lætis oculis & illuſtribus? quæ ſtantis, quæ loquentis, quæ item incedentis dignitas? & qualis totam formam commendat Charis? Iam quæ modeſtia ſesſitat in ore? quæ ſigna in ore toto explicat pudor? Neque enim Paridem aliquem effœminatum, aut Phrygium pincernam Iouis, aut meretriculam aliquam, cui mulierum generi poſt pretium forma tantum placet, ſiſtimus vobis, ſed probum, incorruptum, & indole præſtantem adoleſcentem, ſed arculam gemmarum, ſed ſacrarium pudoris, & eum, cui minimè Hector Homericus poſsit imbellem formam exprobrare, Quid Iliad. N. enim illud metuas, Alexander, quod apud Poetam Sophocl. Deianira, nequid detrimenti capias aliquando propter iſtam ſpeciem oris tui? quam ſi videret D. Ambroſius, *ſimulacrum tuæ mentis, & figuram probitatis* appel- l. de Virgin. lare non dubitaret. Metuant molles adoleſcentuli, leues, cupidi, ac degeneres: metuant voluptarij, capite cenſi, egentiſsimi, vitijſque contaminati; non metuat tuum illud tantum ſtudium pietatis, non tanta iſta cura exiſtimationis, neque tam cautè cuſtodita, totque ſepta ac munita præſidijs adoleſcentia. Mihi verò, cum te modò tam promptè, atque tam doctè diuinæ ſapientiæ locos enarrantem, omneſque nullo negotio diſſoluentem griphos, & opes ingenij velut è ſanctiore quodam ærario proferentem audiui, cum dubium eſſe poſſet, oculiſne horum ciuium, an auribus eſſes iucundior, continuò venit in mentem Vlyſ- Iliad l. 3. ſis Homerici, quem aliquandiu tacentem demiratus Antenor ille Phrygius, quod ei nullus forma præſtaret corporis, poſteaquam eius etiam ſententiarum denſitatem

tatem, eloquentiæ ſplendorem, & *verba hybernis ſimilia niuibus* audiuit, cum *ſpeciem Vlyſſis vernante Deus ſermone coronaret*, ita enim loquitur apud Ariſtidem poeta, tum verò ceu quiddam homine maius Vlyſſem ſuſpexit. At quando tanta indole animi, ac tanta forma corporis tantum tibi natura ſuo quodam ſuffragio prærogatiuo indulſit, id ego in omen futuri temporis accipio, ac inde tibi proſperos flatus fortunæ, aureaque ſororum lanificarum ſtamina, & in hac quadam humanæ vitæ fabula non qualeſcunque partes, ſed primas, vates minimè vanus ex hoc loco, tanquam è tripode, aut è Phœbi cortina deſpondeo. Vides, Alexander, hæc munera in hiſce ferculis diſpoſita? Eridis eſſe poma caue putes. Veruntamen quando tuorum bonorum permodica tantùm acceſsio, tua forma eſt, & aurei gladij duntaxat vagina quædam argentea: quando, inquam, puerum Lyſidem refers, cuius Plato venuſtatem, & optimam indolem teſtimonio tantum ornauit ſuo, percommodè cadit, vt his donis tibi paratis poſsim inſcribere: *Pulcherrimus accipiat*. Sed nimis diu in re leuiſsima nugamur. Te verò VIII. Idus Februarias enixa parens fuit, iuuenum optime & elegantiſsime. Nempe vitæ principem, & auſpicem tuæ diem eundem habuiſti, quo Socrates editus in lucem fuit, quo Athenienſes ad Mycalam, quo item ad Platæas commiſſo prælio ſuperiores fuerunt, quo Alexander Macedo tum in hanc vitam introijt, tum è vita exceſsit, quo idem ille Regum fortiſsimus Darium, multaſque Perſarum atque Medorum myriades fudit, quo fuit elatus Amuratus Turcarum Tyrannus deterrimus, quo denique Noe cum illis paucis velut ſcintillis humani generis ſoſpes è dira illuuione, iterum è naui columbam emiſit, quæ mox nuntia rerum lætarum, ſedatæque tempeſtatis cum fronde virente reuertit, O natalem tuum auſpicatum! ò diem lætam, toties in faſtis orbis terrarum albo lapillo ſignatam! ò lucem tot victorijs celebrem, editiſque in lucem tam multis viris præſtantibus, ac præſertim reddita orbi terrarum

Oration. tom. 3.

Lib. 2.

Ælian. l. 2. c. 25.

tranquillitate atque tam optata ſerenitate iucundiſsimam! Nam quid ego quæram ab Aſtrologis, quorum ars, ſi qua alia, fallax & vana eſt, quo ſtatu, poſituque aſtrorum, qua progreſsione aut regreſsione ſiderum ſis natus: quæ corpora cæleſtia tibi naſcenti emicuerint: quis è planetis in tua genitura (quidni enim Aſtrologorum vtamur verbis?) partium principalium dominus fuerit: quàm denique propitiæ, aut maleuolæ ſtellæ minaci aut fortunata radiatione naſcentem reſpexerint? Mirum eſt enim quas coniunctiones planetarum, quam poteſtatem, quos horoſcopos, quos trigonos, quæ quadrata, quos angulos, quas domos, quæ detrimenta, quas exaltationes vaniſſimi omnium mortalium comminiſcantur ac venditent. Iam quæ regna deſpondent? quas ſeries rerum optatiſſimarum? quæ etiam pericula denuntiant? quibus territant minis? Nam de ipſorum reſponſis, & vaticinationibus illud habeo, quod pro certo & explorato poſſim affirmare, multos, quorum ſpes promiſſis ingentibus inflauiſſent, in ſumma egeſtate vixiſſe ſiliquis & pane ſecundo: multos item actos in crucem, & miniſterio carnificum è furcis pependiſſe ſublimes, quibus proſperam fortunam, ſecundos curſus, exituſque omnium rerum, diuoſque faciles deſpondiſſent. Hoſcene ego malim adire de te, Alexander, & ex eorum artis diſciplina quis te curſus rerum, quis exitus maneat, malim conijcere, quàm quibus ſis genitus parentibus, qua educatus in domo, quibus excultus doctrinis, & quibus moribus inſuefactus, intueri? Optimos, ita me Diui omnes ament, & vigilantiſſimos nactus fuiſti tum parentes, tum moderatores, qui ne quò fortè diuaricares in vitia, & nequa tuus animus deprauatione ac fœditate turpificatus à ſe ipſo deſciſceret, ſic te ſuis monitis & præceptis ſtabiliuerunt, quemadmodum agricolæ fulcire ac ſtabilire ſolent arbuſculas, quibus ne tortuoſæ fiant, nèue ventorum violentia perfringantur, vallos videmus apponere. Cum enim per ætatem exiſtimare de rebus aliquid incepiſti, ac vna tecum verecundia

& pu-

& pudor, & metus accreuit, neque non rerum præſtantiſſimarum tum cognitio aliqua, tum amor acceſſit, ipſumque corpus membrorum robore factum ſolidius, & iuſtis viribus conſiſtere viſum fuit, tum verò amandatus es in ludum, imperati ſunt iuges labores, inſtillata pietas, appoſitique cuſtodes continui, qui mores tuos, qui verba, & penè etiam cogitationes obſeruarent, & corruptores adoleſcentulos, quorum ſemper magna ſeges fuit, ſic à te, tanquam à theſauro raptores, & ab ara aliqua profanos amouerent. Hæc ſcilicet mihi non multo certiores coniecturas, quàm Sol in tua genitura iunctus Mercurio, quàm Iupiter in quadrato Solis, quàm in exaltatione ſua Venus, quàm denique vllus poſitus, coniuctioque aſtrorum, debuerunt afferre? Præſertim cum à quo primum literis, velut quibuſdam ſacris, initiatus fuiſti, ita ſemper prioribus certauerint ſequentia, vt nos tui plauſores aſſidui locum interſpirandi nullum habuerimus. Ego verò & iam tum in adoleſcentulo, & modò in iuuene non in cultu duntaxat corporis, in equo quo vehitur, in ſeruulo qui eum aſſectatur, atque in acinace, quem ſuſpendit, ſed etiam in calamis, in libellis, ac in omnibus literarijs inſtrumentis exquiſitam Alexandri munditiem, & elegantiæ ſtudium perpetuum ita ſemper dilexi, probauique, vt indolem in eo Socratici Xenophontis agnouerim, cui cum honeſta quæque ſummæ curæ forent, arma quoque ita placuerunt affabrè facta & expolita, vt nullo ſcuto alio, quàm Argolico, nullo thorace alio, quàm Attico, neque alia galea, quàm Boeotio facta artificio, ac denique alio nullo equo, quàm Epidaurio vſus fuiſſe feratur. Me ſanè iſta non admodum capiunt, ſed tamen habent quandam, vt nouiſtis, exculti & elegantis animi ſignificationem; cum eſſe arbitremur eiuſdem & ſupellectile delectari elegantiore, & animum eximijs virtutibus exornare; quemadmodum eiuſdem eſſe ferunt & aciem in campo, & in triclinio conuiuium aptiſſimè ſcientiſſimèque inſtruere. An qui ſordibus veſtium & maculis, qui corporis ſqualore ac illuuie

Ælian. l. 3 c. 24

tantum offenditur, qui nitori ſtudet apprimè, is qualem circumferat animum, quàm contaminatum, quibus obſitum fæcibus, quàm olidum, non laboret? Nullus hic ſeuerior & auſterior interſit Cato, nullus Diogenes, qui quam in partem accipiant Alexandri virilem hanc lautitiam, hæreant ancipites: aut certè ſi interſunt, ſupercilium ponant, & Empedoclis recordentur Agrigentini, quem ferunt purpura vſum fuiſſe: Pythagoræ Samij meminerint, qui præter veſtem eximiè candidam, coronam etiam geſtabat auream in capite: redeant in memoriam Ariſtippi Socratici, qui ſe Mileſia chlamyde exornabat: eis veniat in mentem Heraclidis Pontici ac Theophraſti, qui ſe corpore nitido, exactoque cultu conſpiciendos præbebant: ſubeat eorum animum memoria tum Ariſtotelis, cuius veſtem ferunt inſignem ac floridam fuiſſe, tum Platonis, quem ſyrma traxiſſe barbaricum nemo ignorat. An ſcilicet vllus Cynicus, pingui, illotaque cute, allium obolens, & corium Alexandro perſultet ac oblatret, quem elegantiæ non minus vitæ, quàm morum, tantis auctoribus videat ſtudere? Iſte porro iuuenilis rubor, qui & modò, & quoties in conſpectu conſiſtis ciuium, lacteæ tuæ fronti ſuffunditur, tanti mihi eſt, vt ſi nobis ſis ignotiſſimus, & hodie primum in has terras delatus, mihi facilè poſſit vnus tuam indolem probare: neque mehercule mihi tantùm, ſed etiam Symmacho, qui dixit, *Quorum mens honeſta eſt, eorum eſſe frontem imbecillam*: ſed & Diogeni Cynico, qui cernens adoleſcentem erubeſcentem, confidere iuſſit, *nam eſſe talem colorem virtutis*: ſed procul dubio & Catoni, qui ex adoleſcentibus ſe malle erubeſcentes, quàm expalleſcentes affirmauit. Quem enim fallit ruborem illum, qui teneras frontes, genaſque ingenuorum depingit, teſtem eſſe modeſtiæ ac verecundiæ, eſſe ornatum vitæ, indicium bonæ mentis, oris elegantiſſimam picturam, & veram notam virtutis? quam enim aliam cauſam habuit Salluſtius, cur Cn. Pompeium oris probi fuiſſe diceret, niſi quod nunquam non coram pluribus erubuit? At enim

Chryſol. Theatr. Rhetor.

I. Lipſ. comm. ad epiſt. 11. Senecæ.

enim cum tanto ſtudio bonarum artium tanta lenitas, animique candidi ac ſynceri facilitas quàm arctis nodis, & quibus adamantinis vinculis tibi omnium voluntates deuincit? Ita mehercule melleus es,& iucundus, vt fel ipſum, quod hoſtijs, quas immolarent Iunoni, adimebat antiquorum religio, detraxiſſe tibi natura, atque penitus è tuis inteſtinis eraſiſſe videatur. Hiccine vt in odio amorem aſsimulet? hiccine vt gerat plumbeas iras? vt ſit conuiciator acerbus? vt vllius vtilitatis cauſa deſerat officium? vt nihil exhibens ſyncerum, clamoribus amicum imitetur? O præclarum adoleſcentem, ac inter candidos Deorum filios numerandum! Cuius vos quidem rationes literarias procedere tam proſperè ſi miramini, cogitate quibus illas adminiſtret auſpicijs. qui ſe lege ſemper teneri putauit eadem, quam aratoribus tulit Græcus poeta, quos, antea quam ſacrificaſſent Dijs, vetuit ſarculum, & vomerem attingere, ac omnino ad vllum diurnum opus accingi. Dies, curas, omnia denique conſueuit à Deo Alexander auſpicari, preceſque ſupplex incipiendis ac gerendis rebus adhibere, gnarus eſſe omne ingenium hebes, niſi quod Deus exacuat, & cunctos (ſic enim dicam) inefficaces conatus, niſi quibus eiuſdem Numen aſpiret. Quæ nauis deuehere curſu ſecundiore poſſit vectores, quàm vbi pro nauta ſedeat pietas ad clauum? aut quis felicius per abrupta & ſalebroſa montis ardui ſcandat eò, vbi templum eſt Honoris, quàm cui supernè manum protendat opitulator Deus? Quid ergo miremur, aut eſſe tam doctum, qui colat tam impensè pietatem? aut eſſe tam pium, quem tot literarum cognitio ad Deum amandum adducat? quotus enim quiſque hoc neſcit, ſeſe hæc duo alternis iuuare, ac ſe mutuis auxilijs prouehere atque fulcire? Illud porro cuiuſmodi eſt, quod in Alexandro cum tam luculenta doctrina eſt tam inſignis coniuncta modeſtia? Si cui genus, ſi cui ſua virtus, ſi cui etiam multæ literæ, quæ præcipuè ſolent eſſe glorioſæ ac ſuperbiſſimæ, ſubdere poſſunt ſpiritus, ijs eſt natus Alexander,ea decora ſibi parauit

Heſiod.

rauit ſuo labore, ac demum tum ſæpe, tum palam in luce huius Ciuitatis ea ſpecimina ſui dedit, vt ſi quis alius, poſsit criſtas attollere, niſi ignem è prunis mallet imitari, quem ex omnibus maximè probabat Anacharſis, & quo in ſuis officinis noſtri vtuntur opifices, quem ita intra ædes adhibent, vt eius totum fumum relinqui foris videamus. Adeſdum, ſuauiſsime Alexander; mihi ſemper, neque mihi tantùm, ſed & optimo cuique tanto maior eris, quanto minus te ipſum, quanti ſis, agnoſces, ac tanto plus ingenio tribuemus & moribus tuis, quanto plus te à iactatione, à confidentia, & à gloriatione abeſſe videbimus. Quid iſta ſermonis feſtiuitas, quam ſemper habes promptam in ore? Nonne illa Hecubam Senecæ & Euripidis, ipſamque adeò Niobem poteſt exhilarare? Me quidem certè nunquam adeò contriſtarunt curæ, aut res aduerſæ, neque ita vlli neruorum, corporiſque dolores exanimarunt, quin ſi te viſendi, alloquendique copia fieret, dilui mihi & abſtergi omnem ægritudinem, omnemque acerbitatem doloris ſentirem alleuari. Cum enim omnia condiat lepos eiuſmodi & comitas, vt non linguam, ſed os totum renidens, ſed animum ipſum hybernis candidiorem niuibus, ſed ipſam fidem cultam olim templis & flaminibus, loqui credamus, eam ſoles minimè ſanè garrulæ, dilutæue orationis vbertatem afferre, vt cum poſſis ſciſcitantibus aliquid nobis vno verbo ſatisfacere, eam porticum imiteris, quæ erat Olympiæ, quam quod pro vna voce multas redderet, Septiuocam appellauerunt. Interfui, cum ſtomachareris, quod indocto cuidam magnarum rerum adminiſtratio traderetur, ac audiui cum diceres, nihil id aliud eſſe, quàm trunco, aut parieti legum tabulas affigere. Cecidiſſe in prælio Guſtauum Magnum, eum qui Germaniam more torrentis peruaſerat: iugulatumque conſpiratione ſuorum Iacobum Stuardum attulerat nuntius horribilis, cum tu Regum duorum necem miſeratus dixiſti, Quidni Corycij Virgiliani, aut Sydonij Abdolomini, qui fortè quaternis conducti obolis hortos

Plutar. in probl. Sympoſ.

Greg. 4.

ſuburbanos colebant, fortunam præoptem, cum *ad generum Cereris ſine cæde ac vulnere tam pauci deſcendant Reges, & ſicca morte tyranni?* Sed illud, vnde noſtram amicitiam ſumus auſpicati, & perſæpe ſoleo, & iucundiſſimè recordari; quod cum me in amore ſuî & in mutua beneuolentia non ita ardentem cerneret, ac me ſibi habere deuinctiſſimum optaret, rogauit aliquando, ecquid nouiſſem, quis amor ſuauiſſimus, & cultu optimus haberetur? ictuſque re noua, & inexpectata cum hærerem, ille continuò ex Plauti Ciſtellaria, Militeque Glorioſo, atque ex Catullo eum docuit eſſe ſuauiſsimum, cum aliqui *mutuis animis amant atque amantur*: cui ſubtexuit illud M. Tullij, *cum par voluntas accipitur & redditur*: addiditque ex 4. Themiſtij oratione fabellam non infacetam, Themidem Iuſtitiæ Conſilijque Deam ad Venerem ex Cupidine recens genito puerperam acceſsiſſe, eandemque ſic allocutam: *Enimuero Amor iſte tuus, quem peperiſti, ſolus quidem gigni, naſcique potuit, ſed augeri ſolus, & creſcere nequaquam poteſt. Si ergo eum adoleſcere, atque ad iuſtam peruenire magnitudinem exoptas, alterum ei reſpondentem gignere te Amorem oportet, quem propterea Græca voce Anterota, hoc eſt, mutuum, & reciprocum nominabis*. Ego verò ſine modò ridere. gnarus enim & prudens, cui rei illas ambages Alexander exquiſiſſet, dedidi me, vt ei, à quo eſſem tam lepidè prouocatus, reſponderem in amore: deguſtatoque adoleſcentis ingenio me puduit, quod tandiu cæcutiſſem ad tantum lumen, ac tandiu tanto ſale, fructuque tam iucundæ conſuetudinis caruiſſem. Me cæcum, me ſurdum, & excordem, me penè ſenſu communi carentem, qui obuerſante quotidie ob oculos adoleſcente tam pudici ingenij, tam recti, tam feſtiui atque Veneribus omnibus expoliti commiſerim, vt eius mihi breuior debuerit vſura contingere! Intendam officia, & quando ope nulla temporis poſſum lacunam explere, enitar ſedulò, vt quibuſcunque potero rationibus ſarciam iacturam. Iam enim

Iuuenal. ſat. 10.

Act. 1. ſcen. 1.

Act. 2. ſc. 1.

Epiſt. famil. l. 5. ep. 2.

Gallut. ad lib. 8. cap. 2. Moral. Ariſt.

enim vtro modo velis, ſiue tantùm vſu, ſiue mali etiam nexu & mancipio, trado me tibi; illudque à te magnopere contendo, vt deinceps nihil in tuis rebus æquè tuum eſſe, atque omnia mea, meque adeò ipſum exiſtimes. Es Alexander, *tantique vim nominis imples*: ſed mea cauſa eſto etiam Achilles. Verùm, ſi tibi certum eſt & conſtitutum adſciſcere aliquem, quem vnicè charum, quem intimum habeas, te per omnia, quæ tibi ſacra ſunt, obſecro, ne me alium eſſe velis, quàm aut Patroclum, aut Epheſtionem. Dixi.

In Laurea

IO. MARIÆ CENTINELLI

PANEGYRICVS.

QVàm vellem delicati ciues permulti, luxuque diffluentes ſic hodie in hoc atrium ſeſe vel laſciuiæ cauſa, inuerecundè, petulanterque inferrent, quemadmodum in Xenocratis ludum ſeſe olim Polemonem intuliſſe ſcriptores rerum narrant, temulentum iuuenem, muliebriter cultum, nequitiaque ac procacitate notiſſimum. Hæc enim ſi ſpectarent, quinam honores habeantur induſtriæ, quàm grauibus auctoribus coronata virtus triumphet, & quàm ſyncero, liquidoque gaudio ex iudicio Clariſſimorum virorum probus adoleſcens perfundatur: ipſos nunc primum effœminatæ, molliſque vitæ pudor ſubiret, neque dubitarent doctiſſimo viro aſſentiri, VNAM diem ſapientis viri immortali æuo ſtultorum antecellere. Qui ſanè, ſi aut ex Trinummi Plautinæ prologo aliquando cognouiſſent, Luxuriæ filiam Inopiam

Horat. 2. ſerm. ſat. 3.

piam

piam eſſe: aut exiſtimare in tanta opinionum peruerſitate potuiſſent, quàm ſuaues, vbereſque fructus ferat hominum animus excultus, ſatis equidem ſcio, illos minimè commiſſuros fuiſſe, vt conſerendi bonis ſeminibus animi ſui tantas opportunitates amitterent, & ſeſe ventri, ſomnoque dederent in ſeruitutem. Conſeſſus huiuſce tantum ſplendorem ſi fortè præſentes intuerentur, primum coniectis in vnumquemque oculis neminem, niſi ſui ipſorum diſſimillimum viderent: tum curioſè percontarentur, quid volentes conueniſſent ſummi viri in locum hunc vnum, & quæ res tanti foret, quæ digniſſimos Areopago ciues contraxiſſet: poſtremò quæ res potiſſimum tantis ſuffragatoribus Ioannem Mariam Centinellum commendaſſet, ſciſcitari non deſinerent. vbi intellexiſſent, hæc præmia pudoris eſſe ac induſtriæ, quæ ſibi quoque parata fuiſſent ac propoſita, ſi delinimenta voluptatum ac otij poſteriora bonis artibus habuiſſent, frontem ſibi fortaſſe ferirent, gemerentque, ac dicerent ſe cæcos, ſe excordes in vita eligenda fuiſſe, ac nihil ex tot ſuis delicijs eſſe cum hac Centinelli iucunditate conferendum faterentur. Sed enim qui corrupti prauis opinionibus perpeti laborem non potuerunt, eos non admodum iniquè feramus, ſua ipſorum confeſſione miſeros eſſe, & eſſe tanti, quanti putres carnes: tu verò, Candidate, qui vides meis conſilijs conſtare fidem, & qui me auctore per callem confragoſum & impeditum virtutis erepſiſti, hodie demum lætus & ouans in amœniſſimo eius ſinu, floridiſſimoque conquieſce. Et verò, quando affirmanti mihi credidiſti, in herbido & molli deliciarum gramine angues latere peſtiferos, & vitæ deſidioſæ laborioſam prætuliſti, temperare mihi non poſſum, quin tibi pro mea copia extemporalem coronam intexam.

Me autem, qui lætor mirificè, oblatam mihi facultatem eſſe Centinelli de laudibus dicendi, quiddam eſt, quod hodie ſollicitum habet, non quemadmodum ſatis ei faciam, quem ſæpe ſummiſſurũ ex pudore

oculos

oculos eſſe ſatis ſcio: ſed quemadmodum concioni ſatisfaciam huic ampliſſimæ, in qua nemo vnus eſt, qui quæ fœnum lutumque Centinellus, ipſe aurum ac gemmas non exiſtimet. Tantæ reſpondere expectationi quamquam intelligo perarduum eſſe mihi ac difficillimum in tanta tenuitate ingenij mei, tamen animum iam ad ſuas partes peragendas incitatum retardabit nihil, non exiſtimatio veſtra, non argumenti dignitas quantacunque, quæ quanto maior eſt, tanto iuſtiorem eſſe, magiſque debitam, ac neceſſariam præſentis diei gratulationem nemo negabit. Atque vt hinc oratio mea proficiſcatur, poteſtne vllis duabus rebus pulchrius conuenire, quàm quod is, quem orno, amiciſſimus eſt, & quem amo, eſt ornatiſſimus? Nam quod aliqui explorandæ naturæ illius, quicum coniunctiſſimè ſis victurus, complures annos ponendos præcipiunt, quod multis ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur vnius cuiuſque natura, vultuſque hominum & oratio perſæpe mentiuntur: neque temerè in re tanta progrediendum eſſe; faciunt illi quidem cautè ac ſapienter. Sed cum ſapientum amicitias contrahat admiratio virtutis, aliquando ſerum eſt expectare, dum ille ſalis modius vetere prouerbio notus conſumatur. Ioannem Mariam Centinellum ſic videas, vt non continuò probes? probatumque quæ ratio eſt, cur non ante amore tuo dignum ſtatuas, quàm multi occidant, redeantque ſoles? Dies equidem minus multos fueram Centinello familiariter vſus, quàm quot dies in inſula Corcyra apud Alcinoum Vlyſſes conſumpſit, cum in me ita quædam admirabilis exarſit erga ipſum beneuolentiæ magnitudo, ac ita me ſtatim ipſi totum dedidi, vt nulla exceptione loci, nulla temporis, omnibus ſeruirem commodis ipſius; vt ſummus repentè amor nec longi temporis expectauerit conſuetudinem, nec ſolertem vllum conciliatorem deſiderauerit. Non ſi mihi poculum diluiſſet amatorium, potuiſſet me ſibi aut conciliare maturius, aut aſtringere vinculo maiore. Ij ſanè, qui puellarum

Cic. ad Q. f. l. 1.

inſa-

inſaniunt amoribus, vim oculis, vim totius corporis venuſtati ineſſe quandam diſputant, quæ obtutu, primoque intuitu animos in amorem accendat: capique ſeſe verbulo vno, aut oculorum vno coniectu, neque capi tantùm, ſed etiam irretiri, illigarique, atque nodis æneis deuinciri queruntur. Ego verò tametſi amandi cauſas eiuſmodi procul habeo, atque porro, ita me Deus amet, procul ſemper ſum habiturus, (quid enim eæ me percellant, qui me vitæ alijs & longè diſſimillimis inſtitutis addixi?) tamen præ me fero me Centinello vinculis arctioribus aſtringi, quàm quibus Prometheum ad Caucaſi montis ſaxa Mercurius, & quibus Nymphæ Andromedam alligauiſſe rupi feruntur. Centinello cum ſim nodis deuinctus ſempiternis, malim tamen omnia, quàm vllum Perſea, velut è machina, qui me reſoluat, vendicetque in libertatem. Neque ſanè ſeueritatem moror eorum, qui meum conſilium philoſophicæ rationis ac diſciplinæ ad obruſſam reuocantes, mihi dicam leuitatis impingant, quod impetu ac feſtinatione in amicitia inſtituenda delinquam. Me neque adhuc moris huiuſce mei pœnituit, neque poſthac pœnitebit vnquam, quoties huius viri ſimiles adſciſcam. Oculus, qui ſenſus eſt acerrimi, nonne ſpecie ſtatim capitur rerum præſentium: oblatiſque bonorum artificum, tabulis pictis ſtatim inhæret? auris quid expectat? quæ ipſo tinnitu de auro argentoque iudicare pronuntiareque non dubitat. Scilicet ſola de amicitia conſultatio totas ſalinas ante conſumat oportet, & prius baculo fulcienda noſtra ſenectus erit, quàm ea præſidia nobis adiunxerimus, quæ poſſumus ab amici fide, beneuolentiaque expectare? Spatium ſi mihi fortè ſumpſiſſem ad conſultandum: ſi cum de re tanta deberem conſtituere, hæſitaſſem diutius: ſi amplius deliberauiſſem: totum ſi perſcrutatus hominem fuiſſem: ante ſi totum excuſſiſſem, quàm aleam iacerem: ſi vatem, ſi Delphicum conſuluiſſem oraculum: ſi vigil noctes in hac vna cogitatione plures exegiſſem; anne mihi conſilij mei ratio magis conſtitiſſet?

ſtitiſſet? Sed hæc fortaſſe vberius, quàm ſit neceſſe. Dicam hoc ſanè veriſſimum, felicitati meæ me multum debere, quæ me copulauerit cum eo ciue, à quo omnis officij poſſim exempla deſumere: & cuius in beneuolentia magnam dignitatem, ſummas opes, maxima præſidia, & omnis vitæ conſtiturum eſſe, mihi putem fructum vberrimum. Nihil ipſe mihi fingere, nihil à diuis ipſis exoptare potui melius ac magis ex animi mei ſententia. At enim, qua parte tanti Centinellus fuit, vt eius cauſa rumpenda mora fuerit, & multo ante iuſtos dies, legitimumque tempus ad dexteras iungendas, fœduſque amicitiæ Pyliadeæ feriendum, fuerit conſilio ſanè præcipiti decurrendum? quid illud eſt, me quod adeò Centinelli in amorem illexit, vt abſtrahi diuellique non poſſim, eoque à me aliquid repoſcente, minimè mihi ſolutum rear eſſe, vtrum velim cogitare, eiuſque voluntati ac ſtudijs aduerſari religioſum habeam, ac ſi quid, vt ſæpe fit inter amicos, enixius contenderit, me vix eſſe liberum meminerim? Me verò permulta ceperunt, humanitatis genus quoddam ſingulare, ſtudium eximium artium optimarum, depictaque foris coloribus veriſsimis in oculis, in habitu totius oris, ac in omni munere vitæ, candidi animi ſyncerique imago. Qualis ſit Centinellus, quàm recto ſemper talo ſteterit, quàm totus amicorum ſit, quàm dignus omnium amore, qui re non comperere, animis exiſtimare non poſſunt. Nam quod legimus in fabulis experrectum potius, quàm conſternatum præſenti periculo Herculem illum Thebanum, angues Iunonios, cum adhuc vagiret in cunis, ambos compreſſiſſe manibus, & præfocatos eliſiſſe, totum id fictitium eſt, neque aliud, quàm fabuloſum commentum poetarum, qui tot à ſe excogitatis monſtris, ab apro Nemeo, à Gerione tergemino, & à Lernea hydra quodammodo metuerunt orbi terrarum exitium, niſi fatalem item aliquem virum ſic ipſi carminibus, vt pueri tomento, chartaque ſolent, in tot monſtrorum perniciem finxiſſent, A me quod de Centinello magnificentiſſimè dicitur,

dicitur, idem ſcitote veriſſimè dici. Quo tempore relictis pueri nucibus aliquid de ineunda vitæ ratione ſtatuere poſſunt, pro veſtra, Viri Clariſsimi, nouiſtis prudentia, quæ tum eos monſtra circunſtent. Diui boni! quæ peſtes malorum illi articulo ætatis, quo tota ſpes nititur futuri temporis, inſidiantur? Cupiditas, impudentia, mulieroſitas, ignauia, perfidia, omniſque intemperantia; nos omnes hæc monſtra in vitam, tanquam in aliquam viam ingreſſos adoriuntur, vt alterutrum ſit neceſſe contingere, aut ex imbecillitate perpetuam turpitudinem aut ſummam gloriam ex victoria. Hæc te, Centinelle, monſtra cum penè adhuc puerum vrgerent, cum pro vno dracone, qui Apollinem in Delo, & pro anguibus duobus, qui Thebis Herculem appetierunt, in te permulti rictu infeſto inueherentur, num tibi excidit exterrita virtus? num conſternatus animo feciſti, quod plerique ſolent, vt accipere leges, quàm ferre malles? Secus omnia. neque enim tibi parentes defuerunt audendi, vincendique auctores, qui te Latonæ verbis ferire iuberent, ferroque in tantos hoſtes vindicare: neque item defuit animus, vt quæ parentes ſanctiſsimè præcepiſſent, exequereris obſequentiſsimè. Sed cedo quos puer hoſtes domueris. an, inquam, paucos aut imbecilles? Improbitatem domuit cum vniuerſo eius, ſpurciſsimoque comitatu & ſatellitio: tunc prauæ opiniones vel reſectæ, vel excluſæ: tunc proſcripta ignauia, cui tamen nunquam, & nuſquam patria defutura eſt: tunc definitum gulæ, quone cibo potuque vteretur largiore, quàm ſapientum, & chriſtianæ leges præſcriberent: tunc frænata eſt ſeſe obſcœnius excitans natura: tunc euulſa ab ipſa ſtirpe arrogantia: tunc denique circunſcripta, & conſtantiſſimis decretis confixa, conciſa, & iugulata quæcunque cupiditas, quæ quidquam perperam aut in ſermone, aut in vita ſuaderet: iam quidquid eſt, putum ſine fæce, & incorruptum aurum eſt. Inſultare Centinellum cuiquam, aut ſuperbius cuiuſquam fortunam deſpicere? Fabulæ. cum acerbius & aſperius quemquam acciperet?

re? logi meri, putres hunc adoleſcentem oculos in vllam ſpeciem deponere? gerræ, nugæque. Neque enim os eius verborum magis & ſermonis, quàm comitatis & modeſtiæ quædam officina eſt; quemadmodum nec oculus mollis vllius petulantiæ potius eſt ſedes, quàm pudoris ac dignitatis. quid cætera? cuiuſmodi ſunt? non pes extra orbitas euagatur, non vox, non manus, non venter, non denique pars vlla corporis: ſed artus omnes, tanquam obſequentes, beneque morati ciues ſic ſub optimo animo, tanquam ſub laudatiſſimo principe nequeunt non eſſe laudatiſſimi, & quiſque non optimè in ſuo munere verſari. Nam quod olim dixit Democritus, *ſi corpus animum in ius vocaret, non futurum, vt ille muneris ſui malè adminiſtrati crimen effugeret*, valet illud ſanè inibi, vbi exlex animus & vecors, & cæco furentique Polyphemo ſimillimus, cum ſit corporis quidam velut inquilinus, corpus tamen in ipſum nimis impotenter quoddam ius regium exercet: & illud non modò crudelem ſuperbamque dominationem, ſed ignominioſam etiam & flagitioſam ferre cogit: adeoque ſeruilem ac indignum in modum eo abutitur, vt non contentus membra modò ſingula, modò vniuerſa obijcere periculis, nullo non afficiat contumeliæ genere, quæ ad fœda quæque miniſteria, ad periuria, ad perfidiam & fraudem, ad aſſentationem, & lenocinium, ad vim & latrocinia, ad hominum, diuorumque iniurias, ſibi velut pro iure ſummi imperij deſeruire compellat. Quemadmodum ſi quis dicat, corpus ipſum damnatum ſententijs omnibus iri, ſi animus illud in iudicium adducat, atque de vi, de iniurijs, atque de maieſtate poſtulet, valebit id quoque ſicubi apud quemquam ſenſus atque membra, conſpiratione ſcelerata, contra herum ac regem animum, bellum ſeruile ſuſcipiant: & velut equi calcitrones effrænique ſeſſorem excuſſum, deiectumque curru aurigam, captiuum per ſpurciſſimas omnes nequitiæ vias raptent, & eius, quem diuinæ particulam auræ non ſine cauſa appellauerunt antiquorum ſapientiſſimi,

mi, ita vilem, proiectamque habeant auctoritatem ac dignitatem, vt ſub iugum mittant, legeſque à ſe ipſis accipere, ventrique ac fœdis omnibus libidinibus cogant obedire. Cæterum ſi corpus obſequens eſt: ſi animi eſt in corpus imperium iuſtiſſimum, quæ ratio eſt, cur alterum alteri controuerſiam moueat? & quam iudicio perſequetur iniuriam? Illud verè dicunt artium principem artem eam eſſe, ſcire pluribus imperare. At cum homo græcorum prouerbio parui cuiuſdam mondi inſtar habeat: & cum in eo forma etiam ſit quædam reip., nihil eſt in artibus ea diuinius arte, quæ frænat & compeſcit illos tumentes, & quodammodo ad ſeditionem ſpectantes motus animi, omneſque diſponit actus humanos, vt omnium partium animi, omnium corporis habeat functiones ſibi obedientes, ſuoque ex nutu temperatos. Sed quid agimus? obliti ne ſumus, hoc nunc eſſe nobis propoſitum, Centinelli laudes commemorare? Immo agimus id ſanè. Neque enim in eo magis aliud miror, quàm ſic in vno viro, tanquam in aliqua Platonis rep. & parendi & imperandi vices, formamque eius rei optimam & præſtantiſſimam. Sedet ſcilicet in hoc florentiſſimo adoleſcente ratio regina, temperatque æquis legibus mores Centinelli: moderator cupiditatum pudor cenſuram quandam gerit, nec ſinit vnquam malam peregrinitatem in tam caſtum animum immigrare: ira ſatelles eſt, ſed cum ea moderatione, ne temerè cuiuſquam ad iniuriam excurrat: præſto ſunt agiles ſenſus, dictoque audientes: omnia denique ſunt eiuſmodi, vt nullæ ſint cytharœdi magis conſonæ fides, quàm quæ ſunt in Ioanne Maria Centinello corporis, animique facultates. Et quamquam conſuetudini ac diſciplinæ, quæ feras etiam cicures efficit, multum debes, Centinelle, tamen indolem iſtam vnde hauſeris, dubitare vix poſſum. quis enim dubitet, è domo tua quin hauſeris? Nam quod de Hibernia ſcribit Gulielmus Neubrigenſis, illam eius præ cunctis regionibus dotem eſſe, nullum vt gignat animal venenatum, nullum reptile noxium: certamque

Lib. 2. c. 26. rerũ Anglic.

ac

ac citam mortem eorum animalium eſſe, ſi forte aduehantur alicunde; dici de domo tua poteſt aptiſſimè, nullam ibi trucem atque præcipitem iram eſſe, nullam grauiorem arrogantiam, nullam linguæ procacitatem, denique auaritiæ, libidiniſque, ac cæcæ cupiditatis nullum veſtigium: neque in tanta ac tam peruulgata hominum peruerſitate plus vobis improborum obeſſe conſuetudinem atque vicinitatem, quàm ceparum, alliorumque vicinitas roſis obſit ac violis, quas elegantes agricolæ tum demum meliores eſſe futuras arbitrantur, ſi cepas & allia ſeuerint in proximo, quod quidquid in illis acris atque grauis odoris ineſt, totum in ea refundi perſuaſiſſimum habent. Quis fratrem è tuis multis optime Centinelle quempiam vnum nouit, omnes quin nouerit? Neque enim quod alia cuiuſque ætas eſt, aliud ſtudium, alius cultus corporis, atque adeò alius etiam color, habituſque oris, propterea patiar vos opinari, aliam atque diuerſam eſſe morum rationem: ſed cum natu maximus in cauſis, iudicijſque verſetur, Io. Maria ſit ſacrificulus, duo reliqui faciant mercaturam, ne mihi contingant quæ velim, niſi ſunt omnes eadem in officio diligentia, & ſimillima in amicitia fide, gemina in familiari conſuetudine comitate, in omni munere vitæ compare innocentia & pietate; vt cum vniuerſos fraternè diligam ne mihi quidem liqueat, cui primas debeam in amore deferre. Quid enim verbis opus eſt? ſunt omnes eiuſmodi, in quibus etiam nunc, quaſi exempli cauſa, veſtigia antiqui officij remanent. Hos dum attentius intueor, quod facio & ſæpe & libentiſſimè (neque enim eo mihi vllum iucundius ſpectaculum eſſe poteſt), tum demum quales hominum mores illo ſeculo Saturnio fuerint, poetarum tam inclyto carminibus, ex moribus vnius familiæ videor aliquid conijcere. Quiſque magna induſtria curant res ſuas, ac earum ita ſatagunt, vt quid agat, quid cogitet vicinus, fugitent quærere. præcipuè gaudent animorum tranquillitate, ac ita ſunt toti rerum ſuarum, vt non linguam, non oculos, non manum,

Plut arc. de diſcr. adulat.

num, niſi fortè auxilij cauſa, porrigant ad alienas. Non circum tabernas, forumque concurſant otioſi: non foris liguriunt cum congerronibus, ſtultiſſimumque & flagitioſiſſimum eſſe putant, fallere tempus. quiduis eis potius, quàm artes Sinoniæ, placet: quidnis potius, quàm Corycæorum mos improbus, nefarius, & piraticus, circunſpiciendi ſemper velut è ſpecula, captandique rumuſculos omnes, abſuntque ab eo longiſsimè, vt & ſe ipſos rebus alienis immiſceant, & ſuis alios velint immiſceri. Nam vt cuiquam oblatrent, vt inuideant, vt incommodent, ne poteſt quidem illis in mentem venire. Neque tamen hæc laus innocentiæ ita propria horum fratrum videri debet, vt cum eorum maioribus non eſſe communem exiſtimetis. Qui hoſce cognitos & perſpectos habet, is ſe parentes eorum atque maiores exploratè nouiſſe ſibi perſuadeat; vt poſterorum dum indolem tam rectam videt, ſciat ſe naturale quoddam ſtirpis eius bonum videre. Anne ſe legibus Ægyptiorum & Sinenſium teneri Centinelli exiſtimant, quibus erat illud præcipuè cautum, ne non liberi omnes in artes paternas ſuccederent? Iam olim apud Græcos omnibus, quicunque è genere Pelopidarum eſſent, humerum eburneum contigiſſe fama conſtans fuit. Centinellorum generi probitas contigit, effuſa humanitas, facilitas, benignitas, munificentia, & ea lenitas ingenij, quam omnis ætas tantopere in Ageſilao, in Cyro, atque in Lælio commendauit. Sed enim vix vllus profectò ſit loquendi modus, ſi ſtudioſè velim quæcumque friuola, vulgò tamen gratiſsima & maximè popularia colligere, atque in hunc ſermonem conferre. Quid enim dicam, huius paternas ædes, amicorum omnium penu quoddam eſſe, & inibi à verecundo illo ſanè, ſed tamen munifico Baccho notis ignotiſque pocula miſceri? quid addam coniuiorum elegantiam & apparatum, quibus facilè cuiuis Centinellus oſtendit, ſibi quoque ita priuatam frugalitatem placere, vt publica magnificentia delectetur? Nolo hæc memorare in tanta copia rerum aliarum, quæ ſingulæ

Herod. Melp. & confuratio ſaluſſa Barbonum.

vocem videntur oratoris expectare; præſertim cum Centinellum quoque audire videar imperantem hæc miſſa fieri. Pareo non inuitus. ſedenim num illud etiam ſileri iubet, quo ille ſanè quotidie ſibi quemque deuincit? Eius voluntate dicam, ſi potero: ſin, dicam tamen eo inuito ac repugnante, Nihil ipſo pernicius eſſe, cum alicui nauanda opera eſt, nihil ipſo acrius, nullum amicum fortiorem eſſe, qui non metuere ſumptum, non defugere laborem, non excuſare negotium, non deſerere amicorum tempora vnquam nouit. Diui omnes, ſi me vnquam ſupplicem audiuiſtis, amicos pleroſque leto peſsimo afficite, qui præter phaleratas voces & fallacias, præter inanem ſtrepitum,& ambitioſa quędam officia verborum nihil præſtant amicorum temporibus. Me iam dudum conficiunt ac enecant canoræ quædam aulicæ næniæ, quibus ſibi mutuò credatis alterum alteri religioſiſsimè animas addicere. Videatis licet blandas conſalutationes, amicos complexus, hilares compotationes, cæteraque officia humanitatis. quibus hominibus laruam ſi detrahatis, aut per aliquam rimulam introſpiciatis in animos, O rem indignam! ne vmbram quidem cernere liceat ſynceritatis. fucata fictaque omnia, liuore, diſsidijs, ac ſimultatibus corrupta vniuerſa. quid faciatis hominibus huiuſmodi? In hos ſtomachatur poeſis, hos inſectantur hiſtoriæ, hos deuouent diris omnibus apologi, hos vox omnis ſapientum execratur, hos damnant, iugulantque verbis grauiſsimis literæ vniuerſæ, hos denique præcipuè deligunt, in quos incurſent, quos feriant, concidantque quantacumque poſſunt ſatyræ acerbitate. Temporum hi ſunt amici, ac rerum, non hominum: dum aſsident ac inuiſunt, & deducunt; dum ſalutant, inuitant, exornant; dum occurrunt, amplexantur, ſuauiantur; dum profitentur, dum offerunt ſe, dum omnia prolixè pollicentur, ardereque ſe cuiuſquam ſtudio declarant, quid faciunt, niſi ſumma ſimulatione amoris, ſummaque aſsiduitate, fictiſque illis officijs, & illa ſimulata ſedulitate, ſceleratiſsimè, inſidioſiſsimèque

meque fallunt? palam blandiuntur, clanculum obtrectant: præſenti arrident, in abſentem pus & venenum euomunt: promiſsis largiſsimi ſunt atque adeò profuſi, at vbi tempus monet, ne Plautino quidem Trinummo, illigatum ac pereuntem amicum laqueo expediant. O mores hominum! ij verò ſanctiſsimum amicitiæ nomen vſurpent? Hos, Diui, tollite ex orbe terrarum, Centinellum nobis in exemplum reſeruate, Centinellum bonis omnibus cumulate, qui nihil facit frequentius, atque nihil procul dubio lubentius, quàm vt ſe totum porrigat ad alienas vtilitates. Nam quæ ratio magis liberalis eſſe poteſt in amicitia, quàm vt neque grauatè facias, ſi rogeris: neque te rogari patiaris, ſi rem, ſi vitam, ſi dignitatem videas amicorum periclitari; neque beneficium imputes, vt Plinij vtar verbo, ac illud odioſa exprobres commemoratione; neque ſicunde fortè ipſe beneficium accepiſti, agenda referendaque gratia defatigeris? quæ à me ita dicuntur vniuersè, vt his verbis, ceu quibuſdam coloribus Centinellum depingi velim credatis, de quo, quod olim de Megaronide Callicles, dicere iure poſſitis, *ex amicis certis eum nobis certiſſimum eſſe*. Quid enim tres Charites numero, poſituque ſuo ſignificarunt, quod Centinellus ſuis moribus non expreſſerit? Eum ſi fortè beneficium rogatis, minimè vobis Agoraſtoclis, minimè Stratippolis adoleſcentum Plautinorum vſurpandæ querelæ ſunt, quorum alter tardum & podagroſum amicum, alter amicum nihili, & oratione duntaxat beneuolum incuſat. Hîc verò locus eſſe poteſt querelis? Vix enim eſtis ſyllabam poſtremam elocuti, immo ſi videat ipſe quo ſint loco res veſtræ, & intelligat ſe vobis vſui eſſe poſſe, ante poſtremam, atque adeò ante primam ſyllabam præſto eſt, iam ſe dat in viam, iam ſe ad opem ferendam comparat, iam exhibet, & ſiue rem, ſiue operam cauſa veſtra deſiderat, omnia, ſumma voluntate, repræſentat; vt ſeptem à Seneca conſcriptos de Beneficijs doctiſsimos libros contriuiſſe videatur. Nam illud cuiuſmodi eſt, quod leuiſsimorum etiam officiorum

In Paneg.

Plaut. Trinum. 1. 2.

Pœnul. 3. 1. Epidic. 1. 2.

æſtimator, in ære ſe eſſe alieno credit, niſi amico vicem officiumque fœnore multiplicato reddiderit? cuiuſmodi illud etiam, quod ſi quid præſtitit, facillimè ſubrepit obliuio: cum eorum, quæ accepit, neque gratia intercidat vnquam, neque memoria? Quæ ſanè in re ſi non ſeruiſſe materiæ, vt ait idem Seneca, ſed indulſiſſe videor, habet ea res ſi non ſapientem, & certè probabilem excuſationem amoris mei; cui cum Centinelli pietas, induſtria, conſiliumque ſummopere probatur, tum eius in amicitia fides, ſynceritas, ſedulitaſque, earumque rerum memoria & commemoratio eſt multo iucundiſsima. At enim qua notus arte eſt; & qua valet facultate? non arbitror expectare vos, dum de re nautica, aut militari, muſicaue, aut dum de mathematicis, aut geometricis dicam. Conſilio valet, pietate, induſtria, doctrinaque. quid enim dicam amplius? quæ pars enim eſt reip., quæ huic rectè mandari non poſsit? aut quæ tanta negotia, quibus non aptè poſsit tanta vis ingenij, tam perſpicax ad intelligendum, ad agendum tam acris & vehemens, præfulciri? Quoſdam rei militari, quoſdam moribus caſtigandis, annonæ quoſdam præficiunt. ſunt quibus lites & forum, quibus curam rei familiaris, quibus Eccleſiaſticas, quibus politicas præfecturas mandant. alij denique alias curas & ſtudia, veluti monſtrante natura, ſequuntur; quos aliò ſi transferatis, continuò locus fit illi prouerbio, *Non noſtrum onus, bos clitellas*. paucisſimi ex omni memoria antiquitatis ſunt inuenti tam ingenio felici, feracique, artes qui complures poſſent promittere. Quid quæritis? Ioannes Maria Centinellus humaniores literas tradere iubetur præceptor humaniſsimus? non temerè quempiam nominaueritis, qui eius in eo munere officium deſiderauerit. Nobilis iuuentus committitur ei ſeminibus pietatis conſerenda? omnium approbatione, omniumque teſtimonio religionis munus illud obiuit. Traducitur aliò ad excubandum in Seminarienſi quadam vigilia? dexterè, vigilanterque in ea ſe prouincia geſsit. Poſt aliquantò Helue-

Lib. 5. de Benef.

ad attic. lib. 5.

Heluetiorum in collegio ſtudijs florentiſsimæ iuuentutis præficitur, vt rei totius literariæ arbiter ſedeat: ita ſuperauit in eo quoque munere omnium expectationem, vt nemo gloriam benè geſtæ reip. maiorem reportauerit. Ticinum inde proficiſcitur, vt celeberrimum Collegium Borromæum ſuo nutu gubernet: fecit, & ea quidem opinione prudentiæ, diſciplinæ, ac lenitatis, vt neminem pœnituerit, vnum præteritis multis lectum Centinellum fuiſſe, qui admodum adoleſcens florem Italicæ nobilitatis faceret ſuis præceptis meliorem. Mediolanum denique ad idem Heluetiorum Collegium reuocatur, vt inibi ſedeat ad clauum, & ſuis illud conſilijs, imperioque moderetur: eo præcipuè in magiſtratu ſuam lætis geſtientibuſque nobis ſapientiam mirificam probauit, ac hodie probat; quod cum adoleſcentes multitudine plurimos, ætate præferuidos, patria remotiſſimos, nec lingua magis, quàm moribus diſſonos regat, eos nullo negotio vniuerſos continet in officio, dictoque habet audientes. O tuam, Centinelle, motoriam fabulam, vitamque deſultoriam! ò vim admirabilem, multiplicem, verſatilemque ingenij tui! ò aliorum de te omnium ſplendida ac honeſta iudicia! ò te fortunatum, qui vulgò tam impensè te videas amari, coli, ac diligi, quod imperio quiddam maius eſſe dixit Symmachus! ò denique te virum mirificum, quem omnibus comitijs, & quibuſuis competitoribus quotidie nouum aliquem gradum ſcandere, & nouum magiſtratum adipiſci videamus! Hos gradus honorum penè citius, quàm dico, Centinellus conſcendit, ac ita conſcendit, vt non ambienti, ac ſæpe ne cogitanti quidem delata ſint omnia, ac ſemper à quoque tanto dignior habitus fuerit, quanto minus cupidus. In relat. ad Imp.

Sed oratorem, vt vos quidem V. C. videtis incitatum ea cogitatio tanquam iniecta manu retinet, reuocatque de medio curſu, cum interſint tam multi, non eſſe ab eo rationem habendam vnius: nec ita Centinelli ſtudio auferri illum oportere, vt non meminerit, quandiu, quos ciues, & quàm occupatos re-

moreretur. Quando ergo agitur res tanta, quæ nullis clepſydris poteſt exhauriri, dicendo progrediamur eatenus, vt ſatis officio fiat, offenſa vitetur; ne ſi modus deſit, quis fortè nobis mores muliebres objiciat, & Clitiphonis Terentiani paulum immutatis verbis nos obiurget, *Dum poliuntur, dum comuntur, annus eſt*. Atque ſanè, vt eo regrediamur, vnde ſumus profecti, eliſerat, compreſſeratque adhuc à matre rubens Hercules, *cum tener* adhuc *in cunis iam Ioue dignus eſſet*, angues nouercales; reique miraculo obſtupefactus Amphitruo nihil habuit antiquius, quàm vt rectà ad vatem Tireſiam decurreret, & eum quid illud portenti foret, quidue eſſet infantulo futurum eiuſmodi, conſuleret. Amphitruonem Tereſia bono animo iuſſit eſſe: ipſius non ſpes tantùm, ſed etiam vota Herculem ſuperaturum: comprobaſſeque iam prærmatura fortitudine animi originem ſuam, quæ puero contigiſſet maior, quàm vt ad ſe vllus mortalis rem traheret, ordineque cuncta vaticinatus fuit, ac inde orſus, quas aues confixurus eſſet, longam ſeriem pertexuit eius operum immortalium, multaque de Centaurorum ſtrage cum eſſet executus, quos tyrannos aut regnis incubantes alienis, aut imperio abutentes impotentius, excuſſurus ſolio foret: quos gygantes neci daturus: quos apros, quas hydras oppreſſurus, commemorauit: ac ſimul illud addidit, eum, cum ſuis aliquando humeris Cælum fulciuiſſet, & cum Ditis quoque imperuia regna penetraſſet, tum demum ad diuos exceſſurum fuiſſe. Hæc Amphitruoni vates. Ego neque Caſſandra ſum, neque Tireſia, vt præſentire de Ioanne Maria Centinello poſſim in poſterum, ac vt ei me de arte, quàm non teneo, debeam venditare. Veruntamen qui ſciam exploratè, quo ille pudore, modeſtiaque ſuam adoleſcentiam commendauerit bonis omnibus: qui norim eius ſtudia bonarum artium: qui viderim quantum ille tam corrupto & corruptore ſeculo reſtiterit cupiditatibus: & quemadmodum illud, quod præfigebat cunctis ſuis epiſtolis diuinus Plato, BENE AGERE, ſapienter & conſtanter

Heaut. 1. 1.

Ouid. in Deian.

Pindar. Nemei. ode 1.

ter conſilijs ſuis ac decretis omnibus penè puer præfixerit, vt & præſentiſcam ipſe aliquid, & eloquar alijs, quid ego vate opus habeam, quid hariolo? Centinellus, neque mentior, integra fama, diuis, hominibuſque fauentibus progredietur: à calumnijs, contumelijs, liuore, ac inſidijs vitam traducet inoffenſam: & illi ſemper opes, honores, ſacerdotia, magiſtratus denique velut è cælo in ſinum deuolabunt. de me certè (quid inquam de me tantùm?) de omnibus ita quotidie benè mereris, vt quiſque tibi Tireſia malit eſſe, quàm aut Calchas Homericus, aut furiarum maxima Celæno Maroniana, aut denique Tethis, quæ Achilli filio, ſi Troianam expeditionem ſuſcepiſſet, obnuntiauit, inſidijs interceptum iri, & immatura, acerbaque morte periturum. Dixi.

Iliad a. Æneid. lib. 3. Mythol. Natalis Comitis c. Achilles.

In Laurea
ASCANII CARENI
PANEGYRICVS.

QVamquàm non ſum neſcius, me nunc ab ijs auditum iri, qui propter eloquentiam copioſius, & propter ætatem, amplitudinemque ac dignitatem grauius eſſent dicturi; tamen cum hæc inauguratio amicis omnibus lætitiam non mediocrem, mihi verò multo maximam afferat, haud ægrè perſuaderi ſum paſſus mihi, munus hoc dicendi à me potiſſimum expectari. Atque de mea quidem voluptate, qualis demum ea ſit, & quàm omnes animi partes perfundat, dubitare vix poteſt, qui meminerit, hunc, quem vos concilio frequentiſſimo, ſententijs omnibus ornauitis,

ſtis, meæ alumnum diſciplinæ fuiſſe, & aliquando ſic è meo ludo, tanquam ex equo Troiano, prodiſſe. Anne cauſam, gaudio cur efferantur, iuſtiſſimam habeant agricolæ, ſi arbores quas dudum paruulas ſeuerunt, & quibus colendis quotannis impenderunt curam, iam videant iuſta proceritate eſſe, fructuſque edere vberes ac tempeſtiuos: itemque iuſtiſſimam habeant opiliones & paſtores, ſi gregem, quem ſummiſerunt, depulerunt ab vbere, paſtum propulerunt, ſeruaruntque tam diligenter, pinguem, lætum, atque fœcundum conſpiciant; iuſtam non habeant præceptores, qui tam impenſa cura iuuentuti ſitienti fontes eloquentiæ recludunt, ſi ſuorum alumnorum efferentem ſe virtutem, ac foras emicantem intueantur, eoque ſpectaculo non afficiantur intimis ſenſibus, & florentem iuuentutem illorum, ſuam quodammodo iuuentutem eſſe ducentes, non exultent, vt inquit Seneca, & diſcuſſa ſenectute recaleſcant? Sed enim & ſæpe mihi, & hodie præcipuè, Cyrum illum Xenophontis eſſe imitandum exiſtimo, qui poſt illud prælium, diemque decretorium, quo Aſſyrios, diuis, hominibuſque nitentibus edomuit, atque ſuo inuitos imperio parere coegit, cum in hoſtibus illis ſuperbiſſimis debellandis mirifica tum ſua felicitate atque fortuna, tum militum ſuorum alacritate ac virtute fuiſſet vſus: eoſque re tam benè geſta vocatos ad concionem, à ſe veræ laudis præconium vellet audire, ab eo rem exorſus fuit, vt Dijs gratias ageret maximas, quorum beneficio indita militibus ea mens fuiſſet, vt mori, quàm vinci præſtare putarent, & ſibi ſummis laboribus atque periculis de imperio eſſe dimicandum ſtatuerent. Ergo huius Regis exemplo faciam, vt tibi, Deus optime, magis intimis ſenſibus, quàm oratione accurata, quas maximas poſſum ac debeo, gratias agam; cuius munus eſt, Aſcanij Careni indoles tam eximia & eius ingenij tanta vis & bonitas. Tibi omnes haud dubiè tantam conſtantiam adoleſcentis acceptam referimus, vt molli ac eneruata otioſorum ratione nullam negotioſorum quantumuis

Epiſt. 34.

Cyrupæ lib. 4.

uis laborioſam exercitationem non potiorem duceret! vt ad literarum atque doctrinarum tum dignitatem, tum felicitatem ne comparanda quidem voluptariorum regna contenderet: vt ita ſe compararet, vt cum humanæ vitæ fabulam peregiſſet, ac è vita, tanquam è theatro exeundum foret, minimo ſuo periculo ad ſeuerum tuum iſtud, atque inexorabile prætorium abriperetur: ac denique ſuas cogitationes ita dirigeret, non vt inquit ille, ad illam paruulam cynoſuram, *Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto*, ſed ad helicen, id eſt, ad te non vitæ ſolum, ſed etiam beatæ immortaliſque vitæ auctorem. Nam illud cuiuſmodi eſt? quod ingenioſo huic adoleſcenti, eiuſque naturæ ineſt philoſophia, vt illis vtar veteribus verbis, quæ doctis notiſſima ſunt. hæc enim illi vnde, niſi à te, Deus Immortalis, cælitus in animum deciderunt? vnde hæc illi contigere, niſi ſummo tuo beneficio, qui velut de alio quodam luto meliore fingenda tibi Aſcanij præcordia ſumpſiſti? Ergo quas tibi dignas vterque noſtrum pro meritis grates agere poſſumus? Nam ſi Pythagoras ille Samius, quem haud ſcio an rectè primarijs non modò aggregem, verùm etiam anteponam philoſophis, nunquam dubitauit, quin ex vniuerſa tua mente diuina delibatos animos haberemus, Aſcanij de animo, Clementiſſime Deus, me quid dicere, quidue ſentire par eſt, tam pudico, præſenti, excelſo, niſi plus eum neſcio quo modo hauſiſſe de fonte tuo, magiſque de inexhauſta tua munificentia ſe poſſe iactare? Ergo te plurimum colo, Deus Immortalis, ſanctèque veneror, illud enixè precatus, tua vt munera non modò conſerues, verùm etiam cumules, animumque iſtum Aſcanio, animoque iſti tempus quàm longiſſimum tribuas. neque huius potius adoleſcentis cauſa, quàm mea te precor, quod cum Aſcanio tantum indulgeas, ego ex ea re illud commodi capio, quod eius laudis, quæ tibi tota iure optimo debetur, mihi aliquam particulam hominum opinio adſpergit. Ab hac precatione, atque ab huiuſmodi gratiarum officio ad vos venio, Ciuium lectiſſimi. atque

Aratus.

Socrates

Cic. de ſeneƈt.

ſane

ſanè à principio hoc præ me fero, hoc prædico, & quidem clarè diſertèque, me vt exaudire poſſitis, meę hunc alumnum diſciplinæ fuiſſe. & peto hanc veniam, vt actione hac tota liceat mihi meam laudem cum Aſcanij Careni laude coniungere. Non equidem philautia præcipuè laboro: neque ingenium, aut fortuna, aut denique vlla mea res alia eiuſmodi eſt, verè vt poſſim gloriari. Qui ſi modò me huius Achillis Chironem eſſe, clara voce profiteor, non magis id mihi crimini dari poſtulo, quàm dari Apelli poſſit, aut Protogeni, ſi vterque exiſtens ab inferis, ille quidem ſe dicat Veneris Coæ, hic verò ſe dicat Ialyſi, quas imagines ipſi arte ſua, ſuo ſtudio, ac penicillo elaborarunt, auctores, artificeſque fuiſſe. Nemini, ne ei quidem qui fortè mihi ſit iniquiſsimus, inſolens videri debet huiuſmodi prædicatio: Huius adoleſcentiæ magiſter morum ego fui: mea inſtitutione atque præceptis meliorem atque doctiorem hunc effeci: meæ vigiliæ artem huius & facultatem pepererunt: & quem pene adhuc puerum, omniumque literarum ignarum in diſciplinam accepi, paucis poſt annis criſi, poeſi, atque oratoria inſtructum dimiſi. Antonio equidem & Margaritæ parentibus Aſcanij, ciuibus omnium confeſsione integerrimis, quibus neque ſuauius quidquam, neque candidius habet Italia, nolo controuerſiam mouere: neque adeò ipſis inuitis atque repugnantibus maiorem partem huius florentiſsimi iuuenis mihi vendicare. Non ita ſunt meriti de me, vt poſsim ſine flagitio cum iiſdem ſummo & inimiciſsimo iure experiri. At ſi res in controuerſiam veniat, eiſque litem conteſter, quid illi, amabo vos, contra meam rationem poſsint afferre? Cum enim omnium ſapientum conſenſus Vegetij eam vocem comprobauerit, *Fortes viros à natura paucos, doctum neminem procreari*, ea ſe re Aſcanij parentes iactare facilè patiar, quod hominem genuerint, atque in lucem ediderint, ſed perbreuem, nudum, vagientem, ſed puſionem membris imbecillis, nondum vtentem ratione, omnis expertem officij, nondum neque virum bonum,

Lib. 3. c. 26.

num,

num, neque ciuem præclarum. In quo ſi laudem maiorem ſunt meriti, quàm mus in procreando mure, aut lepus in gignendo lepuſculo mereatur, non abnuo, quin eam ſibi Antonius & Margarita totam tribuant; modò mihi eam laudem concedere ne grauentur, quòd voce, cohortationeque mea & aliquot annorum inſtitutione Aſcanium ita multis bonis rebus cumulauerim, vt qui pene recens à nutricula venerat in meum gregem, qui certè mihi planè rudis in diſciplinam traditus fuerat, is nunc valeat multis rebus, ingenio, iudicio, ore, ſtylo, veniatque in numerum doctorum & elegantium virorum, de quaque re non minus aptè concinnèque ex tempore, quàm ſumpto ſpatio diſſerat, in omni officio perquàm ſit diligens, & ratione item, atque oratione callidè cum primis ac ſcienter vtatur. Quæ ſi tantum præſtant, quantum ipſis tenebris lumen, luto aurum, & cupreſſi viburnis ac myricis, quid valdè repugnent parentes Aſcanij, quo minus me multo plura & præſtantiora filio, quem ipſi ſuſtulerunt, dediſſe concedant? Iam ſi mea repetam, atque ſi ornamenta, quæ dedi, velim detrahere, Aſcanio quid relinquam adoleſcenti omnium humaniſſimo, præter nuces, atque inſcitiam, & ineptias puerorum? Ne quid grauius dicam, *moueat cornicula riſum*. Quis enim dubitat, quin alium pater Demoſthenem, alium Andronicus Hypocrita genuerit? Ad illum velut conflandum & compingendum ſummum oratorem cum vterque ſua munera contulerint Parens, atque Sophiſta, quantillum eſt quod Demoſtheni filio parens Demoſthenes dedit è ſuo? quàm multa Demoſtheni alumno, & quàm præclara dedit præceptor Andronicus? Nempe ſenſus & membra feræ quoque habent, & catulis ſuis tribuunt. Quamquam cum præter puerilem educationem nihil Demoſthenes, niſi corpuſculum à parentibus acceperit, illud ipſum cuiuſmodi fuit? plus ſatis calamitatis habuit à natura, ſuiſque corpus incomparabilis viri. Nam voce ferunt eum abſona fuiſſe, lateribus autem ad forenſem contentionem nimis imbecillis,

Horat. 1. epiſt. 3.

Digitized by Google

becillis, porro humeris abſurdis, quorum alter inter loquendum incommodè ac penè ridiculè aſſurgeret, lingua denique tam impedita, vt ne primam quidem literam artis, quam ediſcebat, poſſet pronuntiare. En qualem Herculem, ò Demoſthenis parentes, veſtræ noctes ediderunt. Iam verò qualem, quantumque Andronicus Demoſthenem peperit? Tam conſtante fama atque re tam certa & celebri me mentiri & temporis cauſa quidquam fingere nihil attinet. Humanum Cycnum peperit Andronicus, Græciæ delicias, Reip. vocem, dignumque immortalitate virum, qui ingenij ſui admiratione Athenas illas Atticas impleuerit, dextrè obierit omne munus Reip., ſæpe dicendo Græciam totam permiſcuerit, ſuis pro temporum varietate modò induerit, modò detraxerit arma, & confeſſione omnium gentium ac ſeculorum Græcæ parens eloquentiæ audiuerit, quo denique maius nihil, nihil magis comptum, elegans, acre, vehemenſque non græcæ, non latinæ literæ nouerint. Qui hunc videat, qualem ſuis præceptis finxit rhetor, prō balbo diſertiſſimum, pro inficeto, & inſuaui elegantiſſimum, pro fœdo monſtro ciuitatis oraculum, publici auctorem conſilij, claſſicumque Reip.; hunc Demoſthenem dicat, atque adeò deieret, & poſito quouis pignore certet, non à Demoſthene parente, potius, quàm ab Andronico Hypocrita genitum fuiſſe. Antonio quidem ſuum aſſertum volo. Illi tu, Aſcani, per quem iſtum ſpiritum, quo viuis, iſtam communem lucem, qua frueris, atque iſtud corpus quo ſentis, nactus fuiſti, tantum debeas licet, quantum cui plurimum; & parenti optimo pius filius & obſequentiſſimus eſto. Non augeres in vrbe numerum, niſi ille vitam dediſſet; abſque illo fuiſſet, nec ciuis, nec vir eſſes. attamen quem gigneret, & qua filium virtute ac indole, adeò ignorabat, vt te dum procrearet, ne illud quidem poſſet diuinare, marem ne, an fœminam vxor eſſet enixura. De me non temporis duntaxat, verùm etiam modeſtiæ cauſa dicam parcius. Præceptori quid debeas, ipſe videris;
ci

ei nimirum, qui te ad iſtam tantam laudem ingenij, atque ad iſtam exiſtimationem vulgi produxit. Quidquid in te organicum eſt, quidquid elegantiarum, quidquid elaboratum affabrè, quidquid comptum & expolitum, id moderatori, rhetorique tuo à te acceptum referri, cenſeo æquiſſimum. Nam quod in Platonis diſcipulis percenſendis, vnam eorum, alteramue decadem Plutarchus enumerat, quid agit? quantulæ eæ copiæ ſunt, & quàm exiguus numerus auditorum, ſi cum ijs conferantur, qui quotannis ex magna frequentia mei ludi, ſeni minimum, octoniue, aut etiam deni, tales exierunt, vt hodie Mediolanenſem Eccleſiam ſumma laude ingenij ac probitatis illuſtrent? Neminem ego verò recordor eorum, quin protinus in omnes partes animi mei mirifica quædam voluptas illabatur, & quin videar magnum aliquid Eccleſiæ noſtræ præſtitiſſe. Nunquam in Aſcanium, bonum meum genium, incido, mihi eius nunquam venit in mentem, quin continuò ſumma dulcedine deliqueſcam. fateor me nullis ſtatuis ad nominis mei memoriam diuturnam egere, qui auditorem eiuſmodi, & eiuſdem argillæ alios permultos, niſi fata inuideant, ſim ſuperſtites relicturus. Quid enim vlla potius deſiderem muta ſigna, rigentia, & communis ſenſus expertia, quàm eos ciues, qui prædicatione, ſtudio, ac obſeruantia gloriam meam augere non deſinunt, & rem in eam opinionem adducunt, vt multi me aliquid eſſe arbitrentur, qui tot manipulos atque centurias nobilium & præſtantiſſimorum auditorum habuerim? Nulla porro coniectura conſequi potes, Aſcani, quanta iucunditate, quod perſæpe facio, eius ipſius temporis meminerim, cum ego ſtudium veſtrum, laboremque & tanquam exactor intendebam, & tanquam particeps, ſociuſque releuabam. Quid enim illud? quàm non magis ad voluptatem ſuaue, quàm amplum & magnificum ad dignitatem, tam multos ad nutum meum ſolitos fuiſſe circumagi, tanta alacritate ſe ſe mutuò ad rem gerendam incitaſſe, vni omnes tanto obſequio & ſilentio aſſediſſe, ſeque

In Platonis vita.

Digitized by Google

vniuerſos vni tam ſtudioſè probauiſſe? At enim cum Alexander Macedo illud à Lyſippo contenderit, vt eorum equitum fortiſſimorum, qui ex ipſius turma pro Aſiæ imperio apud Granicum agmen cecidiſſent, marmore vultus & ſimulacra effingeret, ſuumque illis interponeret; quam ego vicem, (quod pene flens dico) tam bonis reddam, atque tam benè meritis adoleſcentibus, qui me adhortante nunquam non omnem laborem ſuſtulerunt? Eis à fama perſoluam, quæ latere non patietur tantam virtutem obſcuram & inornatam. perſoluam à manificentia Principum, qui ciuibus tam eximijs producendis, aliorum inuitari æquique induſtriam, cenſebunt ad imperij ſui rationes pertinere; denique cumulatiſſimè à ſua ipſorum conſcientia perſoluam, quæ magnopere ſemper probabit, quæcunque temperanter, honeſtè, ſobriè, laborioſèque aliquandò fecerunt. Quid verò, ſi chorus adoleſcentum eiuſmodi, literis informandus à vobis, ad ludum veſtrum ventitaret, quid, inquam, faceretis, Galli, Scotique literatores, quos fama eſt, vltra humanum modum plagoſos eſſe, & inclementius in veſtros alumnos deſæuire? Anne in eo locum eſſe virgidemiæ cenſeretis? Qua ſinguli ſint indole, cognoſcite. Eos ſi experfacitis, iam ſtant: ſi vultis eos ingredi, iam currunt; id ipſum ab ijſdem ſi exigitis, iam aduolant. Ergo flagro quid opus eſt? quidue ferularum eo ſtrepitu, qui Amniſtij vxorem, magnamque partem ciuitatis ad ſeditionem conſternare poſſit? denique quid attinet vos in pueros tam promptos & ſequaces veſtram carnificinam peragere? Iſta mihi ratio, nulla parte, poteſt probari. Nam ſi, qui vobis traduntur in diſciplinam, alieni ſunt à re literaria, & more Phrygum nulla re niſi plagis emendari poſſunt, quid quotidie manus veſtras eorum ſupplicio temerare mauultis, quàm eos militiæ aut mercaturæ ſeponere, reiue addicere familiari, ac omnino à ludo ablegare? Cæterùm ſi ephebos nacti eſtis è ſententia, quos beneuolentia blandiſque monitis, quocunque lubet, ducere poſſitis, quæ demum iſta laniena eſt, liberos

T. Liu. Dec. 1.

ac

ac ingenuos, matercularum inter oſcula, nutricumque blanditias educatos ſic à vobis cædi, quemadmodum non remiges cædantur à piratis, ac triremium præfectis? aut quàm abſurdum artes omnium humaniſſimas tam inhumaniter non tradi, ſed inculcari, neque ſanè inculcari, ſed in ſummum odium adduci? Quin potius illud animaduertitis, quid equis generoſis vſuueniat, quos popyſmate, palpoque longè melius, quàm ſcutica & calcaribus edometis, cum ſi durius tractetis, refractarij fiant, mordaces, retrogradi, & calcitrones? Sed à me ſatis multis verbis acta cauſa puerilis eſt, ad Aſcanium redeamus, adoleſcentem ſtudio ſui Rhetoris, mutuaque beneuolentia ſempertam dignum, quàm alij multi eius odio ac ſimultate. De me verò quiduis malo, quàm vos illud exiſtimare, me rerum mearum amore intemperantius inſanire: Syneſ. epiſt. 1. ſimiaſque imitari, quæ poſteaquam pepererunt, in fœtibus ſuis, tanquam ſimulacris, contemplandis ſic obtutum defigunt, eorum vt pulchritudinem ſatis nequeant demirari. In hac enim re haud ſanè temere poſſum confirmare, mihi ſemper iudicij mei rationem conſtitiſſe. Fuere quos ego, vt ille apud poetam, primo in pretio, quos item in ſecundo, quos denique, Plaut. etiam extra pretium haberem: nec defuere quos faſtidirem, ſtomacharer, ac ferre non poſſem. neque in vtriſque amandis, auerſandiſue ſecutus vnquam ſum aliud, niſi pudorem in alteris, induſtriam, & concinnitatem: in alteris ignauiam, ſtuporem, moreſue Scythicos, atque agreſtes, quos Apollo nuſquam intra Parnaſſi fines conſiſtere pateret. Ades, Aſcani, atque niſi te pudor impedit, narra ſodes aliquid de vigilijs tuis, vt nos de te aliquid ex verbis tuis exiſtimare poſſimus. At quando loquendi, quàm agendi parcior es, frontemque perfricare neſcis, me ipſum allega, aut quempiam alium eloquentiæ promptioris, qui de te, more maiorum, iuratus teſtimonium dicat: aut etiam, ſi mauis, ex antiquitate remotiſſima Plinium Secundum accerſe, qui aptius & conuenientius facere poteſt nihil, quàm ſi tibi ea ſua verba accommodet:

Epiſt. 9. lib. 8. modet: *Neſcio quid ſit otium, quid quies, quid denique illud, iners quidem, iucundum tamen, nihil agere.* Me certè ſi quis roget, quemadmodum tantis vnum adoleſcentem literis inſtruxerim, ſanè videor idem poſſe reſpondere, quod olim Lampis pirata nobilis reſpondit cupidius interroganti amico, quo pacto nauium L. claſſem parauiſſet? *Primam*, inquit, *nauim permagno ſanè labore, cæteras non item, atque adeò nullo penè negotio.* (Plutar. num ſeni ger. reſp.) Mea difficultas vniuerſa, Aſcanij circa rudimenta conſtitit. primæ illæ notiones tradendæ fuerunt puero, ſi non inuito, certè quanti illæ forent, ignaro: fuit illi depingenda ſpecies ac dignitas literarum: dediſcendæ nugæ, animuſque vt ferre laborem vellet conſuefaciendus. Sed tamen exigui temporis hæc moleſtia fuit, deinceps enim, perinde quaſi Mercurij talaria ſuis pedibus induiſſet, Pegaſeaſque addidiſſet alas humeris, ac totis ignem medullis concepiſſet, eo ſpiritu, ardoreque ſpatia literaria percurrit, vt facilius admiſſas in Olympijs quadrigas retinere, & vectam vehementiſſimo Euro nauim remorari potuiſſetis. Iam literis atque doctrinis refertiſſima quædam officina eſt: mirorque illud maximè, quod cum florum omni genere, ac frugum niteat ingenium Aſcanij, nemo tamen adhuc extiterit ex eis, quibus minus vberes, lætæue eiuſmodi ſegetes prouenirent, qui Aſcanio diem dixerit, quod alienas literas excantarit, ſuumque ad animum deuocauerit; quemadmodum diligentiſſimo iampridem colono, cui & Ceres & Liber vberiore largitate fauerent, multoque quàm vicini eius omnes, largius conderet, (vt Columellæ vtar verbo) (In proœmio ad lib. de re ruſt.) diem eſſe dictum ferunt, quod fruges alienas carmine malo excantaret. Quamquam vnam vtriuſque & eam quidem honorificam, peramplam, ac penè heroicam defenſionem eſſe video, quæ nihil opus aduocatione habeat. Veneficij poſtulatus colonus egregius, non patronorum eloquentiam, non fautorum gratiam, non iudicum clementiam ſibi eſſe implorandam ſtatuit; ſed quo die vadimonium obire oportuit, boues habitiores &

præ-

præpingues adduxit in iudicium: tum vomeres, falces, runcones, palas, ſarcula, bipalia, cæteraque ruſtica inſtrumenta & numero plurima, & genere optima: denique vernulas quoque villicoſque valentes, & agricolationis apprimè gnaros ſtitit iudicibus, adiecitque, Hiſce veneficijs vim eam ineſſe, vt aruo per incuriam ſqualente vicino, ſuum exuberaret: vt emaciato proximo agro, rariſque ac inanibus ſpicis ſpem fallente agricolæ, ſuus fœnore multiplicato ſemen acceptum redderet, impleret aream, farciret horrea, cœnaſque inſtrueret. culpam ſi propterea commeruiſſet, ſe minimè pænam deprecari, neque abnuere, quin carnifici noxiæ dederetur. Te Aſcani doctiſſime, ſi quis ob eam cauſam criminetur, colloque obtorto rapiat in iudicium, quod nullo, aut admodum exili aliorum multorum prouentu, ipſe literas feliciſſimè colueris, quid ipſe tibi aras proſpicias? Bibliothecam oſtende, forulos affabrè factos, pluteos elegantes, feſtiuamque copiam libellorum tuorum, quos cupidè ac penè vſque ad emacitatis reprehenſionem paras, alioque penè terrarum ab orbe accerſis: tum noctes tuas Atticas denarra: tum commemora congreſſus tuos, conſuetudinemque cum doctis viris: illudque adde, difficilius pleroſque otium ferre, quàm te laborem: neque retice, quantum oliui, quantum atramenti impenderis literis: denique doce & quandiu libellis impalleſcas, & quàm diligenter omnia eloquentiæ, omniſque doctrinæ liberalis conſequendæ cauſa feceris: neque illud præteri, à te ne partem quidem anni ad quietem conceſſam, quæ quotannis ex vetere inſtituto, omniumque legum permiſſu interquieſcere licet, languori ac deſidiæ datam fuiſſe; ſed vix vllum tempus aliud, vtilius à te, atque fructuoſius poni ſolitum eſſe, quàm illud, quod liberum ſolutumque otio tranſigi conſueuit. O præclaram, diuinamque ac omnibus triumphis potiorem defenſionem! Atque ſanè de prioris eius temporis induſtria, vigilijſque Aſcanij, quandiu ille apud mea, ſic dicam, ſigna, ſtipendia fecit, neutiquam ego poſ-

ſum dubitare, ne cui temerè videar rem incognitam pronuntiare. Cum enim mihi proximus Aſcanius ipſos tres annos aſſederit, atque in eum oculos meos cum quotidie depoſuerim, fuerimque per totum illud tempus, rationum eius literariarum cognitor & inſpector, non magis ipſe mihi vllo teſte de ſua modeſtia ac diligentia probare debet, quàm de laude militari, de armorum tractatione, de fortibus factis, atque de mortis contemptu probare Cyro Chryſanta debuerit, quem in prælio locum ſibi proximum obtinuiſſe Cyrus ipſe in concione memorauit. Studium huius adoleſcentis quàm ferueret, & quàm ad eximiam gloriam properaret, hiſce oculis egomet perſpexi. Ipſe pro meo munere, ſtyli operam mandabam, ille cumulatè mandata exhauriebat vniuerſa: imbecilli corpuſculi eius ego ſæpe rationem habebam, ipſe contra nitebatur oſtendere, ſibi vires corporis ad alia quoque ſupereſſe: cum ego parcerem ætati, ipſe ſine radio mihi ſuos labores admetiebatur. Illa tum fuerunt. hodie qua voluptate me creditis, Viri Clariſſimi, perfundi, cum Aſcanium audio, aut latina oratione, in qua planè regnat, ad viros doctos verba facere, aut publicè ad populum loqui, & quod muſtela facit, quæcunque Aſcanius olim aure concepit, ipſum ea nunc ore parere, atque ad audientes proferre? quæ cum audio, atque cum ea celebrari ciuium ſermonibus intelligo, (apud amicos non diſſimulabo, quo morbo laborem.) rem tacitus ad me traho, neque mihi eatenus duntaxat placeo, quod auctoritate auſpicioque meo ac meis præceptis eas facultates ac artes hic nuper ephebus didicerit, quas hodie in iuuene ciuitas noſtra miratur ac ſuſpicit; ſed ego idem huius erudiriſſimi iuuenis ore tam diſertè videor dicere, ſtyloque eius tam caſtigatè ſcribere, ac eius pedibus tam expectatus in concionem prodire. Ita enim ſi diſputem: Voce mea vox Aſcanij conformata eſt; is me nitente ad hanc opinionem doctrinæ peruenit; omnem ſuam copiam hauſit à meis fontibus; huius eloquentia, quæcumque demum

Xenoph. Cyrupæ lib. 4.

Plinius lib.

demum ea ſit, me parentem ac nutritium agnoſcit: Ita, inquam, ſi diſputem, quis mihi vanitat s, aut etiam quis arrogantiæ crimen impingat? Niſi fortè aliquis rudis totius antiquitatis, qui neſciat clariſſimis Regum Agamemnoni & Menelao nec vanum dialecticum, nec virum arrogantem viſum Vlyſſem fuiſſe, qui pugnas Achillis, & merita præſtantia, plurimaſque victorias de hoſte, pugnas ſuas fuiſſe, ſuas victorias & merita, palam in concilio atque iudicio Græcorum & confidentiſſimè prædicare non dubitauit. Non loquor rem obſcuram, ſed quam doctiſſimo carmine Poeta exequitur. De Achillis enim armis, qui ſpe oblata nuptiarum, per inſidias & fallaciam interemptus fuerat, atrox inter Vlyſſem & Aiacem exarſiſſe certamen, neminem paulo doctiorem fugit. Res ad arma ſpectabat, & gliſcente vtrinque indignatione, facilè apparebat contentionem non tralatitiam futuram, cum de concilij ſententia in eo rem verti placuit, vter illorum Regum maiora præſtitiſſet; vt quem fuiſſet iudicatum, magis cauſam Græcorum iuuiſſe, is virtutis ergo, Achillis armis donaretur. Vlyſſes, niſi quid conſilio expedis, quo vales plurimum, ac niſi leoninæ pelli, vt eſt in vetere prouerbio, vulpinam aſſuis, arma tibi diuini Herois eripiuntur, quot enim cæſorum hoſtium aceruos dextera tua cumulauit? quot filios Priami mucrone tuo interemiſti? quot Reges, & illuſtres animas ad Orcum demiſiſti? harum rerum nihil verè cum poſſet memorare, neque adeò vllum facinus militare feciſſet, quod cum Aiacis multis & præclaris facinoribus poſſet conferre, callidam rationem inijt, qua vinceret in ea dimicatione aduerſarium. Achillem Vlyſſes latitantem deprehenderat, & velut manu ad eam expeditionem traxerat inuitum. hoc vnum Vlyſſi palmarium fuit. tam fortem virum quod extraxiſſet è latebris, & ſociale bellum capeſſere coegiſſet, adeò ſe hac vna re magnificè glorioſeque iactauit, vt omnium quæ toto bello Troiano geſſit Achilles, gloriam ſibi vendicauerit. Quod illius haſta Telephus vulneratus fuiſſet, quod eius viribus

Ouid. Metam. 13.

Homer. Iliad. 1. Ariſtides orat.

tribus exciſæ funditus Thebæ, quod Lesbon, Tenedon, Syron, aliæque vrbes XX. vi captæ de hoſte, quod Hector ille inclytus ſingulari certamine fuiſſet iugulatus, quod denique Achillis impulſu, Pergami Regnum concidiſſet, eorum ſe diuinorum operum non auctorem modò, ſed etiam effectorem Vlyſſes pronuntiauit. Huius exemplo Regis, præſertim cum eius factum ſuffragio & ſententijs ſuis ſapientiſſimi iudices comprobauerint, glorioſus incedere non verebor; qui licet balbus ſim, at Aſcanium ad eloquenquentiam inſtitui; atque vt me literas neſcire fatear, at alui, meiſque præceptis eum adoleſcentem inſtruxi, cuius mirabiliter effloreſcit oratio.

Attamen quid agis, Alexander? Satietatem & ex ea offenſam tot nobiliſſimorum ciuium non vereris? Deſino. Qua es humanitate, Aſcani, & comitate, præceptorem tuum non grauaberis in communionem & ſocietatem tuarum laudum admittere. Quandiu perges iſta regia via ad gloriam proficiſci, nunquam ipſe deſinam de tuis coronis aliquid decerpere, quo meum caput exornem. Inſtitutione meus es, es meum opus; te totum aſſero mihi. Qui ſi meos labores in te velut comendo & expoliendo conſumptos remunerari curæ habes: ſi cupis velut nutritia perſoluere: ſi viam & rationem demerendi rhetoris tui ſtudes inire, eam tibi præmonſtro: Noli per quem profeceris, diſſimulare. Dixi.

In

In Laurea

CHRISTOPHORI BARELLÆ

PANEGYRICVS

Qui inſcribitur Nauigatio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAre, vſumque totum rei maritimæ, ac rationem nauigationis vniuerſam reprehendi, damnarique neque nouum eſſe, neque admirabile, documento eſſe poſſunt duo poetarum nobiliſſimi Horatius atque Claudianus, qui eorum hominum, qui ſe dubijs flatibus pelagi trucis committere, ac fragili rate oceanum diſſociabile tranſilire, diremptaſque interiecto mari terras per tot diſcrimina quærere non vererentur, ſunt nefariam, impiam, & præcipitem audaciam deteſtati. An eſt veriſimile poſſe cuiquam perſuaderi, vt ſine cauſis grauiſſimis per vndas matribus execratas, atque per mare turgidum, ſcopuliſque infame vectetur? Tam eſſe cuiquam vilem hanc vitam, vt eam periculis, inſidijſque infidi pelagi obijciat? neque tot vetuſtis, tot recentibus miſerorum naufragijs ab alea iacienda tam periculoſa abſterreri? non Caroli V. Africana expeditione, non Britannica Philippi II. quorum claſſes diſiecit ſæua tempeſtas, quatenus ſit ventis, marique fidendum, quemque admoneri? denique tam auidè quemquam ſpem ſequi lucri, vt quos Deus fixit, reuellat terminos, & quietis, ſecuritatiſque pertæſus rapi ſe per æquor inuium ac impenetrabile patiatur? Nam vt ſit cuiquam iucundum (ſi modò cuiquam ſano poteſt iucundum videri) ſit, inquam iucundum, è litore, aut è Luculli villa

Lib. 1. od. III.

Ante libros de raptu.

Neapolitana fluctibus euerberatas moles, inhorreſcens, concitumque ſæuis tempeſtatibus mare, candidas in æquore præferuido vndas, nauesque naufragas intueri. ſit otioſis ſpectaculum iucundum triremes cum Noto, aut cum Aquilone luctantes, in latus inclinatas, luxatas earum compages, dehiſcentes carinas, maloſque diffractos, nautaſque fluctibus obrutos ac demerſos ſpectare. Sed etiam, vt periculum abſit offenſionis, ſit ſpecies iucunda nauis, quæ onuſta peregrinis mercimonijs flatu feratur ſecundiſſimo: ipſa ſtructura nauis cum ſuis armamentis: tot in ea ſinus, tot rudentes, eiuſque regendæ ars tanta quemuis oblectent. Me nidulo meo, ſtabilique domicilio lætum nemo vllis conditionibus permouebit, vt velim ventorum perpeti ludum inſolentem, ac eis ludibrium debere; præſertim cum M. Catonis meminerim, quem ſenem ſemper pœnituit, quod quò equis, quò pedibus, aut vehiculo potuiſſet, itinere maritimo maluiſſet peruenire. Artificium ſanè præclarum demiror concinnandæ, extruendæque nauis, ſed tamen *onus vehat ardua puppis*. Minimè tamen vitio vertere poſſum Platoni, quod ſemel iterumque mari ſupero nauigauit in Siciliam, vt inſanientem Dionyſium, & ſuperbè atque crudeliter imperantem ad bonam frugem conuerteret. non ijs, qui cum Niliaco, aut Indico cataplo quotannis maria percurrunt. non Equitibus Hieroſolymitanis, qui claſſe ſua, ac ſuis periculis bellum piratis internecinum indicunt. non Chriſtophoro Columbo, qui poſitas in Gaditano freto metas Herculeas præteruectus, ſemper ob oculos imagine obuerſante mortis, terras incognitas indagauit. denique non alijs deinceps, alijſque heroibus fortiſſimis, quos ſuam communi vtilitate ſalutem poſteriorem habentes, ſtudium idem nouarum gentium, nouarumque regionum inueſtigandarum penè ſolis extra terminos deportauit. Chriſtophoro verò Barellæ, qui numerum hodie doctorum virorum auget, etiam pono in ſumma laude, peragraſſe quoddam velut æquor ſcopuloſum, & in fluctibus oceani circun-

flui

fluiſ ac procelloſi adoleſcentiam penè totam tranſmiſiſſe. Mediterraneus ille quidem eſt, natuſque in media continente, ac mare nuſquam, niſi fortè in tabulis geographicis vidit; & quid æſtus, quid fluctus ſit, quid ſyrtes, ac tempeſtates, vixdum aliquid è libris, aut ex hominum ſermone potuit conijcere. Dum tamen cogito, quemadmodum otio repudiato ſe Candidatus contulerit ad literas, & quanto molimine ſyntaxin ab initio, exinde rhetoricen, ac poſtea vtramque ſapientiam didicerit, quarum ſunt fines latiſſimi, & cognitiones difficillimæ: perque tot caſus, cum tam cerebroſis præceptoribus, cum tam procacibus condiſcipulis, cum tam arduis difficultatibus conflictatus diſciplinas tam varias cognouerit; mihi ſanè ita videtur, primò Chriſtophorus Barella tentaſſe pedibus ac vado pelagi oras primores, mox lintre ſummum litus raſiſſe, denique benè inſtructa naui fuiſſe longius prouectus, immenſaque ſpatia pelagi non ſolum remis & palmulis, ſed etiam plena velificatione percurriſſe, ventiſque ac procellis inuitis iter peregiſſe inſtitutum, ac poſtremò auctus magnis opibus iam ad ſuos in portum, vnde ante annos aliquammultos exceſſit, nauigio laureato remeare: planèque alius ac idem ſe ſuis propinquis & amicis ſiſtere, ac optimorum parentum, reditu optatiſſimo, gaudium integrare. Nam ſi quis Barellam roget, quis ita ipſi ex chalybe finxiſſet præcordia, vt adhuc adoleſcentulus otij poſthabita dulcedine, oblituſque tum patriæ, tum auiæ trementis, tum ſuauiantis nutriculæ, in fidem ſe Neptuni, qui fidem nullam nouit, tradere ſuſtineret; minimè dubitaret reſpondere, ſe perleui nauigio elegantem, variamque doctrinæ ſupellectilem apud ignota litora exquiſiſſe, vt aliquando reip. fortem ac præclarum ciuem præſtare, & aliquam ex ſe ſuis ciuibus poſſet vtilitatem afferre: ac illud adderet, ſibi perſuaſum habuiſſe, in tantæ comparatione rei neque vllum recuſandum laborem, neque vllam reformidandam dimicationem: & ſi quando aut reflarent venti aduerſi, aut nulli ſecundi aſpirarent, remos non

deſuturos fuiſſe. Qui ſi cunctari, & ſegnius nauigationem capeſcere eſſet viſus, parentes habebat eiuſmodi, qui eum foras propuliſſent: quorum ſi inſtantium non valuiſſet auctoritas, in promptu ſeueritas erat: ſi nihil opis fuiſſet in monitis, neque in cohortationibus, victum malis, domitumque contumelijs exegiſſent ex ædibus, & peregrè qualis & vir, & ciuis eſſe deberet, diſcere compuliſſent. Quantum enim hi parentes parentum abſunt à vulgo, quos ne infans euadat ſtrabo, ne petis oculis, ne buccis fluentibus, ne ceruice inflexa, ne protuberantibus ſcapulis, ne tibijs varis, ne pedibus diſtortis, denique ne parum concinna totius corporis ſymmetria, mirificam ſolicitudinem videmus adhibere: quos, vt filium habeant, in quem bonam domeſticarum curarum partem transferant, cuius pietas ſuam ipſorum ingraueſcentem ætatem foueat, fulciatque, qui generi fidum patronum, qui vxori probum maritum, qui curiæ præſtantem ſenatorem præſtet, aut nullam, aut ſeram curam adhibere videmus. O liberum educandorum ratio inepta, inconſulta, atque præpoſtera! Sed è diuerticulo ad rem inſtitutam redeamus. Chriſtophori parentes hoc à filio contenderunt magnopere, & pro iure ſuo exegerunt, vt acer, inuictuſque laboribus eſſet, Quietemque, cui Romani veteres extra vrbem relegatæ phanum in via Lauicana dedicarunt, odio quodam præcipuo execraretur. Sed enim Chriſtophoro, qui laudem appetebat ardentiſſimè, quid ſeueris, quid propitijs parentibus, quidue eorundem aut minis, aut monitis opus fuiſſe putemus? Nemo trucem, iratumque Neptunum, nemo decumanos fluctus, nemo faciem illam pelagi furentis minus expauit; qui etiam maiori inſilijt in nauigium alacritate, quàm quanta poſſit quiſquam deſilire. Quid rei ſit nauis, quantæ molis, quàm omnia, quæ fabrefiunt, vincat arte, ac penè etiam magnitudine, me dicere nihil attinet. Stabat in anchoris parata nauis, nauticis funibus ad litus religata, quam trabes, tabulæque compegerant firmiſſimæ: carinam multum ſabulum degrauabat:

Camer. dec. 3.

roſtro

roſtro prominebat prora adunco: inſtarque arcis turritæ eminebat multis contignationibus picta puppis: ſurgebant mali cum ſuis carcheſijs ac antennis: remigum erat copia ingens, qui vbi langueſcerent venti, nauim remis incitarent, omneſque velut dante numeros phonaſco, conſenſu mirifico rem gerebant: nec deerat bolis, quam cum liberet ad maris altitudinem explorandam à prora demitterent: non pyxidula nautica, magnete trepidante, atque ſe ad cynoſuram vertente, quæ poli ſitum indicaret: non gubernaculum à puppi, quod pro habitu cæli, mariſque curſum moderaretur: non carbaſa ſuſpenſa antennis ad ventos captandos: non anchoræ prægraues ad nauim ſtabiliendam: non rudentum vis ingens: non viaticum: non varia nautarum miniſteria: non genus vllum inſtrumenti nautici; vt non vna nauis, ſed frequens aliquod emporium poſſet videri. Quid hæc tam multa? in hoc tam inſtructo, ac tantæ molis nauigio adoleſcentem videor agnoſcere Chriſtophorum, qui firmis lacertis corporis, proſpera valetudine, ſenſibuſque integris benè compactam nauim referebat. voluntas illi pro remige, pro bolide iudicium, ratio pro clauo, & pro pyxidis magnete mens recta, benèque ſentiens, pro anchora conſtantia, denique pro nautarum miniſterio erant tum corporis, tum animi ſenſus acerrimi. Quid enim rationes ingreſſus literarias, ſi acumen ſuppetat ingenij, ſi benè valens corpus ſit, ſi voluntas præclara, requirat præterea? Ergo ſtabat velut in anchoris Candidati nauis firmiſſima cum ſuo remige, cum gubernaculo, cum antennis, expectabatque ſecundos flatus nauigandi, cum ecce carbaſa inflantibus Eteſijs ſoluit oras, ac inter ſuorum benè precantium voces eſt à portu in altum euectus. Neque tamen ante vela dedit ventis, quàm Argonautarum exemplo à ſuperis, atque à re diuina exorſus fuiſſet. Veruntamen cum illi aram in litore poſuiſſent Concordiæ, precati nequid diſſidij rem illam tantam cœptantes obturbaret, Chriſtophorus contra litauit euentui, hoc eſt, immortali Deo, vt quod eſſet inchoaturus,

rus,

rus, id ſibi, reique publicæ vellet feliciter euenire. At quoniam non militis, neque piratæ ea profectio fuit, ſed inſtitoris, vectabatur ad gentes ignotas, ſibique etiam tum inexploratas hoſpes cupidiſſimus, atque auidiſſimus, & quidquid vſquam pulchri, aut pretioſi eſſet, id ſibi ærumnoſiſſimo itinere, ipſoque adeò periculo vitæ parandum ſtatuebat: fluctuſque ſi parcerent, inſilijſſet ignibus cupidus mercator, atque, vt poetæ vtar verbo, *emptor pretioſus*. Cum autem deſcriptas haberet ſuorum rationes, progreſſiones, flexuſque itinerum, primo ad regiam Alcinoi, nobilem lautitia, & omnium rerum optimarum affluentem copia, contendit. quid enim ſub eius ſchemate nominis lateat, quin iuxta mecum intelligatis, non dubito. Ad Rhetoricen contendit Veneribus, elegantijs, amœnitatibus, & copijs, omnique opulentia refertiſſimam, ibique ſe totum proluit fontis diuini latice, ſe compſit, ſe expoliuit, ſe denique ijs telis inſtruxit, quibus mentes, animoſque hominum ac voluntates, quaſcunque aggrederetur, facilè poſſet expugnare. Atque vt in Barella caſus agnoſcatis Vlyſſeos, cum hoſpitis Alcinoi comitas, & cum ipſa deliciarum copia paratiſſima retinere, alligareque Barellam niterentur, ne ſe quoquam inde commoueret, aliudque opus attingeret, magnopere laborandum illi fuit, ſe vt poſſet velut quibuſdam è vinculis explicare. Anne ſemper (ſic enim dicam,) ſcitamenta conquireret? an ſemper in publicum procederet vnguentatus? Cum ergo ab Alcinoo multo lautior, quàm venerat, receſſiſſet, totuſque oleret paſtillos de media ſeplaſia, hoc eſt cum elegantiſſimè doctus euaſiſſet, curſum ad lycea, ad porticus, atque ad academias terræ Atticæ flexit: vectorque minimè ſegnis, vbicunque reconditarum literarum ſpes eſſet, eò properauit. præcipuo quodam ſtudio tenebatur, quæcunque philoſophi de rerum natura, quæ de vniuerſitatis rerum harmonia tradidiſſent, perueſtigandi, cognoſcendique. Dodonæas quercus inuiſit, in Creta cunabula veneratus fuit Iouis, Eleuſinem excurrit, vt ali-

quid

quid de ſacris eius gentis pernoſceret, nauique in Boeotiam prouectus Delphis exſcendit in terram, ac Apollinem oraculo notiſſimum adorauit. Quid modò quoque fictis, falſiſque nominibus religionum, atque Deorum mihi velim, facilè poteſtis conijcere. Cum enim more fœneratorum, & pecunioſorum ciuium, quos nulla vnquam ſatiat coaceruata pecunia, ex alio ſemper aliud Chriſtophorus expeteret, atque quotidie diſcenti, velut bibenti hydropico & veternoſo, creſceret diſcendi ſitis, eum recentem è ſpatijs Academiæ, quod proximum fuit, Thomas, & Scotus alis Dædaleis ſuſtulerunt in cælum, & ea impenetrabilia myſteria, quæ nulla philoſophia nouit, volenti, enixèque petenti recluſerunt. Chriſtophorus, qui præcipuè votis id vnum peteret, & nauigatione tam diuturna, atque tam ærumnoſa huc anhelaret, velocitate, qua nulla præfixa ferro arundo, arcu excuſſa Parthico, perſpicacitate, qua lynx nullus, auiditate, qua foſſor auri nullus Peruanus, denique felicitate, qua ne ipſi quidem Argonautæ, ſeſe è ſacroſanctæ ſcientiæ theſauris, manubijſque locupletauit: & memor, ſeſe id petentem, in tam turbidas tempeſtates conieciſſe: eſſe iam in oculis, eſſe penè etiam in manibus vellus expetitum: & abeſſe nihil, quo minus haberet hanc Penelopem in poteſtate, ſi ſtrenuè conniteretur, tum, cum maximè, vigilandum ſibi, & pertendendum cogitauit. Neque tamen defuit Calypſo, non Circe filia Solis, quæ in bruta homines immutaret, non Phæacum inuitationes, ſi viſum Chriſtophoro fuiſſet, ſe rebus iucundis exhilarare, atque amœna diuerticula petere, non item Syrenulæ defuere blandiloquentes, quæ cantitando ſomnum mortiferum conarentur inducere. At quid iſta captaret in alijs occupatus amoribus adoleſcens, quem pro Vlyſſea Minerua parentes optimi ad ſepiendas aures eſſent cohortati: & quem multo ante ſua prudentia antidotis aduerſus veneficia præmuniſſet? Illa cura cum nunquam ne à feriante quidem decederet, quid ſuis promiſiſſet in digreſſu, & quantam primis conatibus expectationem excitauiſſet,

uiſſet, ſe plus quotidie acer incitabat adoleſcens, quàm vt poſſet ſomnus obrepere. Nam quod naues onerarias, quum venti ſilent, & quum maria conſtrauit tranquillitas, trahi oportet remulco, quo abſque foret, inutiles, immobileſque iacerent, Chriſtophoro nihil opus remulco fuit, quem intus incitabat animus, qui nulla erat feſtinatione contentus, cuius etiam deſiderio, quum maximè approperabat, nulla ſatisfaciebat pernicitas. An verò curſu poſſet errare incerto, Eurique aut Noti arbitrio auferri nauis, cuius magiſter quotidie ſederet ad tabulam, & oculis inconniuentibus cynoſuram ſpectaret? Neque enim Palinurus aliquis ſomniculoſus ſedebat ad clauum, ſed gubernator vigilantiſſimus, qui pro re nata intenderet, aut laxaret funes, antennas pro cæli habitu moderaretur, exhauriret ſentinam, ſcopulos noſſet latentes, noſſet ſyrtes, omniaque ſaluberrimè nutu ſuo temperaret. Illud præcipuè in arte, diſciplinaque eſt poſitum nauarchi, turbam vt naualem contineat in officio, velitque vniuerſos eſſe in opere, ac mandatas partes minimè ſegniter accurare; quorum alij malos ſcandunt, alij ad ſua miniſteria per foros, per tranſtra diſcurſant, anchoras alij moliuntur, remis incumbunt alij, ſunt alij in ſpecula, alij ne maior per commiſſuras exudet aqua, rimas ferruminant ac ſepiunt, ſunt denique vrinatores alij, qui ſi quid eſt foris vitij in nauigio, ſubeunt aquam, omneſque rei nauticæ perquàm gnari, ſcienteſque in ſuis muneribus verſantur. In Barella, quandiu alios alia tradentes præceptores audiuit, ratio pro gubernatore fuit, eiuſque è nutu atque præſcripto cuncta partes mandatas peregerunt. quid manus? eæ promptæ cum ſtylo ac pugillaribus. quid pedes? ij quoque ſtatis temporibus ad ludum celeres. quid oculi? ipſi etiam præceptorum ex ore pendentes. quid aures? perattentæ illæ quoque in excipiendis, quæcunque traderent auctores idonei. quid lingua? quid memoria? quid mens? quid voluntas? Sed ingenij partes fuere præcipuæ, cuius vis, diligentia, & perſpicacitas plurimum in re conficienda valuerunt.

Nam

Nam quod aiunt remoram naues etiam incitatiſſimas, quas penè humana vis nulla poſſit retinere, nullo negotio remorari, ac tantis molibus tantulum piſcem moram obijcere, ſiue id vanum eſt & fabuloſum, vt Ariſtoteles videtur ſuſpicari: ſeu eſt compertum, exploratumque, nulla perniciſſimo Chriſtophori nauigio calamitas interuenit eiuſmodi, qui nullis ferijs ſibi prorſus feriandum conſtituit: qui etiam cum ſpatiaretur, cum euagaretur, cum otiaretur, literis alijs, quarum & cognitio facilior eſſet, & pertractatio iucundior, animum remiſit. Silet Theologia? at colatur poeſis, at voluetur Terentius, at Triuilij oppugnatio Gallica literis conſignetur, at inſtituatur Academia & poſitis argumentis in partem vtramque diſputetur, at ſcriptorum locis obſcuris lux afferatur, at inambulatio & cœna condiantur doctis ſermonibus, at ſit in promptu hiſtoricum aliquid è vetere memoria temporum, at omnium dierum, omnium horarum, omniumque momentorum ratio conſtet. Hoccine eſt eſſe adoleſcentem? hoccine feriari? Solent, cum plus æquo intumeſcens mare territat naufragio, exonerare nauim, & ſarcinas, quæ prægrauant, demergere. quid ita? non hoc temerè faciunt, ſed rerum chariſſimarum iactura ſalutem redimi cenſent conſultiſſimum & neceſſarium: altèque gementes in animo, vdiſque oculis res ſuas fluitantes vident, quarum detrimento vix ſe viuos, certè vix incolumes arbitrantur. Sed eſt tanti non emori, effugereque genus illud lethi, quo Aiax Oilei filius extinctus fuit, quem ſalſis epotis aquis interiſſe narrat Homerus. Quid Chriſtophorus fecit eiuſmodi? Voracitas atque commeſſatio approperantem præpediunt? excludatur è naui. Libido, quem cepit, excæcat? in vndas medias eiectetur. Ira bellatrix ciet fluctus, & furialibus diſſidijs omnia permiſcet? ea quoque ne perdat, pereat. Ad aleam plures, quàm ad vllum ſcopulum Siculi maris, rem ſuam contregerunt? è nauigio protinus exigatur. Somnus, otiumque volentibus adipiſci doctrinas afferunt præcipuum incommodum?

dum?

dum? ea cum primis habeat, auferatque Neptunus iratus. Eneruant animos, ac emolliunt deliciæ? nullus ijs ſit locus in ea naui, quæ pugnax, belloque durum genus hominum vehit. Fabulæ atque ſpectacula tempus rei gerendæ conſumunt imaginibus rerum? demergantur & vniuerſa gurgites vorent. Luxus denique eſt inter ſarcinas grauiſſimas? illum nautæ excuſſum è nauigio mittant in præceps, merſumque vndæ præfocent. His omnibus ſeu impedimentis, ſeu mercimonijs cum nauim exoneraſſet Chriſtophorus, facilè curſu inoffenſo mare percurrit, cum auocamenta, delinimentaque tenax propoſiti adoleſcens ne quidem ad aures admitteret. Eiuſmodi conſilijs rem geſſit Chriſtophorus, & qui ſe ipſum vicit, facilè potuit pelagi tumentis iram ſuperare. Hæc qui æſtimant, quibus vigilijs, periculiſque ac laboribus veniant literæ, quibus incommodis, qua auſteritate vitæ, & quot malorum perpeſſione cultus acquiratur ingeniorum, minimè hercle poſſunt literas rem leuem, ac iocularium appellare. Sequutus Chriſtophorus vitæ genus fuit, quod qui aſperrimè loquuntur, iners vocant atque ſolutum; qui minus ſeuerè, otioſum: qui verò mitiſſimè, quietum atque tranquillum. Hoc verò tranquillum, hoc iners, & otioſum poteſt videri, quod conſtat perpetua dimicatione, quod etiam diſpendio tanto, ac tanto detrimento ſit parandum valetudinis? In Inſulis fortaſſe Fortunatis, quæ vltra Gades fuiſſe feruntur, in quibus tellus iniuſſa funditat citra ſudorem omnia, vbi ipſæ quercus exudant mella, ac ſine cultione meſſes largas, vbereſque vindemias Liber, ac Ceres largiuntur, literæ quoque nullo negotio, laboreque nullo proueniant hominibus; nos certè non ita beati ſumus, vt docti ſine ſummis ærumnis eſſe poſsimus. Laborioſa perfunctus nauigatione tuiſti, Candidatorum optime: iam licet portum inuectus litoralibus Dijs facias hoſtijs maximis, maximiſque Neptuno, atque Mercurio qui tibi tuam profectionem fortunauerunt, re benè geſta, diues, lautus, opulentuſque, vt iam nulli ſatrapæ poſsis inuidere, do-

mum rediiſti. Quæ ſanè tantæ opes, ſiue pro ipſarum ratione ac dignitate, ſiue pro tuo habitu animi longè te aliter afficient, atque Menelaum affecerunt opes tantæ, quas cum Vlyſsi illuc delato tempeſtate oſtenderet regum opulentiſsimus, illud addidit: *Sic non gaudens iſtarum opum ſum dominus*. Homer. odyſſ. Sudoris dum veniet in mentem, dum perpetuæ contentionis virium, dum deliciarum abdicatarum, nolles, mihi crede, vt earum artium velut poſſeſsione decederes, regna mereri, ac ipſis Diuûm cœnis adhiberi. Tibi verò an vſuuenerit, quod permultis, qui ſcientiæ cauſa Athenas nauigarent, euenire ſolitum eſſe dicebat Menedemus, non poſſum diuinare. Eos enim, qui Simil. Eraſ. ad illam vrbem vectarentur, primum eſſe ſapientes affirmabat, mox tantùm philoſophos euadere, tum nihil niſi rhetores eſſe, poſtremò etiam eſſe idiotas; hoc eſt, quo magis profeciſſent, eo minus faſtu turgere. Tu certè cum imbutus tantùm primis literis, hoc eſt, cum penè adhuc idiota, domo profectus fuiſſes, primo didiciſti rhetoricari, tum te philoſophis aggregauere progreſsiones tuæ, poſtremò ſapientis ita vim, & nomen es aſſecutus, vt poſsis in paucis doctiſsimis conſiſtere. Ego verò tibi reduci reuerſionem ſum, hactenus dicendo gratulatus. Dixi.

In

In Laurea

CHRISTOPHORI ASTORIS
In Seminario Patauino Præfecti rei literariæ

PANEGYRICUS

Qui inſcribitur

ANTEPOΣ.

Philipp. Beroald.

ILlud Spartæ poſitum in more fuiſſe ferunt Græci, Latinique ſcriptores, vt cum ab ebrietate perinde ac à re fœdiſsima iuuentutem vellent abſterrere, certos feſtis diebus ſeruos, quos vocabant Ilotas, largo mero ingurgitatos in conuiuia ſuæ iuuentutis introducerent, quorum malè inſiſtentium, vomentium, furentiumque ſpectaculo indigno ac turpiſsimo fortium virorum ſoboles temulentiam perhorreſceret. Morem eiuſmodi ea republica dignum fuiſſe, quam ſuis legibus Lycurgus inſtituit, conſonumque fuiſſe famæ gentis frugaliſsimæ, quæ ſemper diſciplina graui, continente ac ſeuera virtutem coluit, minimè poſſum inficiari. Sed enim mea forſitan ratio non nemini potior poſsit videri, qui pro vinoſis ac temulentis tenebrionibus, quos certò ſcirem eſſe veſtris oculis creaturos moleſtiam, caſtiſsimos adoleſcentes, ſuauiſsimos ac temperantiſsimos identidem ſpectandos exhibeam. Nam ſi eatenus progrederetur ebrietas, geminum vt ſolem, dupliceſque vt Thebas oſtenderet, ea & narrari, & ſpectari vel cum riſu poſſet à nobis; ſed impetum fieri in arcem rationis, pruden-

tiam

tiam & iudicium vino demergi, neſcio quo modo natare ipſam animam, toties impingi, tam fœdè ſtupere ſenſus omnes, tam indignum in modum quaſſari caput, tam olentem crapulam inhalari, tantam ab imo pectore eiectari nauſeam, ac tam inepto omnia miſceri tumultu; quamquam hæc valere poſſunt eò, vt ebrietatem in ſummam inuidiam adducant, tamen cuiuſmodi ea ſunt, vt illa poſsint ſine ſtomacho concinni ciues & elegantes intueri? Iam verò ſi ad Chriſtophorum Aſtorem, ſi ad alios earundem baccarum adoleſcentes digitum intendam, vobiſque ſi commemorem vigilias vigilatas, repudiatas voluptates, & exantlatos ſine modo labores: ſi ſtudia pietatis, ſi diligentiam in omni officio, ſi morum caſtimoniam, ac denique ſi in omni munere grauitatem deprædicem: ſi depingam ſuis coloribus verecundiſsimum, lepidiſſimum, laborioſiſsimum, omniſque veræ laudis cupidiſsimum adoleſcentem, quotus quiſque non ſentiet tacitas quaſdam faces admoueri ſibi, animumque ſuum amore virtutis incendi? Cum enim quiſque multo malit Achillem intueri, cuſpide infeſta proſternentem aduerſarios, impellentem acies, vrbeſque ac regna excindentem, quàm de ſcorto putidiſsimo cum Rege Regum Agamemnone iurgantem, rixantemque intemperantiſsimè, meum hodie inſtitutum obtinebo, vt velut in ſcenam producam admirabili adoleſcentem ingenio, cuius exemplo ad honeſta capeſſenda poſsimus inuitari. Ego verò libenter relinquo ſophiſtis ſuum morem, multa de ſtirpe diſputantibus, & cuius viri ſatu, cuiuſque conceptu mulieris quiſque generatus, editusque eſſet, vberius exequentibus: quos ait Ariſtides eò progreſſos aliquando fuiſſe veſaniæ, vt nobilibus iuuenibus Smyrnenſibus perſuaſerint, id in Homero maximum fuiſſe, quod Miletem parentem habuiſſet. Ita ne aut ipſi excordes fuerunt, aut ita viros Smyrnenſes inſanire voluerunt, vt ſumma imis, & primis poſtrema confunderent? Illud enim in Homero laudatiſsimum fuiſſe ait Ariſtides, quod artes excoluerit primarias, poeſim ad ſummam laudem

tom. 3. oratione contra proditores myſt.

laudem extulerit, excelluerit ingenio, eiuſque monimenta magis ære perennia ediderit, quod auſterè vixerit, fortuita contempſerit, nec vllas omnino delicias admiſerit. quamquam enim generis antiquitas & ſplendor incentiuum eſſe poteſt virtutis: opeſque lautæ & exaggeratæ poſſunt virtuti inſtrumenta ſubminiſtrare, tamen cum neque laus in harum rerum copia, neque culpa in penuria conſiſtat, nonne ſuperuacaneum eſt, pútidumque & ineptum, quemquam in earum commemoratione multum eſſe, ac illas ei ponere in laude, cui ſit abundè virtutis atque doctrinæ, bonaque affluant animi; quæ ſi minus omnem, plurimam certè laudem merentur? Garriant ad vſque rauim illæ duæ apud poetam Syracuſanæ mulierculæ, iactentque ſui generis antiquitatem. Inſaniant Arcades, atque ſe multis ante Lunam ſeculis extitiſſe glorientur, & ſibi quiduis vendicent homines vaniſsimi. Nullum neque prædicandi modum, neque pudorem mentiendi norunt homines eiuſmodi. Quanta, quæſo vos, fuit in ijs verbis gloriatio? *Mihi Tantalus auctor, cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas: Pleiadum ſoror eſt genitrix mea: Maximus Atlas eſt auus, æterum qui fert ceruicibus axem: Iuppiter alter auus*. Quibus ſunt ſimillima, quæ de ſe, ac de ſuo genere prædicauit Rex Murium Pſicharpax Homericus: *Quidnam*, inquit, *genus meum perquiris, amice, manifeſtum omnibus hominibuſque, dijſque, & cæleſtibus volatilibus? Pſicharpax quidem ego vocor: ſum autem filius Troxartæ patris magnanimi: & mater Lichomyle filia Pternotroctæ regis*. Magnus, ita me Deus amet, in verſibus Naſonianis nominum, cognationumque ſtrepitus, ſed qui, ſi ſolus ſit & incomitatus, frigeat; quem niſi quid accedat præterea, Seneca & Epictetus vniuerſum irrideat. quæcumque enim de generis nobilitate diſputantur, cum vana ſunt & friuola, tum aliena, & quibus ſe vir fortis laudari aſpernetur. Ego verò, quamquam in eo loco Chriſtophori cauſam ago, vbi quiſque aut humaniſsimus eſt, vt nolit, aut propter longinquitatem

Theocr.

Mart. del Rio in Hippol. Senecæ.

Metam. lib. 6.

Homer. in Batracomyomachia.

patriæ ignariſsimus, vt nequeat fingentem arguere, tamen non faciam, vt ei genus tribuam & proauos, & cultu, ſchemateque non ſuo, velut falſum Herculem, aut aliquem Agamemnonem è tragœdijs, ſpectandum exhibeam. Nuſquam eſt in Chriſtophori domo neque auratum lacunar, neque magiſtratuum pronomina, neque gentilium imagines heroum, neque trabeæ, ſellæue curules, *neque ſtantes in curribus Æmiliani;* quæ neque morantur viri ſapientes, neque in ijs vim vllam veri ſplendoris agnoſcunt. Chriſtophorum ergo ſine faleris omnibus, ſine omni apparatu magnæ fortunæ, denique ſine cenſu, copijſque Satraparum exhibemus, ſed moderatis, temperatiſque moribus, impenetrabilem prauis Cupidinibus, calcantem iucunda, nuſquam oculos à ſtudio dimouentem honeſtatis, otijque nomen, ac Phrynæ, Thaidiſque ianuas multo cautius, quàm Polyphemi antra, Scyllæque ſcopulos, euitantem. huic adoleſcenti, quantumuis homini nouo, tantum ipſe tribuo, atque adeò tantum debere tribui contendo, vt ei in nobiliorum comparatione dicam, & liberè ac diſertè profitear, primas oportere deferri, ſedemque deberi honeſtiſsimam in ſubſellio, in conuiuio ſummum locum, denique in campo & ſuffragio prærogatiuam. Quid præterea? Ego verò, ſi mihi ius imperij aut cenſuræ contingat, *velaque ſi meo temperem arbitrio*, nobilium quorundam pertæſus ſocordium & ignauiſsimorum, illos continuò iubeam Chriſtophoro ſubmittere faſces, illi deſeruire, obuio decedere de via, aſſurgere venienti, miniſtrare edenti lauantique, vectigales eſſe, currumque ducere triumphantis. quid enim aut illic eſt, quapropter vtrem inflent: aut hic, quod iure quiſquam poſsit contemnere? Etenim peruincit virtus, ne in vllo genere hominum inhonorata ſit: inſtarque habet Ledani, quod in Arabia in graueolentiſsimo loco naſcens, tamen flagrantiſsimè olet. Quis Alcibiadem prætulit Socrati, qui tamen ab obſtetrice editus fuit? Quis Archelaum Euripidi, quem edidit mater, quam vendendis oleribus vitam toleraſſe accepimus?

Seuerin. Boetius in cōſol. philoſ.

Herodo. Thalia 3 ſeu lib. 3.

mus? An minus tribuit Æſchini rex Macedonum Philippus, quod eum peperiſſet tympaniſtria? an obſcuritas & peregrinitas Seruio Tullo, quo minus Romæ regnaret, viam obſepſit? an Amaſi ad regnum Ægypti, an Maximino ad Romanum imperium præcluſit aditum nouitas? An *Pius* V. obſorduit, minuſque multos ſuffragatores inuenit, quod puer opilio fuiſſet? Ædes Chriſtophorus habet minimè quales L. Lucullus, multo laxiores, quàm pro modo agri: neque item quales Q. Scæuola, multo quàm agri ratio poſceret, anguſtiores; ſed planè modo reſpondentes paterni prædij. quas ita pietas incolit, frugalitas, innocentia, candor, humanitas, legumque tum diuinarum, tum humanarum reuerentia, vt luxuriam, arrogantiam, ac impudentiam à limine longiſſimè (Metam. lib. 8.) ſummoueant. Iupiter ille Naſonianus, Mercuriuſque formam aliquando in humanam conuerſi, Phrygiam regionem cum totam perreptaſſent, à nemine ſunt ne tecto quidem recepti, præterquam à Philemone ac Baucide, qui pro tenuitate ac ſuæ rei familiaris anguſtia liberaliter ac lautè hoſpites acceperunt. Quid Philemon? quid Baucis præ tuis parentibus, Chriſtophore? quibus cum auitum prædium, cum ſuæ manus, cum hortus riguus ſubminiſtrent, quantum vitæ vſus, ac benè moratus venter repoſcit, inde ſemper aliquid ſolent decidere, quod amicis, quod vicinis, quod alienis elargiantur, quo plebis ieiunæ ventres paſcant, quo aras cumulent, quo denique hoſpites accipiant. Hoc Aſtori contigit ſortitò, vt à parentibus ederetur in lucem optimis, ac in domo educaretur (Politic. 7.) ſanctiſſima, vbi ex Ariſtotelis diſciplina, turpia omnia procul à conſpectu puerorum remouerentur; ac vbi ſæpius brutum fulmen audiretur, quàm verbum turpe ac prætextatum. Neque enim exigebant parentes ab adoleſcentulis, quod ipſi non præſtarent: neque eos imitabantur, qui virgines excludebant è conuiuio, ne aures teneræ Veneris vocabulis imbuerentur, excluſiſque virginibus inſaniebant ipſi, effundebantque in vino, quæ vix ſolent in ſaburra, in fornice,

nice, ac ipſis in hortis Maſſilienſium effundi. His moribus aſſuefactus Aſtor, cum omnia rhetor euolueret, vnde illuminari oratio & elegantior effici poſſet, noluit regnum merere, poetas vt molliores attingeret, quorum *carmina lumbos intrant, & intima ſcalpunt, tinctaſque ſale pruriente chartas* vt ſuis oculis exhiberet, ne aureo piſcaretur hamo, & compendio literularum diſpendium faceret pudoris. Vt vnum carmen Catulli, vt Ouidij pagellam vnam de Arte percurreret, talento attico nequiſſetis paciſci, quòd ſub his floribus latere anguem inſidioſum, eſſe venenata ſcripta, eſſe peſtilentia, eſſe nequitiæ nidos ac officinas perſuaſum haberet: præſertim cum ab optimo iuuentutis magiſtro Quintiliano didiciſſet, *Inter virtutes haberi Grammatici, aliqua neſcire*. Mater adhuc ſupereſt, qualis virago? in cuius beneficijs illud fuit penè leuiſſimum, Chriſtophore, te quod enixa fuerit, & quod infanti mammas præbuerit. Illud eius fuit ſummum beneficium, quod te fingere, inſtituereque ſuis præceptis, quod te quodammodo lambere, denique de te dies noctéſque cogitare non deſtitit. Deſinant iam Græcæ, deſinant Latinæ literæ irridere, ſi quis, quem mater amictum dedit, ſollicitè cuſtodiuit. O te matris optimæ filium laudatiſſimum! quid iſte pudor tuus? nonne is eſt, quem induit, commendauit, applicuit, indiditque tibi puero parens tua? Pudorem nomino, chorum cum debeam tuarum virtutum vniuerſum nominare. Sed enim quid iſte pudor tuus? Nonne tibi, inuito vetere prouerbio, cum honeſtum & præclarum, tum frugiferum eſt futurum, eum ſi omnibus tuearis interdictis, mordicuſque quandiu viues retineas atque conſerues? quid iſta pietas? nonne eodem è pædagogio, atque eadem è diſciplina prodijt? Inde benignitas iſta, inde tua iſta in omni officio diligentia, inde tanta æſtus, frigoriſque patientia, inde tanta in omni genere laudis induſtria & ſedulitas. maternas enim artes agnoſco, agnoſco & cum primis probo maternos amictus. an ſcilicet hæc indiligentius cuſtodias? Diui tibi ſint propitij, ne tibi

Martial. lib. 12.

Inſtitut. lib. 1. 8.

vnquam poſſint excidere. Tres habes montes in ſteminate, eo diſpoſitos ordine, vt duobus tertius immineat. Nuſquam hic tamen Pelion eſt, aut Oſſa: Nuſquam Titanes, Gyganteſue, qui parent hoſtilia, & ſcandere aſtra moliantur, Deoſque peruetere poſſeſſione cæli deijcere ſe poſſe confidant: neque propterea vllum periculum eſt, ne de regno ſollicitus Iupiter fulmina coruſca contorqueat. Sed enim rogo te, qui ſint iſti montes tui, quos accumulas, & quorum alios alijs imponis? Mirum ni ſacri ſunt, quales Tabor, Sina & Oliuetus. mirum ni Muſis inſeſsi, quales Pindus atque Parnaſſus: mirum ni iugi flagrantes igne, quales in Lycia Hepheſtij montes, in Æthiopia Theon, in Bactris Cophanti vertex, Ætna in Sicilia, & in agro Neapolitano Veſuuius. In columna verò, quæ tuis eminet è montibus, quidni columnam agnoſcam eam, quæ peregrinantibus per heremos inhoſpitales, ac penè imperuios copijs Iſraeliticis viam interdiu, noctuque præmonſtrauit? Siue tandem illa mater tua fuerit, ſiue fuerit puerilis inſtitutio, ſiue recta ratio, bonuſue Genius aliquis, ſiue denique Deus ipſe Sapientiæ largitor, omniſque auctor optimi conſilij, eius certè columnæ beneficio factum fuit, ne excederes è via, nèue vſquam à recto tramite deflecteres. Annos XI Chriſtophorus in hac vrbe literis impendit: ſpatium ſcilicet vno anno maius, quàm quo Romani Veios, quo Turcæ Bizantium, & quo Troiam Græci expugnauerunt. Tanto ſpatio temporis dicite vos Muſæ, tuque præſes Muſarum Apollo, quàm frequens in ludo, in Academia, in cœtu atque conſuetudine ſui ſimilium fuerit Chriſtophorus; quàm ſæpe in Braydenſi Collegio ruperit, vt poetæ loquuntur, clamore columnas: quàm catè, quàm aptè partes omnes diſtribuerit temporis, ſua vt eſſent pietati, ſua vt humanitati, ſua item vt neceſſitati, denique ſua vt eſſent & munia & tempora doctrinarum comparationi. Vos, inquam, Muſæ præclaros huiuſce ſpatij vniuerſi conatus, commentationes, exercitationeſque commemorate. neque enim

Iuuenal. ſat. 1.

eſt

eſt opis meæ, aut cuiuſquam ea proferre, quæ tenebris abdita, quæ incluſa parietibus, quæ ſolus in ſeceſſu, quæ ſecum tacitus Chriſtophorus, quæ ſtans, quæ inambulans, quæ pluteo affixus; quæ lucubratione, quæ voce, quæ ſtylo peragere conſueuit. Quis enim ex oratorum numero hæc noſſe vniuerſa, ac vnde hæc exculpere, quo denique pacto hæc percenſere, proferreque poteſt? quæ verò tantùm ſunt poſita in hominum exiſtimatione, ac in tacita animorum coniectura, quamquam penè ſint planis, compertiſque certiora, tamen produci pro certis & exploratis prohibet fidei, ſuſceptique muneris religio. Excultum videmus raris & præclaris ornamentis Chriſtophorum, quæ ſi quis incurioſo, indiligentique adoleſcenti contingere alicunde potuiſſe arbitretur, nullius eum verbis melius confutem, quàm Terentiani Micionis Æſchinum adoleſcentulum ſocordiorem, quàm in ea re, quæ tum agebatur, eſſe oporteret, ſic obiurgantis, *Quid? dormienti hæc tibi confecturos Deos credebas?* Chriſtophoro noctes concubiæ pepererunt, quæ interdiu proferret, ac luce clara oſtenderet populo: ex illis tenebris hic tantus ſplendor emicuit ac dignitas: per noctium intempeſtarum, ſilentumqne tenebras tantum doctrinarum comparatum eſt, quo nitet, quo æſtimatur iuuenis elegantiſſimus, quo diues eſt, & quo regum fortunas exæquat; & cum trinoctium vnum (liceat mihi per vos verbo vti hoc inſolentiore) orbi terrarum dederit Herculem, virum mirifica magnitudine animi, viribuſque corporis monſtroſis, quis miretur noctes plus millenas in ſumma contentione ingenij conſumptas ediſſe Mercurium? O aureum adoleſcentem; immo ferreum, ſurdum ad omnia auocamenta; cæcum ad omnem formam, ad omnem ſuauitatem hebetem ac ſtupentem, cui deliciari, otiari, pergræcari voces ignotiſſimæ fuerunt, & qui multò repudiatis voluptatibus felicior fuit, quàm quiſquam alius auidè conquiſitis, & iucundiſſimè vſurpatis. Quæ morum diſciplina ne Chriſtophoro perardua & aſpera foret, Amor effe-

Adelph. 4.5.

cit, quem ceu quendam alium textus ſubtiliſſimi amictum puerulo ſui parentes indiderunt. Chriſtophoro parentes Amorem? Ita ſanè: caſtiſſimi & ſeueriſſimæ diſciplinæ ciues filio colendi amoris auctores fuerunt? planè vt dicitis. Vtrum illi vtilior amictus huiuſmodi, quàm ſua Agamemnoni interula, qua implicitum impeditumque oppreſſerunt coniurati? quàm ſua Herculi tunica Centauri delibuta cruore, quæ victorem omnium hoſtium heroem egit in furorem? Amorem narras? nemo enimuero. Duces eſſe filio parentes ad nequitiam, & ſanè parentes eiuſmodi, cui demum poſſit veriſimile videri! De nequitia non audio. quid enim tam abeſt ab optimis coniugibus, quàm culpa tam flagitioſa, tam capitalis, neque vno ſuſpendio digna? ſedenim nolo vos diutius pendere animis. Amor, cui Chriſtophorus parentum monitu & antea ſemper, & modò vt cum maximè dat operam, non eſt ille inuerecundus, qui tanta flagrat inuidia, & omnium ſapientum notatur ſtigmate; ſed eſt Anteros, & eius aduerſarius, qui ab illo venefico tum patria, tum ſtirpe, tum cultu, tum cibo, tum ſtudijs ac moribus, tum denique exiſtimatione & prædicatione hominum ita diſſidet, vt non æquè à curuis recta, à nigris candida, aut à vilibus pretioſa diſſideant. Eo verò de Amore, cui totum plaudit conuiuium Socratis, non video quid aptè poſſit, pro ipſius dignitate, prædicari. Nam ille quidem aurea catena cælo demiſſus fuit, & mentes quæ ſunt cognatæ diuis, ad natiuam & incorruptam pulchritudinis formam comprehendendam impellit: *parenſque veterrimorum temporum, cuſtoſque affectionum temperatiorum animi*, officia docet vniuerſa, beneque agendi tum architectus, tum faber eſt, conſecratque quamcumque ſedem inhabitet. Quiddam ſacrum eſt, aliturque diuinis alimentis, voluptatemque ac omnem turpitudinem ſuis omnibus decretis iugulat, nulliſque obſoleſcit ſordibus, ſed quod de Ate ait apud Platonem Homerus, pauimenta non calcat, ſed hominum ſapientiſsimorum per capita volitat: habetque itidem

Lucian. in Demoſth. Encom.

Vetus poeta apud Lucian in Amorib.

In Conuiuio.

faces ſuas, quibus plurimorum animos tum ad famæ, nominiſque, tum ad beatæ vitæ immortalitatem promerendam incendit. Quid enim huic conuenit altero cum Amore, cum vtroſque penè ſit nefas vno eodemque die nominari? Eſt alter varius, ferox, impudens, ac refractarius, legum contemptor omnium, frequenſque inſipientum in animis, quos nulla gubernat ratio, & quibus fermè alia nulla deſideria curæ ſolent eſſe, quàm muliebria. Magis eſt Tireſia cæcus, propterea præceps: magis Oreſte furens, propterea inconſultus: magis Baccho madidus, propterea temulentus. Vbicunque diuerſatur, implet omnia probri & flagitij, venas ac medullas populatur, ſanæque mentis ſcintillas omnes extinguit. quamquam quid ego in hac re conor diſertus videri, cum Charinus in Mercatore Plautino multo locupletiſſimè Amoris infortunia & incommoda exequatur? quid ergo de Chriſtophoro exiſtimetis, cuius arcem animi præmaturè Amor ille Socraticus occupauit, & cuius ita fores, ita ſenſus, ac partes omnes ſuo præſidio præmuniuit, vt Eroti, hoc eſt Amori inuerecundo, nunquam intra ſepta ingreſſus patuerit? Neque ſanè meliùs hominis collatione cum homine, quàm cum catulo catuli, quæ ſit vis vtriuſque amoris, poſſumus dignoſcere. Magna vis profectò in vtramque partem eſt amoris vtriuſque, magna inſtitutionis pucrilis, quæ indolem cuiuſque huc, aut illuc applicat; cuius in duobus catulis quoddam ſimulacrum Lycurgus exhibuit. Is namque cum Spartanos vellet docere, quid præſtaret hominibus inſtitutio, quid diſciplina, quid vſus & aſſuefactio, duos catulos iiſdem prognatos canibus, ſed diuerſa omnino ratione educatos, alterum delicatum & voluptarium, alterum indagini ac venationi deditum produxit in populi concionem, ac vtrumque, poſita in medio patina & lepore dimiſit. Abiere ſiquidem diuerſi: alter vt erat lautè habitus, ſaginatuſque, ſeſe illico ad patinam contulit: alter, vt erat venaticus, dapes ne limis quidem oculis reſpiciens, leporem eſt conſectatus. Quid enim ita? Niſi quia

In Prol.

G. Sciop-pius in Scaliger. hypobol. ex Plut.

ſtudio

ſtudio vterque diſſimillimo tenebatur ex diſſimillima inſtitutione; illumque nidor oblectabat culinæ, hunc adeò amor ceperat laboris & venationis, vt præ vno lepuſculo quidquid vſquam cupediarum eſſet, quantumcunque conditum & ſuaue, omne contemneret. Similiter Aſtorem iam tum à puero affecerat conſuetudo, vt ei nihil præter ſtudium virtutis, poſſet iucundum videri: cætera quæ dulcedine ſenſum impellerent, loco nullo, nulloque numero haberet. Cibus ei modicus ex diſciplina Cyri, Socratiſque, laborque plurimus: ſomni tempus contractum, vigiliarum nullus modus: ſpectaculorum ac cæterarum illecebrarum vſus nullus, lucubrationum atque commentationum ſtudium aſſiduum: vix vlla corporis cura, vix alia, quàm animi: docuitque Chriſtophorus verè Platonem dixiſſe, *Si ad naturam felicem recta quoque accedat diſciplina, hominem animal mitiſſimum & diuiniſſimum euadere*. Amor ſcilicet, omnium conſiliorum auctor præclarus hoc Aſtori perſuaſerat, vt nulla iam modica gloria contentus eſſet, ſuamque vt adoleſcentiam ad *ſummam laudem rebus omnibus ornatam eſſe cuperet*: vbicunque decus fulgeret, honeſtas, officium, aut dignitas, eò curſu ferretur concitatiſſimo, illud expeteret, neque niſi parto conquieſceret: quæ ratio quia non conſtat, niſi conatu & labore, eum quoque in chariſſimis rebus, atque iucundiſſimis haberet. Scopæ illæ mehercule Martialis, *quas in pretio teſtatur palma fuiſſe*, & quas eſſe laurea decoratas poeta lepidiſſimus ſuo diſticho teſtatur, adoleſcenti experrecto, & indolis eximiæ documento fuerunt, non eſſe cunctandum, neque ceſſandum ei, cui dignitas, cui populi fauor, cui gloria placeat, atque ad nomen ampliſſimum aſpiret. Neque enim quæ deſides, quæ pulchellæ, & quæ ornatiſſimæ ſcopæ fuerunt, ſed quæ verrenda Curia, repurgandis bibliothecis, aut Templorum pauimentis detergendis ſæpe multumque ſunt attritæ, eæ ad nominis celebritatem, atque palmæ ad honorem peruenerunt. Cum ergo animum Aſtor à puero conuertiſſet ad ſtudium glo-

Apud Gaſp. Sciopp. in Ioſ. Scalig. hypob.

Lib. 14. epig. 82

rix,

riæ, quam ſibi vberrimam deſpondebat è literis, ſic eas diligenter, quacunque ſpes eſſet poſſe inueniri, perueſtigauit, vt non diligentius olim Aegyptij quæritauerint Oſirim, non accuratius in Magna Græcia Ceres quaquauerſum curſitans cum facibus Proſerpinam indagauerit, & ſi locus eſt ludioni, non hominem Diogenes clara luce cum lucerna obambulans, ſolertius fuerit perſcrutatus. Quæſiuiſti ab ineunte ætate doctrinas, Chriſtophore: amore animum tum vrente facibus, tum ſurdo verbere incitante ita quæſiuiſti, vt neque plura, neque magis pretioſa ſcalpendo ſibi quærat vllus pallidus foſſor auri. quin ergo clamas, *populus quod clamat Oſiri inuento?* Si neſcis, idem illæ præſtiterunt tibi, quod olim Diomedi Homerica Minerua, cuius ab oculis nebulam abſtulit: Lances ac trutinam, qua cuncta penſitares, dederunt: naturam, myſteriaque tibi in ſuda & clara luce poſuerunt: peruia tuæ menti cuncta fecerunt: vires indiderunt, quibus nouus gygas ſcanderes cælos: cuncta tibi dimenſa, excuſſaque tradiderunt: cuncta ſepta tenebris recluſerunt: denique quid non? Anaxagoram eius ætatis homines Mentem appellaſſe narrat Plutarchus, quod eius acumen atque ſolertiam in contemplanda, cognoſcendaque rerum natura excellentem, & ſingularem admirarentur. Mentem cur nos item non appellemus Aſtorem, qui ſic literis deditus fuit, alia vt non reſpiceret, vt deſpiceret vniuerſa, nihil vt concupiſceret, atque adeò ne recordaretur quidem, penèque vt nullius rei animum imago ſubiret. Magnum negotium ſuſcipit, qui tot res ad excogitandum reconditas, quæ latent magnis obſcuratæ, atque circunfuſæ tenebris, & quas natura velut de induſtria ſubduxit ab oculis hominum, altèque in Democriti puteo demerſit, ſibi perueſtigandas conſtituit. Quod cum inſtituit, animus qui eſt incluſus in corpore, quodammodo eminet foras, & ea quæ extra ſunt contemplans, quàm maximè ſe à corpore abſtrahit atque ſeiungit. Nihil enim agitur, niſi mens tota verſetur in opere, ſi quid intus tumultuetur, ſi quid

Plato in Alcibia. ſeu de voto.

In Pericle.

extra,

extra, ſi qua alia cura animum auocet, ſi quod aliud interpellat negotium: ſi Mars gladiator, ſi rei faciendæ Plutus auidior, ſi Venus delenifica verſet præcordia, cur docti viri expetas laudem, ratio nulla eſt. Maiore namque res ſuas natura inuoluit caligine, maioreque difficultate ſepſit, quàm vt eas quiſquam alius, quàm acer, aſſiduus, ac diligens inueſtigator poſſit inuenire. Quæ cum dicuntur à me, anne ſapientem ſignifico? quid ni? Neque tamen is eſt Chriſtophorus, quem ſcommate & ſale ſuo amaro inſpergere debeat Lucianus, qui cum fortè hominem loquacem, & confidentem, & ſua de facultate plus æquo tinnulum audiſſet, vt erat philoſophorum generi vniuerſo ſemper iniquus, & palam aduerſarius, dixit, *Mirum eſſe, niſi qui tam garrulus erat & oſtentator, eſſet philoſophus*. Nulla in Chriſtophoro vomica eſt, quam tangat Lucianus: propterea hinc ſophiſta ſuos iocos amoueat. Quid enim hic niſi compoſitum, moderatum, & verecundum? quis minus ſui admirator, minus obtrectator aliorum? Ille fortaſſe Luciani dignus acumine fuit, quem Lactantius, quo tempore ipſe in Bithynia literas oratorias tradebat, ibidem dixit extitiſſe; qui ſe antiſtitem philoſophiæ cum profiteretur, & magiſtrum continentiæ, non minus auaritia, quàm libidine ardebat, grauiſque aduerſus ſemetipſum cenſor, & accuſator acerrimus, ſuas diſputationes deſtruebat moribus, & mores ſuos ſuis diſputationibus arguebat. Nempe quid aliud ſibi apud Platonem voluit poeta, qui neſcio quem vituperans ait, *Multa quidem illum noviſſe, ſed perperam vniuerſa?* Cui hominum generi pro peſte, pro veneno doctrinæ ſunt, neque ad eum vſum, ad quem ſunt inuentæ, deſeruiunt. Chriſtophoro nihil mitius, magiſque iucundum, officioſum, & magis è ſapientiæ præceptis aptum atque conformatum. Nam quod multos eſſe ſcopulos diſputant, in quos impingantur quicunque literas ardentiſſimè diſcunt; ac ſanè eum primum, quod more iumentorum, quibus omnis in impetu vis eſt, perbreui tempore langueſcunt, ſuæque

In Timone.

De Iuſtitia lib. 5. cap. 2.

In Alcibiade.

illos vires & lacerti, atque adeò & animi quoque deſtituunt; Secus omnia in Chriſtophoro, cuius alacritatem more famæ, fluminumque eundo creuiſſe, illud poteſt eſſe documento, quod magis quotidie extendit vigilias, ac ſine interuallo ſibi quotidie grauius inſtitit. Nam illum alterum ſcopulum, eſſe auſteros ſapientes omnes, & virtutem tragica quadam diſciplina præditam eſſe, quiddamque habere ſatyricum, ſic effugit Chriſtophorus, vt cuiuis ore, ſermone, conſuetudine, omnique munere vitæ ſit iucundiſsimus. Tertium ſcopulum ferunt eſſe illum, quod in ſtudijs doctrinæ paulo verſatos tum diutiùs, tum attentius, ceu hominum conſuetudinis imperitos, legum, morum, voluntatumque ignaros, atque à communi vita, hominumque ſenſibus multum abhorrentes, Curiæ lucem vetant aſpicere, & in ciuilis turbæ ac fori ſtrepitu & concurſatione, atque in rerum agendarum tumultu, ſine magna animi titubatione, negant auſuros conſiſtere. quo ſanè quid dici magis imperitè, magiſque inuerecundè poſſit, non video. Ad Aſtorem quod attinet, multo id aliter eueniſſe defendo, qui quo ingenio, & quo iudicio literas tractauit, eodem res priuatas, eodem publicas attingit: doctrinaque illi tum pro face ad rei gerendæ diſpiciendas vias ac rationes eſt, tum pro gladio ad nodos ſoluendos: productuſque nuper velut è cæco illo ſpecu Platonis in hanc lucem communem, omni munere ciuis optimi fungitur. anne tam acutus in phyſicis ſit hebes in rebus adminiſtrandis? annè iuuenis tam promptæ facundiæ ſit in re familiari mutus ac elinguis? an tanta vis animi, tanta conſilij in ciuilibus officijs obtorpeat? Chiron Achillem inſtituerat, vt verborum orator eſſet, & rerum effector. Demoſthenes tam multarum literarum orator, domi, foriſque, quandiu vixit, geſſit remp. Denique Plato, quod nemo neſcit, tum reſp. futuras beatas pronuntiauit, cum qui imperarent, philoſophi eſſent. quid enim præterea vetera repetam ex antiquitatis memoria, cum hodie quoque in Dania procerum nulli præcipuus vllus honos habeatur,

Ion Poeta.

beatur, ac nulli pars vlla committatur reip., niſi qui doctiſsimus ſit, & qui poſt decurſa illa ſpatia vſitata literarum foras prodeat, & quidquid vſquam in vniuerſa Europa literatorum ſit, adeat: quidquid vſquam nobilium Academiarum, inuiſat: in aulas penetret dominantium, & exemplo Vlyſſeo *multarum gentium mores cognoſcat & vrbes?* Chriſtophore ſit modò, qui tuo velit ingenio vti, publiciſque negotijs præfulcire, non dubito, qui tantum vales doctrina, quin valeas etiam procuratione reip. Quamquam, quod video, non deeſt, qui tua bona quanti plurimo, vt I. P. loquuntur, æſtimet, teque ſtudeat proferre. Eminentiſs. BARBERICVS ſeculi noſtri gloria, qui orbem terrarum ſplendore, admirationeque ſuarum laudum implet, ſuos in te oculos depoſuit, probauitque tua ſtudia, & tanquam vmbram ſecum ad Patauinam Eccleſiam abduxit, atque inibi tibi in Seminario ſuo curam & præfecturam rei literariæ commiſit, ducemque ad doctrinam ſoboli optimorum ciuium conſtituit. Quid autem tibi magis præclarum potuit contingere, quàm vt talis iudicio præſulis probareris, vnuſque ex omnibus eligereris ab eo, quem ad ea excolenda noualia extruderet? Age nauiter, ac tantum præſta Eccleſiæ, quantum nomine polliceris. Neque enim temerè tibi nomen eſt inditum Chriſtophoro, ſed nutu diuino, vt cogites tibi eſſe corde ac ore Chriſtum circunferendum, Chriſti gerendam impreſſam in tuis moribus imaginem, denique Chriſtum à te mentibus, animiſque ciuium inſerendum. Dixi.

Odyſſ. a.

Vlpian. in L. Ex empto.

In Laurea
IO. BAPTISTÆ THADDÆI Rheti
PANEGYRICVS.

EGO verò in Ioanne Baptiſta Thaddæo ſimulacrum expreſſurus iuuenis eximij video me ea cura liberatum eſſe, quam ſuſcipere Apellem & Xenophontem oportuit; quorum ille in Antigono Regis decori & perpulchri imaginem, hic in Cyro maiore imaginem imperij iuſtiſsimi exprimendam ſuſcepit. Ac de Apelle quidem hoc compertum habemus, eum, quod Antigonus altero lumine orbus eſſet, celandi eius vitij rationem excogitaſſe percommodam, & eius Regis effigiem obliquam, ac in latus alterum inclinatam pinxiſſe, vt corpori quod deeſſet, deeſſe picturæ crederetur. Xenophon verò in Cyro ſuo, quem non ad hiſtoriæ fidem ſcripſit, ſed ad effigiem imperij diligentis & moderati, cum omnia ad rationis perfectiſſimæ normam exigeret, ſi qua in moribus eius Regis deſiderauit, eadem addidit ex ingenio ſuo, ac vniuerſa, quæ deeſſe, aut poſſe fieri meliora vidit, ipſe marte ſuo aut perfecit, aut emendauit. Curam eiuſmodi tum ſupplendi, & ea quæ deſint, alicundè foris adſciſcendi, tum ceræ miniatulæ, aut alicuius fuci atque ceruſſæ ad mendas occultandas adhibendæ, mihi vita Io. Baptiſtæ ſobria, frugi, & emendatiſſima vniuerſam detraxit. Quid enim in hac Venere numeris omnibus abſoluta ille dicax & calumniator Momus aut poſſit carpere, aut velit immutare, non video. Cum ergo pigmento nullo, nulla ſpongia, neque item vlla ementiente, ac res in immenſum augente

Plin. hiſt. natur. l. 35. c. 10. Et Quintil. li. 2. 13.

M Tull. 1. ad Q. Fr.

gente

gente arte Sophiſtica ſit opus nobis, hoc ita perſuaſum velim habeatis, nos in Ioanne Baptiſta exemplar quoddam optimi & præclariſſimi iuuenis ex archetypi fide conaturos exprimere. Illud vereor vnum, ne cum multum, ac ineptiſſimè garriuero, tum demum argumento dicatis oratorem; tanquam fabulæ cuipiam hiſtrionem, & obſonio parato condimentum, defuiſſe. Sed enim tantùm verbis opus eſt; quæ ſi tu mihi, Apollo, ſuppeditas, qui vim inſpiras vatibus, qui Muſarum choro das numeros, aureus eſto.

Atque ſanè quod omen habet Leo tui ſtemmatis, quod Aquila, quod geminum Sidus? tria medius fidius præclara & auſpicatiſſima. Leo quidem animal vigilantiſſimum, firmiſſimis lacertis corporis, & indole cum primis generoſa, omnium ſeu confeſſione, ſeu ſuffragio in cætera muta animantia quoddam regnum gerit. Aquilæ item quem fugit ab omni ætate, ab omnibus gentibus, omnium literarum teſtimonio, delatum in cæteras alites imperium fuiſſe? Iam verò quæ alia duo ſidera putemus eſſe, quàm Caſtorem & Pollucem, quæ fortaſſe poſitu & *radiatione* propitia tibi naſcenti emicuerunt? Nam ſi quid hariolari, conijcereque lubet ex his rebus, Leo tibi firmitatem ac dignitatem corporis, ſtabilemque compagem membrorum: aquila, quæ nidum extruit in cæli nubilis, & ſideris aduerſi radios acie oculorum ſuſtinet irretorta, animum vegetum & excelſum: ſidera verò irradiatam diuinitus mentem deſpondent. Niſi fortè ita velis exiſtimare, leone prudentiam oſtendi & magnitudinem animi: aquila viſus acutiſſimi acumen ſignificari ingenij: aſtris verò, quæ eminent altiſſima è ſumma teſtudine cæli, portendi pietatem, & rerum earum ſcientiam, quæ literis diuinis traduntur. Sed quæcunque horum ſignorum ſit ratio, ea tibi procul dubio, quamcunque demum eſſes viam ingreſſus, ſummum aliquem locum & principatum augurabantur, vt eis fretus dicere poſſes idem, quod apud Senecam dicebat Ceſtius declamator, qui ſe neutiquam eſſe dignum ducens, ſe plebem eſſe, & vnum aliquem è mul-

Lib. 3. excerpt.

è multis, vel inter Scythas, beſtiaſque cupiuit excellere. illud enim præ ſe apertè ferebat, & ſæpe iactabat in ſermone: *ſi Thrax eſſem, Fuſius eſſem: ſi equus, Meliſſio: neque alius, quàm Batillus, ſi eſſem Pantomimus*. Nobili genere, ac honeſto inter ſuos loco natus Ioannes Baptiſta fuit. quod in hoc adoleſcente præcipuè valuit eò, ne ſocors ac deſes, nèue maculoſus eſſe vellet; ne cum fuiſſet à ſuis maioribus magna contentione virium, ſummis & moleſtijs & periculis, ſtudioque artium honeſtiſſimarum aſſiduo quæſita nobilitas, ipſe homo ficulnus & nihili ciuibus ſuis eſſet oſtentui, ſocordiaque & malis artibus illud veluti quoddam patrimonium ſplendoris amitteret; atque committeret, vt de ſuo genere dici poſſet, quod ex vetere poeta de Mileſijs dicebat Syneſius, *Fuere fortes primitus Mileſij*. Quid enim dici tum lepidius, tum verius poteſt, quàm *Nobilitatem ſicut filiam virtutis, ſic matrem eſſe bonæ indolis?* Splendorem generis & antiquitatem Ioannes Baptiſta frigida quædam & ſterilia nomina, ſtultorumque mortalium glorias eſſe putauit, fumumque poeticum, nec omnino quidquam, præter verborum ſtrepitum, niſi virtus accedat & induſtria, in quibus ſita ratio eſt, & vis potiſſima nobilitatis. Nam cedere voluptati, & libidinum capiſtro os miſerum porrigere, & ſeruire tyrannis crudeliſſimis eum, qui claris maioribus ſit ortus, eſſe fœdum ſolœciſmum, eſſe flagitium nullo piaculo luendum ſemper exiſtimauit, Helenæ memor apud Theodectem poetam tragicè vociferantis: *Ex dijs ab vtraque ſtirpe prognatam quiſquam ſeruam appellabit?* Apud Platonem Proci illi Homerici noluerunt quemquam alium, præter ſe ipſos, arcum intendere. Eſt hoc quidem ſuperbiſſimum, atque tyrannicum, ſi nobiles præter ſe nolint quemquam artes optimas ediſcere, & in re vlla præclara verſari. at eos hominibus nouis & obſcuris concedere, qui optima quæque & præſtantiſſima conſectentur attentius, hoc verò eſt abſonum, & longè turpiſsimum. Sed factum à te præclarè, Ioannes Baptiſta, qui alijs libe-

[Margin notes: Epiſt. — G. Sciop. in hypobol. — Lib. 2. Amatores ſeu de Philoſoph.]

V rum

rum eſſe ac ſolutum credidiſti, artes ingenuas colere, tibi neceſſarium; ſplendoremque tui generis pro incitamento habuiſti ad omnem laudem acquirendam: & pro auctoribus atque magiſtris benè agendi eſſe tibi oportere tuos maiores cenſuiſti; in quos intuens, faces tibi quotidie ſubdi maiores, & acutiores ſtimulos infigi ſenſiſti. Thaddæum firmis ac penè athleticis viribus corporis, ingenioſumque, & in paucis liberali ac eleganti forma fortunati parentes ediderant, quum eum non ad Narciſsi fontem, ſed ad Socratis ſpeculum adduxerunt, vt ſe cum videret, qua ſpecie præcelleret, ſimul cogitaret, quàm indignum flagitium, & quàm abſurdum eſſet futurum, ſi in tam venuſto corpore mentem inuenuſtam eſſe atque incultam, & ſub cute tam nitida carie ſituque ſqualere animum pateretur. Neque ego ſanè in Thaddæi encomio imitabor Homerum, qui in Achille & rege, & bellatore eximio, & vrbium atque regnorum euerſore præcipuè commendauit velocitatem; quam laudem meo quidem iudicio congruentius tribuiſſet ijs canibus, qui Telemachum comitabantur prodeuntem in concionem, aut certè ijs, qui cum Euandro, & Acthæone feras agitabant. Neque enim ita rerum eximiarum laboramus inopia, neque ita ſumus inepti, vt ſemihoræ ſpatium breuiſsimum, & vel percurrendis rerum grauiſsimarum capitibus anguſtiſſimum tricis velimus conſumere. Hunc, cui modò prima lanugo veſtit genas, ſi iam tum adoleſcentiæ ingredientem ſpatia ad Socratem parentes adduxiſſent, minimè ſanè commiſiſſet, vt ſenis diuini deberet iiſdem verbis obiurgari, quibus ab eodem increpitus & obiurgatus Xenophon fuit; qui puer cum eſſet, & indolis optimæ, & cum Socrati percontanti, vbi forum macellum, indicaſſet: vbi taberna, eam item oſtendiſſet: vbi calcei venales, ſtatim digitum intendiſſet: vbi etiam piſtor, nullo negotio peritiſſimus locorum docuiſſet; demum cum eſſet rogatus, vbi locorum traderentur virtutes, & homines honeſtè viuere diſcerent, hæſit ac obmutuit. At enim ſi à Ioanne Bapti-

Apopth. lib. 3.

ſta Socrates aut quiſquam Socrati ſimillimus eſſet percontatus, quæ foret officina virtutis, quod frequentiſſimum emporium literarum, & quod animis ad omnem honeſtatem informandis optimum gymnaſium, Collegium Heluericum non dubitaſſet nominare. Inibi ipſos decem annos in comparatione artium humaniſsimarum cum ſumma omnium moderatorum approbatione conſumpſit, vix vllo interea deſiderio tum patriæ, tum ſuorum, vix vnquam à ſumma contentione interquieſcens, omnibuſque qui modò oculis inconniuentibus veram lucem pati poſſent, iucundiſsimus, fermè ſemper primarum partium in Academia, aliquando etiam ei Sodalitio præfectus, in quod nemo niſi probatiſſimus adſciſcitur, ac vbi ſub Deiparæ Virginis auſpicijs ſe legibus ſeuerioribus pudoris & innocentiæ optimi iuuenum adſtringunt. Hic aquila tua, Ioannes Baptiſta, ſuos pullos ad ſideris nitorem probauit: hinc velut è quodam pelago fæces omnes & ſordes eiectantur ad litus: hinc denique velut è vetere Lacedæmone velites fortiſſimi prodeunt, qui ſe pro antiqua religione ſolent deuouere. Permulta ſunt, & maximè putida, quibus ſe Periplectomenes tam nugator inſignis, quàm inſulſus oſtentator iactat ſuis amicis. Nam & ſe cauillatorem eſſe facetum, & commodum conuiuam, & Epheſi natum, non in Apulis, nec in Vmbria, & manibus promptum, & mobilem pedibus deprædicat: & ſcire ſe ſuæ orationis iuſtam partem perſequi, & poſſe, cum eſt aliena oratio, tacere: eſſe præterea hilariſſimum compotorem, primarium paraſitum, lautumque obſonatorem; ædeſque ſe liberas habere, comiterque menſa atque hoſpitio tranſeuntes accipere: ſe denique nemini eſſe oblocutorem in conuiuio, nemini pulpamentum præripere: eſſe poſtremò pro re nata modò triſtem & iracundum, modò ſupra verucces omnes lenem & placidum: minimèque neque mucidum, neque ſputatorem, neque ſcreatorem. Quæ ſanè vereor, ne ſcenico artifice potius, quàm oratore ſint digna; nèue leuiora & magis putida, quàm vt de-

Plaut. Mil. Glor. 3. 1.

beant in hunc locum venire. Sed quis ſenem eiuſmodi non exoſculetur tam lepidum & elegantem, ſed inſanientem ex amore, & cauſas, cur mulierculis ab omnibus debeat expeti, tam otioſè, tam multas atque tam præclaras colligentem? Attamen his tantis laudibus, quibus ſibi adeò placebat pullus hic Venerius, atque adeò quibus ſe amicæ commendatum optabat amator hircoſus, Thaddæum ſatis ſcio neque ſibi poſſe placere, neque velle cuiquam commendari. quid enim hìc virile? vbi fides? vbi conſtantia conſiliorum? vbi magnitudo animi? Etenim quota pars laudum Thaddæi eſt, eſſe commodum conuiuam, eſſe lautum conuiuatorem, eſſe locutorem tempeſtiuum, non eſſe amicum obſtreperum, non ciuem inficetum? Illa magè, ſi modò ei per ſuum pudorem licuerit, Thaddæus commemoret, quàm ſanctè amicitiam colat, quanto faciliùs obliuiſcatur magnas offenſas, quàm gratias leuiſſimas, quemadmodum honeſtatis atque dignitatis ſplendore ducatur, quàm conſtanter ſeria ludicris, diuina humanis, ac honeſta vtilibus anteponat, quàm æquo animo ferat, quæ contingunt humanitus, quàm ſeuerè imperet gulæ ac ventri, & quemadmodum ſuam Deo iudici conſcientiam ſtudeat approbare. Annum iam octauum Thaddæus patriæ, ſuorumque peregrinabatur ab oculis, foriſque in cœtu iuuenum æmulantium ſtudia colebat literulas, totus in illis, quum ei nuntius horribilis allatus fuit, patrem interceptum eſſe inimicorum inſidijs, ac vim nefariam conſceleratorum latronum ſubijſſe, ſuoque natantem in ſanguine multis acceptis vulneribus expiraſſe. adoleſcentem nulliſdum rebus conflictatum aduerſis nuntius de re tanta, tam inexpectatus tantùm non exanimauit, qui caſu illo vno auctorem vitæ ſuæ, magiſtrum virtutis ac omnis officij, domuſque columen amiſiſſet: mutuſque ac ſtupenti ſimilis in æſtimatione cladis irreparabilis hæſit. quod enim illud fuit genus calamitatis importunæ, quod in Thaddæi adoleſcentiam tranſuerſum incurrit? Si carendum patre fuit, (quam-
quam

quam id eſt miſerrimum) at minimè tam maturè: ſaltem non inimicorum arbitrio: minimè certè genere lethi tam acerbo. Sed enim parere Thaddæum oportuit neceſſitati, cuius ſunt leges amariſſimæ, pertulitque optimus adoleſcens cladem ineluctabilem forti & immobili conſtantia; ac præbuit ex ſeſe ſpectaculum iucundiſſimum Diuis, quos Seneca re nulla æquè dixit oblectari, atque ſi viros fortes videant rebus luctari cum aduerſis, ac fortunæ totum regnum irridere. Neque ſanè clades hæc importuna curſum preſsit ingenij Ioannis Baptiſtæ; neque ſolutior ei deinceps amoto parente cura literarum fuit: ſed cum hoc dediſſet naturæ, vt lacrymis, ac penè mœrore infinito proſequeretur extinctum, illud tum parentis memoriæ, tum ſuæ indoli dedit, vt ne, alijs delegata cura domus, ipſe de ſpatio, curriculoque veteris induſtriæ deflecteret. Hæc nos ſcilicet mirabamur læti, neque ſanè illud omen facere dubitabamus, eum in magnum aliquod bonum euaſurum. Neque enim imbecillitate animi, aut vllo metu degenere fecit Ioannes Baptiſta, vt ne paternas inimicitias perſequeretur, nèue in quemquam odium inexpiabile ſuſciperet. quid enim ſe negotio turbulento inuolueret? quidue in ſontes ac tantæ culpæ affines ipſe grauius conſuleret? pænaſque aut armis, aut iudicio repeteret? immo viuere fineret, per quos parens fuiſſet eiectus è viuis; perditiſque & profligatæ audaciæ gladiatoribus animaduerſionem, ſuppliciumque remitteret, & ſceleris tam nefarij atque tam indigni vltionem legibus, Deoque vltori reſeruaret. hæc prius fuerunt, & ea ſanè iam ſepeliat obliuio: aut ſi quidquam ex ea turbulenta tempeſtate debet ſupereſſe, tui facti perennet gloria, qui iram viciſti. Sed iam lætiora tentemus. quid hominum erga te ſtudia demiraris? quid omnium ordinum tam propenſam voluntatem? adeſt illa tibi comitas & affabilitas, illud melleum, illud amabile ac officioſum, quod hiſtoria in Catone deſiderauit. qui Portiæ gentis princeps cum eſſet, ſenatorque optimus, optimus imperator, orator etiam eloquentiſſi-

mus haberetur, & moribus floreret ſanctiſsimis, cauſam tamen quater & quadragies dixit, deiectuſque honoribus in omni fermè petitione fuit. Quem C. Iulius Solinus ita comparat cum Scipione Æmiliano, inconcinnum cum eleganti, triſtemque & acerbum cum iucundo, vt hunc dicat iiſdem, quibus Cato, clarum bonis fuiſſe, ſed publico amore præceſsiſſe. Te quis melius nouit vti foro, Thaddæe mellitiſsime? quis melius tenet artem, qua tibi hominum voluntates adiungas? arrides vniuerſis, omnibus aſſurgis, blandè omnes appellas, non grauatè, non faſtidiosè cauſam ſuſcipis amicorum, nemini aduerſaris, prolixaque tua & benefica natura facit libentius nihil, quàm vt perſæpe permultis gratificetur. O commodum! ò liberalem! ò dignum omnium amore adoleſcentem! de amabilitate audiſtis Thaddæi, iam de conſtantia accipite. Scitis, ac taciti deploratis calamitatem huius temporis, quo adoleſcentuli refractarij ſunt, inuerecundi, ofores induſtriæ, Veneremque de tenero ſtatim vngue meditantur. Cuius eſt probitatis inter tot exempla & inuitamenta natiuam ingenij bonitatem tueri? Thaddæus tamen domo ad gymnaſium prodiens, inde reuertens domum, colloquens, conſueſcens, colludenſque cum tam multis, è patria demigrans in hanc vrbem, hinc remeans in patriam, fontem illum Alpheum toties poetarum decantatum carminibus fuit imitatus, qui Elide proficiſci, & mare Siculum ſubire, ac ſubterlabi dicitur incorruptus, puroſque putos ſuos latices tanto ſpatio aquarum in Siciliam ad ſuam Arethuſam deferre. Hoc equidem candidato noſtro pono in ſumma laude, quod tantopere cauit, ne quid caperet incommodi ex quotidiana atque neceſſaria cum ſui diſſimilibus conſuetudine, & quod cum tanta acceſſione literarum pudorem eundem, pietatem verò etiam maiorem referet ad ſuos. quibus cum caſus denarrabis, Thaddæe, quibus fuiſti defunctus, cum labores commemorabis, cum doctrinarum fructum & compendium appendes, cum denique te ipſum totum probabis, licebit iactes, te

Polyſth. pag. 23.

Virg. 3. Æneid.

ſyrtes,

ſyrtes, te ſcyllam, te Polyphemi ſpecum, te regna Circis, te omnia Siculi maris diſcrimina eſſe ſagacitate quidem Vlyſſea, ſed vtique fortuna meliore prætervectum. Iam quid agis? quidue hic cunctaris? non vides ſciſſam & laceratam Eccleſiam, deuaſtatam vineam Domini, fonteſque doctrinæ turbatos? Non vides caſtra incirconciſorum, qui ſine modo caſtris inſultant Chriſti? Non vides factionem confertiſſimam fanaticorum hominum religuias oppugnantium Eccleſiæ? non vides vulpeculas Sampſonis circunferentes, ac latè ſpargentes ignem? quid hic agis? quin ante gregem Domini vadis, agminique benè ſentientium ducem te præbes? Horribile eſt, & tum dictu, tum cogitatu fœdiſſimum, quid velint, quid moliantur impoſtores nequiſſimi. Non contenti ruinis Eccleſiæ nihil minus concupiſcunt, quàm ne veſtigium ſuperſit vllum religionis orthodoxæ, lucemque omnem, & omnem ſcintillam perſpicuæ & ſimpliciſſimæ veritatis extinguant. Hæccine tua pietas ferat? Monent te tum ætas tua, iuſtæque vires, tum eruditio tanta, tum ipſa pericula Eccleſiæ, vt fortiter patrocinere veritati; & ea quæ in vmbratili, & quaſi ludicra exercitatione didiciſti in hac vrbe, & quæ incluſa tenes in animo tuo, proferas, & ex vmbra & palæſtra in mediam arenæ lucem educas. Illud equidem fretus ingenio tuo confido futurum, vt exemplo & doctrina tua genti illi finitimæ, Rhetiæque vniuerſæ ceteum luceas & facem eiuſmodi, qua poſſit ad ſalutem adduci. Sed caue ne te de gradu tanta factio deijciat, atque ne, qui te in gymnaſio tam inſignem præbuiſti, tandem ad ipſum certamen deficias. An quidquam auſpicijs gerere potes melioribus, quàm quæ geres pro cauſa antiquæ religionis, in qua ſalus vertitur totius reipublicæ? Age igitur, & vera dogmata, quæ ceu quoddam amplum patrimonium ad nos noſtri maiores tranſmiſerunt, aduerſus fanaticos homines, & ſeditioſos tuenda ſuſcipe, vt de te dici poſſit, quod olim de Iuda Machabæo: *Et directa eſt ſalus in manu eius*. Dixi. Math. 1. 2.

In Laurea
BERNARDINI PONZONI
PANEGYRICVS
Qui inſcribitur
Gratiarum Chorus.

Etſi me neque ipſa natura, neque conſuetudo confidentem aut glorioſum effinxit, hoc tamen diſertè profiteri non dubito, nullum hodie periculum eſſe, ne mihi pro Bernardino Ponzono dicenti verborum copia deſit. Vetus enim ea parœmia fuit, cùm ſæpe conuiualibus ſermonibus amicorum iactata, tum ſemper comprobata virorum ſapientum ſuffragijs, *Muſicam amor docebit, imperitus ſis licet.* Quod à me non propterea dici credatis, quod cantionem aliquam, fideſue, aut modulatum carmen mediter afferre. neque enim vnquam vllo id genus officio meos amicos demereri conſueui: neque Amori eam vim tribui ſolitam exiſtimo, vt quemquam quantumuis rudem ad Muſicæ duntaxat rhythmos ac ad cæteras eius artis delicias, non item ad eloquentiam informet. Non id nouum eſt, neque mihi domi natum inuentum, ſed multis ante ſeculis à diuino Platone traditum & confirmatum, qui Amorem facundum eſſe dixit, doctum, atque diſertum; quem etiam, quod eſt magis admirabile, ſophiſtam appellauit. Hoc vnum tanto auctore prolatum verbum quanti mihi fuerit, videte. Me pendentem animi, timidiuſque meas vires reputantem ſtatim erexit & confirmauit. Qui enim Ponzonum tantum ſemper amaui, *quantum*

Sappho apud Plutar. probl. Symp. dec. 1. q. 5.

In Conuiu.

tum ab amico amicus amabitur nullus, ſanè vereri vix poſſum, ne beneuolentiam tam eximiam & ſingularem verba inuita ſequantur. Nam quod aiunt, nos ſolitos eſſe, ea quæ ardentius amamus, non minus laudare libenter, quàm ſpectare: & cum vbique ſit loquax Amor, nuſquam eum, quàm in laudando, verborum eſſe profuſiorem, ne longè abeamus, de me hodie id experiar, ac vtrumque huius mei conatus oſtendet euentus. Quæcunque ſit futura fortuna dicentis, hoc te, Ponzone feſtiuiſſime, ante monitum volo, me tibi ab Amore omnia ſumma poſſe polliceri, à viribus ingenij mei polliceri nihil poſſe. At penè videor oblitus, quid ab initio fuerim profeſſus, munus hoc non meum, ſed eloquentiſſimi cuiuſdam oratoris eſſe totum futurum. Is iam faxo prodeat in concionem, ſi modò vos, Viri præſtantiſsimi, fidem datis, exiſtimaturos vos eſſe, tota fabula Perlaſcam ſilere, loqui Amorem. Ponzono genus eſt, eſt ampla pecunia, ſunt ei quotannis meſſes vindemiæque vberes, nec deſunt ædes, ad quas non grauatè Reges poſſint hoſpitio diuertere. Sed in tanta opulentia ego miror nihil, niſi animum eiuſmodi rebus vtentem: niſi frugalitatem atque diſciplinam nihil ſibi permittentem amplius, quàm ſi à ſe ipſo omnium rerum abauis, atauiſque ſuis reddendam eſſe rationem exiſtimaret: ac denique niſi ſtudium artium optimarum, ac illud ſanè tam ardens & incitatum, quàm ſi ſibi, ne vnquam eſuriret, literas in remedium famis elegiſſet. Hæccine ſemper mutus intuebor? Ergo vtar iure meo, vt liberè dicam, quæ ſentiam. Quamquam ſi vocem ita poſſem attemperare, quemadmodum faciunt, qui tibijs, aut lituo ſcienter vtuntur, qui modò *molliorem choro paana canunt*, modò iras & gaudia, languorem, mœſtitiamque, amoreſque ſuos & odia perquam aptè numeris imitantur; nec non aliquando concitatiore ſono in militarem modum audientes ad certamen inflammant: haud equidem dubitarem, quidnam mihi faciendum foret. nempe vocem incitarem, quantum poſſem, verbiſque atque ſententijs pondus Virg. Aeneid. lib. 6.

longè

longè maximum addere ſtuderem, ac deníque nihil reliqui facerem, quo Ponzonus poſſet in officio meo ſuam quandam imaginem intueri. Et quamquam
Eun.3.5. non illud mihi ſumo, quod ſibi olim Chærea Terentianus, qui nactus amicum è ſententia, apud illum ſeſe glorioſius atque intemperantius iactabat, ſe cum primis elegantem formarum ſpectatorem eſſe; tamen eſt aliquibus ea formæ dignitas, quam dum intueor, mihi ſtatim venit in mentem aſſentiri Euripidi, qui *ſpeciem imperio dignam* eſſe pronuntiauit. Adeſt,
Dares Phryg. Ponzone, tibi index animi excelſi recta proceritas, qualem ferunt Regis Regum Agamemnonis fuiſſe. Micant in ore tuo præfulgentes nitidique oculi, non oculi ſed extra lunam fulgentia ſidera; cuiuſmodi ij
Suet in Octau. fuerunt, quos Auguſto tribuunt Hiſtoriæ. Porro candorem tuum ſic temperat mitis quidam ac virgineus rubor, te vt meritò cum D. Hieronymo *eboris oſtri-*
Epiſt. ad Saluinã *que commercium* poſſim appellare. Iam genis, iam fronte ſerena & exporrecta, quem potius, quàm Iunonem imitaris, quando Deorum in concilium venit? Neque ſilendus flauus capillus eſt, decenteſque comæ, ſimiles earum, quas in Apolline atque in Menelao
Iliad V. Homerico mirata fuit antiqua poeſis. Florem verò iſtum iuuentæ quo piaculo præterirem? quo vultus tui renidens lumen, gemellum germanumque luminis illius, quod Æneæ Troiano non alia fabuloſa Ve-
Æneid. lib. 1. nus, quàm felix Muſa Maronis attribuit? At habitus corporis tui tenuior eſt & aliquanto gracilior. Eſt hoc ſanè, neque tamen corpus tibi exuccum, aridum, aut macilentum eſſe, aut in eo venas & oſſa ita eminere videmus, vt natura potius inuidiſſe formæ tuæ ac dignitati videri poſſit, quàm tibi onus perquàm graue atque ſupervacuum detraxiſſe. cæcorum molliumque amatorum quid ego iudicia morer? quorum aliqui alba liguſtra, aliqui nigra vacinia deligunt ad amandum; quidam procerarum virginum, quas &
Lucret. lib. 4. *plenas honoris* appellant, quidam paulo breuiorum, quas indigitant *Charites, & Sal merum*, amoribus, inſaniunt. Ego omnes adoleſcentes malo exiliores

eſſe,

eſſe, quàm obeſos & pingues, ſimileſque eis tauris, quos aris deſtinatos intentiore cura paſcebant antiqui, magiſque ſtudioſè ſaginabant. quid enim aut hìc probare quis poſſit, aut illic improbare? aut quæ ratio eſſe poteſt, cur Ponzonus ſuam gracilitatem permutatam velit, quæ ſibi hoc præſtat, vt minus ſæpe morbis tentetur, vt corpore multo agiliore vtatur, vt ſit expeditior ad omne munus obeundum, vt vigilias laboreſque ferat prolixiores, ac denique vt ingenio ad literas perdiſcendas ſit acutiore ac magis experrecto? ac vt mittam cæteras opportunitates, quas habet corporis habitus gracilior, quanti, amabo, illud eſt, quod is cuiuis coniecturam certiſſimam affert, Ponzonum non eſſe natum abdomini, neque cum cibo vinoque vti largiore? nam de habitioribus illis & magis corpulentis quid dicemus? qui nati ad annonæ pretium augendum, ſatis oſtendunt, minimè ſe pane atque naſturtio, vt olim Cyri milites, deſiderium explere naturæ: neque vt multo ante Diogenes ille Cynicus, ſeſe ambulando famem obſonare. ij verò genere aliquo laudis, ſic dicam, *inclareſcant*, qui toti ſunt in patinis, ſemperque madent, viciniſque ac amicis inhalant vinum, ac perinde ſe cibis ingurgitant, quaſi macello porcos, aut Apin Ægyptijs alant? Haſtam vos aut gladium ad feriendum aut ad propulſandum hoſtem eis tradatis, qui pigri mole tam ægrè ſuum corpus moliuntur? illis remp. defendendam committatis, qui vino ciboque ſuas omnes cogitationes demergunt? vobis illos in famæ, capitis, aut rei diſcrimine eligatis aduocatos, qui ſic incedunt, tanquam ſi fercula Iunonis ferant? ac denique in quibus ſemper, vt ſic dicam, innatat anima, ij pluteis aſſideant, laudemque vllam ex ſtudijs artium liberalium conſequantur? Atenim ego facere videor iniuſtiſſimè, qui à pinguioribus non verbo, non facto laceſſitus, eis tamen non deſino orationis meæ velut quendam infeſtum mucronem intentare. Verùm ita ſe res habet: me dum gracilitati Ponzoni fautorem cum primis præ me fero, atque dum gloriam ac virtutem,

Xenoph. Cyrup.

ſieco-

ſiccorum eſſe patrimonium defendo, neſcio quo pacto ad ſigillandam ac leuiter perſtringendam corpulentiam, me quidem inuito, ſtylus meus excurrit. An verò gracilitatem ſterilem eſſe verè diſputent, ij viderint, quorum res agitur. Ponzonum ea res nihil afficit, qui neque ſe corpore eſſe obeſo videt, & ſe iampridem nouit eſſe fœcundiſſimum. Eia quid inſanis? Vix enim vos opinor id audiſſe, cum cupiditas vos cepit exquirendi, quæ demum ſit iſta fœcunditas eius adoleſcentis, qui nondum inueniendis liberis operam nauauit, ſed nequedum ſe muliebri negotio, vxorioque impliciuit. Anne id mirum videatur vobis, qui iampridem didiciſtis è fabulis, aliquando fœmore, aliquando capite Iouem peperiſſe? anne vobis excidit ex animo Thebani Epaminondæ vox penè diuina, qui cum grandis iam natu liberos nondum ſuſcepiſſet, Leuctricæ pugnæ victoriam, ſuam filiam appellauit? Viros alloquor longè ſapientiſſimos, qui præter eos liberos, quos marito pariunt vxorculæ, neutiquam ignorant alia eſſe permulta, quibus Ponzonus ſuam fœcunditatem probare potuerit, & nobis quidem magis plaudentibus potuerit, quàm ſi liberorum numero Herculem Thebanum, Priamumue anteiuiſſet. Eum fœcundum eſſe quis neget, qui tot ingenuas artes cognouit, & eas quidem tam feliciter, ac annis tam paucis? haud ſanè mentior, V. C. Ponzoni enim ſi ſic ætatem, tanquam telam aliquam retexamus: aut ſi tanquam à metis, quas hodie auſpicatiſſimè attigit, retrò ad carceres, vnde ratio tum vitæ ipſius, tum etiam ſtudiorum profecta eſt, redire velimus, inueniemus Bernardinum Ponzonum intra decimum quartum annum Rhetorem fuiſſe, intra ſeptimum decimum Philoſophum, ante vigeſimum Theologum, poſt alterum & vigeſimum laureatum. O artium & doctrinarum præclara nomina! ò progreſſiones eximiæ! eximias dico, ne falsò quis exiſtimet à me Ponzonum in illorum numero collocari, qui leuiter tincti, artium inania nomina referunt è ſcholis; qui plures vbique ſunt, quàm ranæ

Lucian. Dialog. tomo 1. c. 2.

Æmil. Prob in Epam.

aut

aut muſcæ, ſæpiuſque inter eundum occurrunt nobis, quàm herba parietaria. Laureatus eſt, non ebblanditis ſuffragijs, cum ei ad hunc honorem ſola ſit ſuffragata admiratio doctrinæ. theologus eſt, non vnus è multis. eſt philoſophus, non ſolo iudicio vulgi, ſed magè cognitione rerum, perueſtigatione naturæ, diſſerendique ſubtilitate. denique rhetor eſt non gregarius, ſed præceptoris ſui teſtimonio, atque ipſorum condiſcipulorum, inter quos æmulatio fermè ſemper ſolet eſſe ingenij, confeſſione doctiſsimus & elegantiſsimus. Ponzoni adoleſcentiam ſic hactenus velut in partes diſſecuimus, vt ſuam parti cuique redditam laudem eſſe videatis. Neque tamen memini caſuum aduerſorum, qui eius in ſtudia ſuſceptaſque vitæ rationes incurrerunt. non eius temporis, quo valetudo minus proſpera ſtylum atque libellos è manibus eiuſdem excuſsit. non denique Gallicorum tumultuum, qui Ponzonum ſuis literulis intentum aliquando tanquam è nidulo excitauerunt, relictaque ea patria, quam hoſtis igniſque propulabantur, Veios migrare coegerunt. Quis malus Genius tot motus, tempeſtateſque ciet, quò ne Ponzonus ſuum curſum teneat? quæ vis inimica, huic capiti accreſcentes lauros infringere conatur? at fruſtra conatur. minore ſiquidem negotio clauam Herculis è manibus, quàm ediſcendi, progrediendique propoſitum ex animo Ponzoni quis poſſit extorquere. Sed enim ſi videtur, lætiora tentemus. Quid enim quod tam gratioſus apud ſummates viros Ponzonus eſt, tam charus omnibus atque iucundus, eiuſque conuictus & conſuetudo tam expetita; vt haud dubiè in eum Titi Cæſaris pronomen conueniat, quem Romanorum aſſentatio AMOREM HVMANI GENERIS nominauit? Eſt mehercule permirum, tantum deferri Bernardino Ponzono ab illis ſuperbiſsimis proceribus, qui cum fermè ſemper bonis artibus, boniſque artificibus ſuas fores occludant, aperiant morionibus, ſcurris, atque adeò perductoribus, quos habent intimos, menſæque adhibent, Ponzonum tamen nihil venditantem eiuſ-

modi.

modi, nulliſque id genus lenocinijs conciliatum ſibi ſic excipiunt aduentantem, ſic læti amplexantur occurrentem in via, tanquam ſi bonam Fortunam, aut bonum ſuum Genium amplexentur. Eos verò quid eſt quod capit, atque (ſi licet ita loqui) à meretricijs paraſitorum amoribus ad Ponzoni amorem honeſtiſſimum traducit, niſi eius quædam ſingularis morum ſuauitas, admiratioque ingenij, tum etiam vitæ ſplendor incomparabilis, magiſque expreſſa probataque factis, quàm verbis iactata nobilitas? Hæc vniuerſa velim credatis Pythiam de tripode loqui. Attamen non me fallit animus, alium quendam adeſſe Ponzono amoris conciliatorem mirificum, qui ei voluntates deuincit hominum, quem tamen quo appellem nomine, nondum inueni. Egone iſtum, vt ſic dicam, illicem tuum, Plinij ſecundi verbo, innoxiam popularitatem vocem? an lepidiſsimum quendam leporem? an potius vernaculam feſtiuitatem? an eum tuis moribus dicam eſſe, quod eſt acetum, ſeſamumque dapibus, quod formæ geloſinus? an potius charitem appellem? ne plura, rem ipſam, quod aiunt, acu tetigimus. planè charis eſt, non fallor, Vir Clariſsime, Qua tu ſcilicet adiutrice, & cuius delinimentis vteris ad ſtudium ciuium, beneuolentiamque colligendam, illa nihil, niſi charis eſt: non ea quidem, quemadmodum olim Gorgo, anguibus vndique circum tempora perſultantibus horrida: neque vt Scylla in freto Siculo ſuccincta canibus, ſed potius inſtar Veneris ſtipata Amoribus, nec non Amabilitate ipſa, & Amœnitate; eiuſque in comitatu ſunt Lepores & Sales: ordineque longo ſequuntur Venus, Magnificentia, Decorum, ac Affabilitas: clauditque agmen totum renidenti vultu Popularitas; ea ſcilicet, quæ fuſa per omne munus vitæ ita verba moreſque tuos, atque adeò ita obtutum ipſum & inceſſum attemperat, vt vix rear inceſſu alio, aut alia voce Gratias vſuras eſſe, ſi quando velint in conſuetudinem, atque in cœtum hominum venire. Me verò quàm libenter dedo, vt hæc Regina, eiuſque pediſſequarum caterua tam honeſta,

Martial. lib.

neſta,

neſta, voluntatem meam alligent, ac velut in triumpho captiuam ducant, tam alienor offendorque ratione pertriſti aliquorum & ſeuera, quos ego multo diligentius, quàm nautæ ſcopulos, euito: eoſque (ne conſuetudine, congreſſuque hominum, quos ferre nullo modo poſſum, ſtomachum eijciam) facile ſibi, ſuiſque relinquo. Satiſne ſano capite, Ariſton, fuiſti, qui triſtes malebas, quàm lætos adoleſcentes? Satis tibi, Stobæe, fuit mens integra, qui Sapientem cenſuiſti auſterum eſſe oportere? qui ſi ab adoleſcente, & à Sapiente veſtro remotam voluiſtis pudendam artem aſſentandi: ſi voluiſtis relictam Campanis vinitoribus infrunitam conuiciandi licentiam, illiberales iocos, ſcommata ſeruilia, laſciuamque petulantiam, quid ego, niſi vobis perquàm libenter aſſentiar? Sin id agitis, vt is adoleſcens, quem vos fingendum ſuſcipitis, omnibuſque bonis accumulare ſtudetis, fronte ſemper contractiore ſit, celebritatem atque frequentiam populi magis vitet, quàm noctuæ ſtrigeſque lucem: & tanquam ius habeat perpetuæ cenſuræ, ſuis moribus ſemper rigeat, vultuque nubilum cælum imitetur, quod tonitru fulgetriſque multos conterreat: ſi vos, inquam, frontem, ſupercilium, inceſſum, ſecretum, atque ſilentium, ſapientiæ doctriniſque tribuitis, non videtis, quemadmodum ipſi vos, & ipſam doctrinarum dignitatem, atque ſacroſanctum ſapientiæ nomen in magnam inuidiam adducatis? Qui ſi fortè iſtam auſteritatem, quàm præſcribitis, ratione Stoicorum, eiuſque gentis vniuerſæ conſenſu defenditis, quin illud quoque ex decretis ſeu placitis eiuſdem diſciplinæ, adoleſcenti iſti veſtro præcipitis, vt cum vxorio capiſtro collum induerit, commiſceatur palam cum noua nupta, ructuſque habeat liberos, & fœda quæque ſuis nominibus appellet? Quæ ratio ſi fœtet, atque ſi tota iampridem antiquata, exploſaque fuit, non video, quid ſit, cur in auſteritate præſcribenda pertinacius pertendatis. Nolo qui ſpeculo ſic adſiſtunt, vt in illud intuentes, notent quemadmodum placere vultu, aptèque arridere poſſint, ſed item nolo,

Apud Senec. ep. 36.

nolo, qui ſe in eodem ſpeculo ad ſeueritatem, atque ad oris habitum truculentum componunt; quorum alterum leuitatis eſt, alterum feritatis: illud totum meretricium, hoc tyrannicum; alterum Alexandrina Thais factitauit, quo plures amatores in ſuos caſſes attraheret; alterum illa natrix & macula Imperij Romani Caligula, quo magis ciuium ſuorum animos conſternaret. A fæcibus huiuſmodi immane quantum diſcrepet Bernardini Ponzoni feſtiuitas; qui rectam animi conſtitutionem nactus à bonis ſtudijs, ac ſæpè doctrinæ ſuæ minimè vulgaris præclaris documentis perſpectus & cognitus, diuque nitendo popularem exiſtimationem aſſecutus, ita nunc vulgò probatur, vt quantum ſuſpicitur propter ingenium, tantum diligatur propter facilitatem & ſummam comitatem. quod munus diuinum quanti Ponzonus æſtimare debeat, haud ſanè poteſt conijcere, niſi liquidius intelligat, quam illud vim habeat ad gratiam demerendam, & quam quotidie ad contrahendum & tranſigendum cum hominibus, habeat opportunitatem. Ex Cyro periculum vos facere oportet, qui quemadmodum vos literæ poſſunt docere, nemini Regum popularitate atque humanitate conceſſit. is enim cum ita ſe comparaſſet ab initio, vt ſuos omnes omni ſtudio officioque complecteretur, ſingulos alloqueretur perblandè, ac omnino præteriret nihil, quod cuiuſquam poſitum eſſet in benignitate ac liberalitate, ita erga ſe ſtudia commouit omnium gentium, vt natio quælibet ſe voluntati eius obſequentiſſimam præberet: maleque ſecum agi putaret, niſi quidquid egregij in regione ſua vel gigneretur, vel efficeretur, Cyro ſtatim impertiret. Quæ voluntatum propenſio, & quæ ſtudia ſtudijs collecta Cyri quantum ei profuerint ad nouum condendum imperium, exiſtimare, niſi Cyrupædia perlecta & replicata non poteſtis. Præliorum eius, expeditionum, atque victoriarum quis poteſt numerum inire? quorum operum immortalium etſi magnam partem fortitudo Cyri, & armorum tractandorum peritia ſibi vendicant,

Xenoph. lib. 8. Cyrupæ.

cant, vos tamen ſic exiſtimate, me eius Regis comitati, ac animorum tractandorum arti partem multo maximam tribuere: ac perſuaſiſſimum habetote, quouis gladio, falcato curru, haſta, machiniſque benignitatem ei ad excindenda regna, atque deijciendos vetere poſſeſſione Reges potiorem extitiſſe. Lydios is quidem atque Aſſyrios ſubegerit armis, aliaſque præterea complures nationes fregerit ingentibus prælijs: nihil tamen ſine ope auxilioque ſuæ comitatis feliciter tranſegit, cum ei permulta ſola comitas ſine ope armorum, ſine copijs, ſine ſuis Homotimis (ita genus militum Perſæ vocant) & ſine falcatis curribus feliciſſimè confecerit. Quis enim memoret, quo die, quibuſue telis, & cuneis, aut quo militari conatu Armenios debellarit, quo Indos, Chaldæos, quo denique Hyrcanos, Arabes, & Cares; quos alieniſſimos, armiſque experiri paratos Rex Cyrus paucis verbis, ſed delibutis melle ſuo ita deliniuit & flexit, vt ſeſe ac arma dederent, & collo Perſicum iugum perquàm libenter acciperent? Itane liberæ gentes, aut certè ſuis Regibus aſſuetæ patiuntur perſuaderi ſibi, ſeſe vt exteris in ſeruitutem tradant? itane vetera ſua belli decora obliuiſcuntur? itane denique armorum gloriam vilem & proiectam habent, vt ab extero iura petere ſuſtineant, ac ante tentatam fortunam prælij, cæci ad tam præceps conſilium decurrant? Diſce, Ponzone, ſermo blandus quid poſſit. Nempe cum tela repellantur telis: ictuſque aut lorica aut corporis declinatione, aut etiam enſis & clypei oppoſitu vitentur, ſermonis comitati nemo adhuc niſi furens loricam aut haſtam obiecit, quo minus tota velut auribus infuſa, ad ipſum animum illabatur. Quamquam enim rationes tuæ ſunt pacis ac togæ, non belli neque armorum, an idcirco reris defutura, induſtriæ tuæ præmia, aut certè animos defuturos, qui capiantur ſuauitate, victique ac deliniti verbis tuis, ſed multo amplius tuis moribus, ſeſe dedant tibi, vt imperes, quæ velis? falleris, mihi crede, niſi omnia, quæ ad rem tuam, quæque ad tuam dignitatem

X perti-

pertinebunt, ab eorum ſtudijs, qui rerum potiuntur, expectaueris. De nobis amicis tuis vt loquamur, quem noſtrum arbitraris non paſſurum eſſe ſibi venam incidi, ſi tu à quoquam in tuum remedium poſcas cruorem? aut quem opinaris non obiecturum eſſe multis ac magnis periculis caput ſuum, ſi fortè ſalus tua vocetur in diſcrimen? Benignitas tua, comitaſque ſermonis, ſi neſcis, affert, vim eam noſtræ voluntati, vt res tua dum agitur, vix liberum ſit, vtrum velimus, cogitare. Ambit Ponzonus? nobis copijs omnibus eſt adnitendum, ac nihil intentatum relinquendum, quo ei res è ſententia ſuccedat. Angitur? continuò curſandum, & perreptandum nobis per vrbem totam eſſe ſtatuimus, ſicundè fortè ſollicitudini eius remedium aliquod exculpere poſſimus. denique capite fortuniſque periclitatur? illico nobis conſurgendum, mouendumque quod aiunt omne ſaxum, nec ante quieſcendum, quàm incolumitas eius ſarta tecta relinquatur. Quæ ſi cui fortè venerit in mentem ſuſpicari, dici à me oratoriè, aut à me vni duntaxat facilitati Ponzoni tribui, quam vt ei ponam in maxima laude, nunquam certè neque in numerum referam earum virtutum, quæ veluti familiam inter cæteras ducunt, neq; cum veris Ponzoni ornamentis comparabo; illum ego nolo in cogitãdo diutius errare. Etenim cum ſit aureus, aut etiam gemmeus Ponzonus, quota demum pars eius eſt comitas, feſtiuitas aut benignitas? Totum Ponzonum ſi vos non næuo aliquo aut crepundijs, vt fieri conſueuit in fabulis, ſed corpore toto, neque tantùm corpore, verùm etiam animo, ſtudijſque agnoſcetis, quàm ſit perfectus in dicendo & perpolitus, quàm minimè oſtentator, quantũ & quatenus indulgeat amicis, vigilias quantum extendat, quàm ſit fugitans omnium litium, quo ſplendore vitæ, quàm contemptor opum, quàm candidus alienarum rerum æſtimator, quàm denique vera pietate atque religione; nobis, qui cum eo diu multumque conſueuimus, facilè vos aſſentiremini affirmantibus, Ponzonum cuiuis penè ſuis cuiuſque oculis chariorem eſſe

opor-

oportere. Hæc foris, illud domi. Quiddam eſt mirificum, ſingulare, ac fortaſſe ante Romanæ expirantis reip. ſuprema tempora inauditum, quod de T. Pomponio Attico ferunt; quem ciuem moribus mitiſſimis atque leniſſimis, perpetuo nec vnquam interrupto tenore integerrimæ vitæ, florentiſſimaque tum gloria tum fortuna, cum demum annos natus ſeptem & ſexaginta matrem efferret annis nonaginta maiorem, dicunt multis audientibus gloriatum fuiſſe, *ſe nunquam cum matre in gratiam rediſſe, nunquam cum ſorore in ſimultate fuiſſe*. Qua in re ſi quidque ſeorſum expendi placeret,& Romanæ curiæ morem imitaremur, in qua ſæpe ſententias diuidi, Senatores poſtulabant; alterum quin ſibi gloriæ verteret, minimè ſanè repugnarem; probaremque inſuper, ac tantam viri vnius indulgentiam demirarer, qui quam ſororculam amare deberet, iraſci ei nefas duceret: alterum eſſe dicerem eiuſmodi, vt multis videri poſſet, nihil eſſe vſquam magis impium, magis barbarum ac ferum, & viri dignitate magis indignum, quàm eum aduerſus matrem plumbeas iras geſſiſſe, & tantam exercuiſſe acerbitatem odij, vt neque alios pacis auctores audire voluerit, neque ipſe vnquam de reconcilianda gratia potuerit cogitare. Neque dubito quin veſtrum plerique, qua eſtis tum pietate, tum lenitate,non potueritis de tanta feritate, niſi indignantes, execranteſque audire. qui ſi monſtrum eiuſmodi aut abolendum flammis,aut mari demergendum cenſetis, vt Aiacis exemplo *ſalſis epotis fluctibus* intereat; atque adeò ſi iam ad culeum conſuendum accurritis, vos moneo,date ſpatium iræ, atque interea dum vobis veſter animus ad æquitatem redit, manus crudeles inhibete. Ne longè abeamus; atque ne, in quos vindicemus,quæramus in hiſtorijs, ſiſto vobis eiuſdem argillæ ciuem, ac ſimillimæ feritatis Bernardinum Ponzonum. Fratrem habet Ludouicum, natu maiorem, quicum concordiſſimè viuit, nec vlla vnquam inter eos querimonia interceſſit. idem habet Hortenſium parentem adhuc ſuper-

Cornel. Nepos in vita Attici.

ſtitem, virum grauiſſimum, ſed curis anniſque obſitum, atque iam tandem ætatis vitio *omnia omnibus annuentem*. quid expectatis? Nemo dixit hactenus tam commodè, ac nemo tantum auctoritate apud Bernardinum valuit, vt patri eum reconciliare, & rem ad concordiam adducere potuerit. At enim quid Atticũ, quid Ponzonum ferreos homines incuſatis? quidue ad ſupplicium eos depoſcitis? crimine vtrumque abſoluo. quid enim hic cum patre ſuo, quid ille cum matre redirent in gratiam, à quibus nunquam ne quidem leuiſſimè diſſenſerunt? aut quæ demum eorum animos noua iungeret concordia, cum nullus caſus interuenerit eiuſmodi, qui ſummam coniunctionem & pietatem dirimeret? Qui cum alienis coniunctiſſimè viuis Ponzone, qui officiorum expendis omnia momenta, & qui te penè à puero ita comparaſti, vt cuiuſque mores ac ingenia ferre poſſis, ſcilicet ferre parentem optimum filius ſuauiſſimus non poſſes? adoleſcens tot cumulatus ornamentis in te tantum flagitium admitteres, vt exueres obſequium, parentiſque nomen ac auctoritatem proiectam haberes? aut ipſe te hominem eſſe duceres, ſi habitus tam leniter & copioſè, atque tam liberaliter educatus, ſenectam optimi patris ingratiſſimè crudeliſſimèque deſtitueres?

Catull.

Mihi verò ita ignoſcatis, Viri Clariſſimi, ſi longiorem orationem haud ſanè multa dicendi libido, ſed admiratio viri, & neceſſaria tot ac tantarum rerum commemoratio fecit. Sed Ponzone mihi tecum ſermo eſt. Tu, quod dignum te fuit, feciſti, vt otio negotium, ſqualori cultum ingenij, deſidiæ ac voluptati ſeueriorem diſciplinam, ac denique omnibus humanis rebus religionem præferres. Te ſtudioſiſſimum, verecundiſſimum, elegantiſſimum eſſe, ne liuor quidem ipſe, aut malignitas poſſunt infitiari. Cæterùm qui adhuc in alios tanquam in ſpeculum inſpexiſti, iam te imitere oportet, ac tecum ipſe certes: neque licet tibi iam, tantis rebus geſtis, atque tam benè inſtitutis vitæ rationibus non tui ſimilem eſſe: ac falleris,

is , ſi quoquam potius cum alio , quàm tecum loqui Senecam arbitraris eis verbis , *Perſeuera , incumbe , & id age, vt omnia facta dictaque tua inter ſe congruant , ac reſpondeant ſibi , & vnà formà percuſſa videantur* . Dixi . Epiſt.34.

In Laurea

IOANNIS FRANCISCI CATTANEI.

PANEGYRICVS

Qui inſcribitur

Hippolytus Euripidis.

VRbis illius æternæ , quæ victricibus armis & aquilis terras penè omnes emenſa , latiſſimè tot ſeculis imperauit , cum alia ſanè permulta , tum illud in primis diuinum fuit inſtitutum , vt qui duces belli præpotentem aliquem hoſtem,Romanoque imperio grauem fregiſſent, atque ob eam cauſam in Capitolium ſic militari carpento , tanquam ipſo Phœbi curru , ſublimes veherentur , ij ſibi in eodem curru conuiciatorem aliquem apponerent, qui ſe probris & maledictis inſectaretur , & amaras hiſtorias , memoriam ſcilicet funeris atque ſepulchri lætis geſtientibuſque ingereret , atque mortalitatis , fragilitatis , & humanarum viciſſitudinum triumphantes admoneret . Cuius mihi populi niſi eſſet auctoritas tam grauis, vt quod eum feciſſe conſtet, continuò id rectè fa- Iuuenal. Sat. X.

ctum eſſe defendere debeam, ratio tamen ipſa perſuaderet, vt tantam moderationem à Metellis, Scipionibus, Fabijs, cæteriſque ex eadem republica gentium victoribus tam, vt cuipiam fortaſſe videri poteſt, alieno tempore vſurpatam quibuſuis ipſorum triumphis anteferrem. Cum enim indulgeat ſibi quiſque, & cum ſecundis rebus facilè ſe patiatur auferri leuitas ingenij noſtri, ego ſanè in illa Heroum tanta gloria, quæ penè maior humana videbatur; ſoliumque attingebat Iouis, vt inquit Poeta, ne ſuperbia ſubiret animum, vix alia magis certæ ac exploratæ fidei antidoto ingenium illud fortium virorum fuiſſe præmuniendum exiſtimo, quàm vt, quo tempore captiuos Reges, quo tot imagines vrbium deuictarum, quo prouinciarum opes ſuis ciuibus oſtentabant, eodem aliquem haberent, qui ſibi conuicijs & maledictis velut frigidam inijceret, & totam illam glorioſam ſcenam irrideret. Multa ſunt, Cattanee doctiſſime, quapropter hunc diem ouantis doctrinæ tuæ, neque doctrinæ tantum, ſed etiam probitatis, cum veterum Quiritium triumphis conferam atque contendam. quo die ſi maluiſſes à me operam fidelis monitoris, quàm garruli præconis expectare, næ tu operam expectares nec tibi inutilem, nec mihi grauem aut iniucundam futuram. Etenim quæ cauſa tot viros non minus eruditione, quàm genere primores ciuitatis in hunc vnum locum contraxit? quid porro ijdem nunc vniuerſi in te vnum oculos animoſque conuertunt? Dum ij qua tacito ſenſu animorum ſuorum, qua ſententijs apertis ſe gloriæ tuæ ſtudioſiſſimos eſſe declarant, ne te tantus pietati ac ingenio tuo habitus honos inflet, ego tibi vellere poſſim auriculam: qui contra, vt quantum poſſim connitar, atque vt omnes meas copias velut in vnum locum conferam atque conijciam, non ſum tamen illud conſecuturus, vt huiuſmodi ciuium iudicio in oratorum manipulo numeroque poſſim conſiſtere. Quo minus tamen has partes detrectarem, illud in cauſa fuit, quod & ea te moderatione animi eſſe cognoſcerem, quam nullus honos tentare poſſet:

Horat.

&

& eo iudicio, quod non plura flagitaret ab amico, quàm quæ ab eodem poſſe præſtari ſatis ſciret. Diu eſt, quod quanti vir eſſem, penè me ipſo melius tenere potuiſti. qui ſi cum nouiſſes, perſimilem eſſe me Plautini Coqui, relictumque ob eam cauſam, vt eſſet, qui mortuis næniam caneret, tamen cenſuiſti eſſe tibi vtendum ingenio meo, tibi tu ſanè apud hos viros modeſtiæ laudem inueniſti, mihi verò ſtudij obſeruantiæque reliquiſti. Præcinctionis ſatis eſt, res inſtituatur. Ac ne quis fortè à me noua quædam, inaudita, & mirabilia nunc expectet, vnius hiſtoriam denarramus adoleſcentis, qui ætatem conſumpſit in literis; non Herculis Thebani, qui monſtris orbem terrarum repurgauit, neque Cyri Perſarum Regis, qui nouum imperium condidit. Quid enim eiuſmodi deſignare potuit ephebus, quem arctè contentèque habitum vix perrarò parens efferre pedem è limine paſſus fuit, nec à ſuo latere vnquam dimiſit, niſi cum eum in Academiarum lucem perduxit, vt à ſummis viris, tanquam à publicis vberrimiſque fontibus doctrinarum latices hauriret? quæ conſerta manu geruntur, quæ ferro viribuſque corporis, quæ caſtrenſi diſciplina, ea nihil ad hunc adoleſcentem pertinent. *Martem*, qualem depingit Poeta, *tunica tectum adamantina* nuſquam vidit miles Chriſti, & Gratiarum ac Muſarum alumnus. Quid enim ingenio mitiſſimo Cattanei conueniret cum belli terroribus? quid dextera ſtudijs pacis aſſueta ſtringeret acinacem? aut quonam modo ad cædes hominum, atque adeò ſæpe innocentum excurreret tanta vis humanitatis? Sæuiant licet furentes Oreſtes in Europa, atque diſſidijs inamœnis conflictentur, nudumque interea latus Thraci præbeant, qui truculentus in omnem occaſionem imminet rei Catholicæ opprimendæ, ac totius nominis Chriſtiani delendi. Cattaneus eam rationem inijt, qua ſine ſummo diſcrimine gloriam ingentem ſibi patriæque adipiſceretur. Tubis vbique clangentibus, & infeſtis decurrentibus aciebus, ſequi otium literarium maluit, & in artibus ingenuis diu

Pſeud. 3. 2.

Horat. lib 1. ode. 6.

noctuque verſari. quid ego dicam hoc loco? mihi ſanè iſta via placet, quam ingreſſus fuiſti, pacis & tranquillitatis: ſed eo placet impenſius, quod non inanem potius gloriolam, quàm fructus vberrimos, neque magis elegantiam orationis, quàm conſilij copiam ex tuis literis quæſiſti. qui enim diu nitendo, exantlandoque labores nihil venantur aliud, quàm exiſtimationem ad populum, næ illi maximam partem perdunt fructuum vigiliarum ſuarum. Si tanti eſt hæc vulgi de vobis exiſtimatio, & popularis opinio de veſtra excellenti doctrina, vt ei acquirendæ valetudinem ac ætatem benè putetis impendi, quid quæſo aliud eſt hamo aureo piſcari, ſi hoc non eſt? Caſ-

Lib. 1, ep. 33. ſiodori vocem Cattaneus audiuit, neque audiuit tantùm, ſed etiam moribus expreſſit, glorioſam eſſe literarum ſcientiam docentis; non eam, quæ dum ſplendet, in auras euaneſcit vniuerſa: ſed quæ quod primum eſt in homine, mores purgat: quod ſecundum, verborum gratiam ſubminiſtrat, ac vtroque beneficio tacitos loquenteſque exornat. Tum enim, cum puer elementarius erat Cattaneus, eadem opera ſacris initiabatur virtutis: cum adoleſcentulus ad disertè loquendum inſtituebatur, diſcebat in tempore ſilere: cum linguam erudiebat, theatro vt ſeruiret ac publico, vt foro, vt pulpito, mentem comebat, componebatque Chriſto: cum Logicam ediſcebat illam indagandi & perueſtigandi veri adminiſtram, tum etiam dabat operam, ne ſuus falſis opinionibus imbueretur animus, ac ita dierum atque noctium tempora deſcripſerat, vt quod ſupereſſet pietati, id continuò literis impenderetur. Atque ſanè conſiliorum tuorum ratio conſtat, ornatiſſime Cattanee. ſic enim tecum loquar ex hoc loco, quaſi tu ſis interroganti reſponſurus. Quid, amabo te, difficilius in vita, quàm ferre iugum Chriſti? at enim hoc tibi ex conſuetudine vertit in naturam. Quid magis periculoſum, quàm iuuenta, quæ præceps, excors, & moribus præfractis ſolet eſſe? hanc tamen, ceu quendam ferocientem equum fræno diſciplinæ domuiſti? quid magis no-

xium ephebis, quàm dulcedo voluptatum? has quoque fuiſti omnes aſpernatus. quarum rerum quos ego teſtes alios proferam præſentibus vobis, optimi ciuium, qui adoleſcente familiariter vſi fuiſtis, qui commeantes ad ludum & remeantes, arbitri ei omnium conſiliorum atque penè cogitationum extitiſtis? An vnquam vel voce quidem aut ioco liberiore ſuſpicionem vobis Cattaneus mouit, ſe ad voluptatem vllam animo imbecilliore fuiſſe? an cum ſermones inferebantur, quales conſueuere, molles, prætextati, olentesque, non eo vultus habitu Cattaneum fuiſſe meminiſtis, qui ſolet ſtomachantium atque indignantium eſſe? Veruntamen quid faceret aliud in domo natus ac educatus tam ſeuera vindice caſtimoniæ, tam ſeptus liberali cuſtodia ſuorum, inter tot exempla priſcæ modeſtiæ, apud Socraticos ſenes, ob oculos patrui atque materteræ, ciuium ætate noſtra grauiſſimorum, obſeruatus à tam multis, quibus omnibus probari difficillimum fuit, ac denique apud eum parentem, quem noſtri ſeculi Catonem, ſed iucundum atque amabilem appello, & apud eam genitricem, quam ego cum Cornelia Gracchorum matre comparare non dubito? Sed ætas iam & ſtudiorum progreſſiones flagitabant, vt Cattaneus velut è ſeptis quibuſdam ſuæ domus productus publicis gymnaſijs committeretur: ibique in frequentia velut ſenſum communem ediſceret: videret obiurgari alicuius inertiam, affici præmijs induſtriam alicuius: ac denique ea perciperet, quæ nuſquam niſi in publico traduntur atque excipiuntur. Ergo producitur penè gemente parente ipſius, ſuperoſque & homines obteſtante, ſe inuitiſſimum iacere illam aleam; eoque ſæpius, velut vno ſpiritu, monente filium ſuauiſſimum, ne in tanta fæce ciuium flagitioſorum non ea retineret animo, quæ domi accepiſſet à patre: eſſe abundè corruptorum peſſimorum, quibus nihil ad alienam perniciem inſtructius foret: eſſe examen ingens, & nimis magnam copiam eorum ciuium, qui multis legibus deberent ſupplicia; ipſe pro eo, quanti ſibi

foret

foret ſua ſalus, & quanti vita cani parentis, videret admodum ne ſuam exiſtimationem vlla turpitudine pollueret, & ne quid eorum amare inſtitueret, quæ parente auctore odiſſe & execrari didiciſſet. Prodit in hominum lucem Cattaneus, at quàm omnia diſſimilia ſtatim offendit? Quid enim illa commemorem, pro vmbra ſolem, pro cuſtodia libertatem, & pro ſolitudine frequentiam? quæ offendi neceſſe fuit ab eo, qui diu velut conſtrictus, arcteque domi habitus tandem emitteretur in publicum? hæc fore diuinabat: hæc ſibi iam tum animo fingebat, cum in ſuis ædibus incluſus à nutu parentis expectabat, quàm mox velut effractis repagulis, demptiſque compedibus, publicis magiſtris artium optimarum auctoraretur. Illa illa præter omnem expectationem acciderunt: illa quo minus expectata, eo acrius perculerunt ipſa nouitate animum adoleſcentis; peccandi nullus pudor, nulla reuerentia legum, effræna licentia, vſus publicarum libidinum, commeſſationum inſana dulcedo, nullus reſpectus vltoris ac vindicis Dei, neque vlla cura ſalutis æternæ. Cum hæc ipſe oculis auribuſque vſurparet, nimirum quid faceret? feriebat ſibi frontem verecundiſsimus adoleſcens, quotidie vicies erubeſcebat, ſeque in alium terrarum orbem delatum eſſe arbitrabatur, neque poterat intereſſe tam fœdis & rebus & ſermonibus, quin ſtupore quodam defigeretur, & permeante omnes venas frigore penè totus obrigeſceret. Sed quid faceret, cui hæc quotidie videnda, hæc audienda flagitia forent? abiret aliquò in exteras oras, vbi Pelaſgorum, vt eſt in vetere prouerbio, neque nomen, neque facta audiret? an operto capite domum repeteret, eos imitatus, qui mare primum ingreſſi nauigio nauſeantur, neque iactationem pati poſſunt? an denique apud ſuos lares, apudque ſuæ nidorem culinæ, grandis deſideret, neque poſthac multitudinem ac celebritatem vellet intueri? Nihil ita oportuit, Auditores, Viri Clariſſimi, Animum ſuum Io. Franciſcus confirmauit in eo, vt rerum ſuarum ſatageret, nihil ad-

ſe pertinere cenſeret publicam licentiam, neque dicere facereque quidquam auderet, quod ſi ad patrem perferretur, is in filio diſciplinam veterem non amplius agnoſceret. Quod quia ſolidis ipſis decem an[illegible] quibus erat publicitus magiſtrum auditurus, fore pera[illegible]uum intelligebat, tot rebus, tot imaginibus animum ſu[illegible]euntibus, & ſibi mutuò ciuibus ignoſcentibus, cenſu[illegible]onſultiſſimum futurum, ſi Pſaltem imitaretur, qui de[illegible] illud memorauit, *In matutinis interficiebam omnes* [illegible]*catores terræ*. quod ita doctiſſimus extulit ac expla[illegible]it interpres: *ſenſus & cupiditates, quarum eſt ferax* [illegible]*ra corporum noſtrorum, ſuo extinguebam in ortu*: [illegible]dum paruuli adhuc erant, *filios Babylonis ad petram* [illegible]*lidebam*, Manè Cattaneus quoque vitia elidebat, c[illegible] primum ei ſe quodque aliqua dulcedine commendabat. Ad benedictionem Dei mane ſolem præueniebat, [illegible]entis ex præſcripto, fundenſque ad Dominum preces, tamque ſeriem ephemeridis ſuæ premeditans, ſepiens que aures ſuas ſpinis, & qua imbecilliorem animum ſuum ſentiret eſſe ad reſiſtendum, aggerem vallumque firmiſſimi propoſiti opponens, ſeſe animo ad nauiter pugnandum comparabat. Armis diuinis tegebatur inter has preces & conſultationes, atque ſe eodem illo pharmaco videbatur præmunire, quod aliquando Mercurius dedit Vlyſſi, vt eſt in fabulis, quo minus vllis Circes veneficæ artibus læderetur. Ita cum foras pedem efferebat, moreſque inceſtos videbat ciuium ſuorum, nullum periculum eſſe poterat, ne illi pudor ſuus inter impudentes excideret. Sed magno animo pro illo verbo poetico, *Sibi ſua habeant regna Reges, ſibi diuitias diuites*, geminum illud alterum inclamabat, ſibi ſuas habeant voluptates Nini, & ſua peruigilia, ſibi noctes emant *filij tenebrarum*, ſeque ipſos arbitratu ſuo diſtendant flore Liberi, cibiſque infarciant. Videte adoleſcentem probum, indolem ephebi ſpectate atque conſtantiam. & ſuſpectam adoleſcentulus habet, & irridet eam dulcedinem intemperantiæ, quæ ſæpe tot fortes inuictoſque

Pſal. 100. Caſſian. 6. inſtit. c. 13. Pſal. 136. Sap. 16. Homer. odyſſ. K. Plaut. Curc. 1. 3.

ctoſque

ctoſque bello duces fregit, eneruauitque, quæ Hippodamiam Agamemnoni, Herculi Thebano Reginam Omphale, multas Achilli, Sampſoni Hebræo Dalidam applicuit. Quæ ipſe mecum dum cogito, poſſe tot heroibus puerum eripere laudem fortitudini... que conſtantiæ, Valete, inquam, fabulæ, quæ ...unta-

Eurip. in Hippoly. xat veriſimilia fingitis. quàm enim mira ... Hippolyto? quàm falſa? concedere ſcilicet il... nemini in dijs colendis, ſed tamen Vene... ab eo procul tantùm, nec niſi magno inte... ſito ſpatio ſalutari. Quis enim iſte veſter ſtra... ...eus Hippolytus? quæ iſta commentitia ſancti... ...nia, quæ fugit inceſtos amplexus Phædræ no... ...æ, fortaſſe mulieris floris extincti, nec ſatis... ...tæ formæ, & forſan vergentis iam in ſenium? ...ippolytum caueæ, ſed verum exhibeo, quem ... integro quidem ætatis flore Lais Corinthia, au... ...exandrina Thais, ſi exiſtant ab inferis, mouere ...ò, & labefactare ſe poſſe confidant. Haud equidem ignoro multos huic ætati meretricios amores conceſſiſſe, aut certè non admodum repugnaſſe, cum

Adelph. t. 2. eadem illa dicerent, quæ ſenex parùm ſapiens Mitio Terentianus, *Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum ſcortari*. In qua tandem republica hoc diſputatis homines doctiſſimi? quod ſcelus vocis, atque ſermonis hoc eſt? ſcortari adoleſcentulum, & abnoctare flagitioſum non eſſe defenditis, *quemadmodum* ex eiuſdem ſententia Mitionis *neque potare non eſt, neque fores effringere*. Si tanta libido inſaniendi eſt, quin additis illud, neque eſſe flagitioſum fidem proditione lædere, circumuenire innocentem, pulſare vicinum, teſtimonioque ac periurio ſuis fortunis amicum euertere? quæ cum turpiſsimè ementientes dixeritis, proximum illud erit, vt eum quoque culpa crimineque abſoluatis, qui publicam pecuniam auerterit, ciuem iugulauerit, ſacra diripuerit, & ſenile guttur fregerit parentis. Quid mihi, ò præclari magiſtri, narratis? Ventri, Venerique ſeruiat adoleſcens, tum ei, ſiquidem voluerit audire, auctores eſtote, vt amplectatur animo virtutem, vt remp. capeſſat, ſuperoſque

peroſque religioſè veneretur, nonne occupatus prauis affectionibus animus aures quoque veſtris conſilijs occludet? Non ſtatim magiſtros morum omnes irridebit, *vadimonijs*, vt poeta loquitur, *Venerijs illigatus?* Quamquam enim ea ratio, quæ ſummum bonum in vſu voluptatum collocauit, verbo exploditur ab omnibus, quod ſatis conſtat, re tamen defenditur à pleriſque: ac illud ferme vbique vſuuenit, quod in eo tot carminibus poetarum decantato Ida vſuueniſſe iuueni Dearum *libidinantium* iudici memorat Iſocrates. Nam cum ibi Alexandro Priami filio, Aſiæ totius Regnum Iuno promitteret: cum lætas de omni hoſte, ac onuſtas præda victorias Minerua polliceretur; Veneri maluit ſuffragari, quæ ſibi Helenam, vnam mulierculam, & eam quidem iam viro traditam deſpondebat. Quot hodie Patides ſunt vbique locorum? ac ne longè abeamus, quàm multos & videt vrbs noſtra & alit? quibus cum induſtria dignitatem & gloriam, militia ordines & centuriatus, Iuriſprudentia ac medicina opes atque fortunas, Virtus denique aurea ſempiternum regnum ac immortale polliceatur (dicere pudet, ſed dicendum eſt tamen) præ vna Cynthia, aut Lesbia contemnunt omnia, & præſentem ex amicæ complexu iucunditatem facilè regnis omnibus anteponunt. De his quid cenſeatis? *Hunc tu* (inquit Seneca) *non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cuius ſummum bonum ſaporibus, & coloribus, & ſonis conſtat? excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac dijs ſecundo: mutis aggregetur pabulo natum animal ac Veneri.* cum enim ratio ſit pene ſola, quæ hominem diſcernat, illène ciuium aut etiam hominum habendus in numero, in quo omnem rationem prauitas, libido, ac furor extinguit? neque tamen ſentiunt ac intelligunt homines huiuſmodi, quàm turpe ſit, parti hominis languidæ, eneruì, & abiectæ rationem ſeruire: neque vnquam periculum faciunt, ſatiſne viribus valeant, vt cupiditatibus omnibus, tanquam triginta tyrannis exactis, ſic animum ſuum, tanquam Athenas quaſdam aſſerant in libertatem. Sic nunquam cal-

Plaut. Curc. 13.

In Encom. Helenæ.

Epiſt. 92.

calculos ponunt, quantum iam ætatis, quantum patrimonij, & quàm perperam conſumpſerint? nunquam ſic ſecum, velut cum ſeueris cenſoribus colloquuntur? Sedent, marcent, languent, computreſcunt, illud ſuum laſciuum canunt Ζωή, ψυχή i. *mea vita, mea anima*, quæ ſit bonorum omnium de ſe exiſtimatio, ſuſque deque habent. quos veri ſplendoris oſores ſi nos parumper è ſuis latebris extrahamus, & in luce cogamus hominum conſiſtere, reſpondereque iubeamus, quæ res tanta ac tam peſtilens ipſos immutauerit? in formam, arbitror, aut in ciborum ſuauitatem, otijque dulcedinem culpam conijcient, & querentur ſe ad Circen caſu delatos ac tempeſtate tantum incommodi, detrimentique cepiſſe, vt modò quiduis ſint potius, quàm homines. Quæ Circe, qui cibi, quæ forma hic vocantur in inuidiam? dicam vobis, quod olim Rex Cyrus Araſpæ Medo amico ſuo, cuius libido in muliere captiua & primaria lapſa fuerat. cum enim ipſe quoque Araſpa multa excuſaret, captumque ſe, victumque ſpecie captiuæ formoſiſſimæ, inuitum ad eam amandam deſcendiſſe conaretur oſtendere, lætum ridens Rex optimus *neminem*, inquit, *ad ſe amandum, aut ad ea, quæ dedecent concupiſcenda formoſi cogunt, ſed ſceleſti videlicet homunculi ſinunt ſeſe ab omnibus cupiditatibus ſuperari, ac demum in amorem cauſam conferunt*. Amori culpam affingi non eſt nouum, neque tantùm apud Perſas & Medos vſurpatum. Treuiri quoque in Aeoli triclinio eam picturam fuiſſe teſtatur Auſonius, in qua Cupidinem cruci affigebant mulieres amatrices. Quid hoc ludi foret, & quæ mulieres tam ſæuæ, tam efferæ, narrarem hodie vobis, niſi properarem ad finem, atque niſi ea res eſſet, quam vel ab ipſo poeta feſtiuiſſimo petere facilè poſſetis. *Quod ſi tantus amor*, (noſtis enim reliqua) ius & æquum cenſeo me nulla in re ſtudijs veſtris aduerſari. Ergo rem quæ à fœminis crudeliſſimè patratur, à me paucis accipite. Quo ſcelere ſupplicium Cupido meruerit, non eſt magis admirabile, quàm

Iuuenal. ſat. 6. Martial. x. 68.

Xenoph. Cycuped lib. 5.

Epiſt. ad Greg. filium.

Virg. Aeneid. 4.

quo furore hæc tota muliebri miniſterio fabula peragatur. Mulierum nulla non Heroina eſt, & aut principe loco nata, aut Regum Cæſarumue nuptias adepta. Duas credite memorari Iulias, filiam, neptemque Auguſti, Claudij Cæſaris coniugem Meſſalinam, Olympiadem Philippi Macedonis, Clytemneſtram Agamemnonis, aut etiam illam omni probro contaminatam Venerem vxorem Vulcani; quæ cum ſibi vniuerſæ ſacrarium pudoris pollui conſenſerint, idque ipſis fortaſſe flagrantiſſimè cupientibus euenerit, tandem vbi ſatiata expletaque libido deferbuit, quæque ſigillatim ignoſcunt ſibi, quæque culpam à ſe remouent, & Cupidinem incuſant, eumque auctorem & architectum flagitij cum appellant ſeditioſè, tum crudeliſſimè plectunt. Videretis conglobare ſeſe, ſtipareque fœminas illuſtres, de vindicanda iniuria conferre capita, ac ire pedibus manibuſque vniuerſas in eam ſententiam, ſe Cupidinis appetitas inſidijs, cruoreque machinatoris peſſimi eſſe turpitudinem ſuam eluendam. Non ſedatè, non ritè, ordinèue, non ciuiliter, ſed magno tumultu, ac magnis clamoribus, tanquam in Thebano furore, res agitur. diſcurſant Heroinæ cum armis, eminet indignatio & furor in fronte cuiuſque, puſionemque ſuo ipſarum pudori illuſiſſe queruntur: hunc voce depoſcunt ad necem, huic vni lumbifragium, famem, frigus, laqueum, & ſuſpendium comparant, hunc per ſentes raptandum equis Hippolyti, hunc Deiphobi more membris decurtandum omnibus, huic, vt olim Marſyæ, corium detrahendum clamitant, denique huic omnia quæ ſunt morte deteriora, minitantur; vt facilè appareat, iram tantam non poſſe niſi cruore cuiuſquam extingui. At enim non diu quærendus fuit tantus hoſtis ac perduellis. fortè Cupidinem, ceu quendam Endymionem, ſomno ſopitum inueniunt. quid tum lætius fœminis præclaris? Scilicet Proſerpinam Ceres. inuentum ſomno grauem, ſuiſque malis indormientem adoriuntur vniuerſæ, modis indignis obſtringunt, miſello pedicas manicaſque innectunt, captiuo corpuſculo

puſculo inſultant per omne genus crudelitatis & ſæuitiæ: omnique illa acerbitate, quam odium capitale poſſit excogitare, vexant inſontem. Non lacrymæ, non eiulatus exaudiuntur ira obſtrepente, non Heroinas ætatis capit miſeratio, non corpus nudum ingenui pueri poteſt ſæuientes mitigare. An veſtras, ô fortes Heroinæ, hic puer aras euertit? an veſtros filios in ſeruitutem abſtraxit, vt tantum irarum exæſtuare debuerit? Verbis quid opus eſt? Tela corripiuntur vndique ea, quæ miniſtrat furor, expediunt comatorias acus, inuolant in oculos infeliciſſimi ephebi, pugnis pedibuſque pulſant, ac denique puériliter eiulantem, ac fidem hominum deumque obteſtantem, ſe innocentem perire, ab infelici arbore ſuſpendunt, atque ita pendentem loris flagelliſque cædere non deſinunt. Vos vt rurſus in tam diro miniſterio interpellem, quid agitis heroinæ fortiſſimæ? niſi nunc quoque illi carmini locum eſſe vultis, *quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui*. manus inhibete crudeles. cuiuſquam dextera vlterius in ſupplicium duret innocentis? Scilicet hac fabella, quam coloribus pictor, poeta carminibus expreſſit, conſuetudinem videtis notari ciuium noſtrorũ, qui cum quidquid eſt aliqua dulcedine illitum, ament impotenter, feſſi ad extremum, & ſaturi formam incuſant puellarum, incuſant opportunitatem copiamque peccandi, eaſque cur ipſi, fortunæque ſuæ, & bona apud omnes exiſtimatio perierint, in cauſa fuiſſe queruntur. Sed querantur licet: quid enim opis ac remedij deſperatis morbis Hippocrates adhibeat? aut quæ ſalus ingenia tam inſanabilia curet? Hominibus iſtis (nam libet adhuc aliquantulum euagari, quod tamen minimè vobis facere me arbitror inuitis), qui poſthabita cura virtutis, & ſtudijs neglectis artium honeſtarum, voluptati ſe, amoribuſque manciparunt, vt neque ſalutem, neque ſpem vllam Poetæ ſupereſſe ſignificarent, atque vt eos amores oſtenderent nulla re, niſi morte finiri, quandam altiſſimam rupem in mare prominere dixerunt, (ei ferunt nomen eſſe Leucadi)

Auſon. Cupido cruci affixus.

Virg. Æneid. lib.

ex qua niſi quiſque meretricijs amoribus irretitus ſeſe mitteret in præceps, eum negarunt poſſe ab eis laqueis expediri. Rectè, ita me ament omnes Muſæ. Certò enim ſcio neminem, qui fatalem Leucopetram in remedium adhibuerit, commiſſurum amplius, vt fores effringat, vt plagas imponat, vt alienas vxores permolat & contrectet, atque vt Venerem nundinetur. Cedere ſi me iubetis exempla in re tam admirabili, Auditores Viri Clariſſimi, veſtra cauſa ne hunc quidem laborem detrecto. Remedium ab ea petra quæſiuit Artemiſia, cum Dardanum Abydenum impotentius arderet. eodem ſaltu amorem ſuum curauit Nicoſtratus Comicus cum Tettigideam Myrinenſem deperiret. ipſi adeò Veneri auctor Apollo fuit, vt erepto Adonide ſeſe deijceret è rupe, quo vno remedio poſſet amore leuari. Vt ſileam de quodam Nereo Catinenſe, de Macete Bruthotio, de Rhodope Emiſſena, ac de alijs multo plurimis, qui cum ferre amorem non poſſent, præcipitati morbum ſanauerunt. Quin ad eandem, aut certè ad rupem comparem vos feſtinatis, quibus plus æquo venas inflat tetra libido, qui ad omnem formam adhinnitis, & *propter nocturnos metus cubitare ſoli non poteſtis?* Si quid vnquam viris dignum feciſtis, ad monſtratam à me rupem prouolate. meo periculo futurum recipio, vt deinceps quies ſit vobis à Venere, quæ ſuperioribus contenta trophæis, vobis iam deſinet bella mouere. Sed eo cum res redeat, vt qui collum ſemel in laqueum voluptatum induerit, ei ſit tam longè petenda medicina, atque tam fera & infelix, an non tibi Cattanee (neque enim cum à cauſa videbar aberrare, à te vnquam oculos deieci) feliciter expetiere mores tui, qui maturè velis & remis à voluptatum regno deflexiſti? quamquam quid, inquam, voluptatis à regno deflexiſti? aſſentior enim Cyro, qui eos homines, à quibus præſentes voluptates contemnuntur, non vt nullo tempore oblectentur, id facere dixit, ſed vt oblectentur cum fœnore, & ex hac continentia multis partibus plures & vberiores voluptates percipiant.

Ioſeph Scaliger lectionū Auſon. l. 2. c. 28.

Dominicus Baudius ad Auſonij Cupid.

D. Hier. in epiſt.

Xenoph. 1. Cyrupæ.

Quidquid moleſtiarum eſt propoſitum nitentibus ad ſapientiam, hauſiſti Cattanee ac pertuliſti, non hiſcere fuiſti auſus apud præceptores, non otio neque ſomno indulſiſti, non genialibus amicorum interfuiſti conuiuijs, non luſitaſti, neque denique vllis delicijs adoleſcentiam oblectauiſti. Vides nunc demum quantis iſta vitæ ſeueritas commodis, qua dignitate, atque iucunditate, ac denique qua penè apotheoſi compenſetur, cum nemo ſit ex omnibus, qui me nunc audiunt, quin ſuas tecum fortunas, ſi fieri poſſit, commutatas velit? Parta tot curis animi tui moderatio tanti nunc tibi debet eſſe, quanti Socrati fuit, Zenoni, & Epicteto: aut quanti ex noſtra religione viris ſanctiſſimis Hieronymo, Carolo, & Franciſco, qui cum ſuum corpus multis demum poſt annis ſubegiſſent, & cum plurimum ſudaſſent in eo, vt quoad eius fieri poſſet, legem abolerent in membris ſuis repugnantem legi mentium ſuarum, ſe penè omni periculo atque labore defunctos arbitrabantur. Ea ætate, quæ, ſic dicam, perflari ſolet magnis & periculoſiſſimis procellis, tanquam in aliqua tempeſtate ſcienter, & adhuc, quod non ignoramus, feliciter ad clauum ſediſti. quid iam metuas, victor euripi? vigila modò, tum noli metuere, ne qua noua vis venti gubernaculum tibi excutiat è manibus, & nauim tuam demergat. Qui enim nunquam Omphales in ſinu decubueris adoleſcens, columnas pertranſiſti Herculeas. Meo periculo, vel potius nullius periculo perge iter quod cœpiſti, & quotidie implorata Dei omnipotentis ope ipſe te velut fluctibus humanæ vitæ committe, donec in patriam delatus, eum portum ingrediaris, in quo te manet altiſſima quies, tranquillitas imperturbata, & beatæ vitæ ſempiterna poſſeſſio. Dixi.

In

In Laurea

IVLII CÆSARIS TOSCANI

PANEGYRICVS

Qui inſcribitur

Atlas.

QVando me nuper aliud agentem interpellaſti, Toſcane doctiſsime, atque tantopere pro noſtra mutua beneuolentia contendiſti, vt vetere huiuſmodi inaugurationum conſuetudine hodie laudes tuas prædicarem, etſi tempus mihi ad rem huiuſmodi penè breuius, quàm quod ſymphoniaco aut cytharœdo ad fides explorandas ſatis eſſet, præfiniri videbam, minimè tamen detrectaui, neque adeò ſum queſtus, nullam à te cum famæ & exiſtimationis meæ, tum etiam gloriæ tuæ ac dignitatis rationem haberi: ſed tantùm tacitus mecum ſum miratus, nunquam tibi ea prudentia viro veniſſe in mentem exiſtimare, quanto maioris negotij foret, oratorem ſeſe ad dicendas viri fortis laudes inſtruere, quàm ſe mulierem ad ineundum amici conuiuium comparare. Illud enim ſæpe te arbitror inaudiſſe, quid facere Plutar. ſoliti fuerint Sybaritæ, qui quoties conuiuium prima- in conrijs viris & mulieribus inſtruere conſtituiſſent, in uiuio 7. eoque quid magnificentia conquirere, quid coqui ſui Sap. condire, & quemadmodum ordinare, componereque ſtructores poſſent, ſtatuiſſent oſtendere, anno ante fœminas inuitabant, vt monitæ tam maturè, quid anno demum vertente eſſent facturæ, & apud quem virum cœnaturæ, ſatis haberent otij, quo ſe veſte, au-

Digitized by Google

roque adornarent. Nempè illo tot menſium ſpatio excitare vndique poterant mulieres pigmentarias, comendi, fingendique gnatas, nouarum deliciarum artifices vndique euocare, gemmas, monilia, veſteſque ab orbe terrarum a io accerſere, & illa omnia mundi muliebris ornamenta comparare, quæ laſciuia ſolet mulierculartum ad commendandam ſuam formam inuenire. Ego ſanè quid barbari fecerint, non moror: neque mihi tantum temporis tribui debuiſſe contendo, quantum illa ſibi fœda perditorum hominum luxuria ad inanem ſplendorem ſumebat. Spatio contentus multo contractiore fuiſſem, vt eo tibi non laciniofum aliquem aut inutilem, ſed tamen moribus tuis grauiſſimis aptum & congruentem ornatum poſſem elaborare. aliquid excogitaſſem, quo ne queri poſſes, fraudari te iuſto ac debito fructu veriſſimæ laudis, omnes arculas excuſſiſſem artis, pigmenta demum Iſocratis conſumpſiſſem omnia, vt aliquid afferretur eiuſmodi, quod & honorificum tibi eſſet, & mihi ad ingenij exiſtimationem non inutile. Verùm enim verò præterquam quod in maximas & varias occupationes meas incidiſti, vt quid cauſa ferat, animo libero & vacuo non poſſim expendere, horis præterea me tam paucis incluſiſti, quæ vix ad colligendum me ipſum, atque ad figurandam mihi in animo imaginem tuam ſufficiant. Potueram à te illud contendere, vt cum non liqueret tam ſubita re, non modò quàm aptè dicerem, ſed quid omnino dicerem, dies proferretur. Verùm comparatis cæteris rebus, & hac ipſa die grauiſſimis viris ad conueniendum in hunc locum dicta, nolui committere, vt meo vitio, atque cunctatione hæc velut cœna corrumperetur; præſertim cum non ita pridem legerim, Polycharmo cuidam Athenienſi datum laudi fuiſſe, quod in ea rep., tribunitia poteſtate functus, cum vitæ ſuæ rationem redderet, pro concione dixiſſet: *præter cæterá, quæ commemoraui, Athenienſes, nunquam ad cœnam vocatus, poſtremus acceſſi, nec vlli vnquam conuinio moram obieci.* quod ſi eo conſilio, diligen-

Plutar. probl. Sympoſ. decad. 7. cap. 6.

tiæ meæ temporis anguſtijs obſtitiſti, vt periculum facias, an ipſe ex inſperato ad dicendum excitatus, præſenti vlla copia valeam, næ tu id magno tuo incommodo, periculoque feciſti. Sin propterea tempus minus laxum tribuiſti, atque de induſtria, quod maximè occupatum eſſet, obſediſti: meque iccirco tam iniqua conditione compuliſti ad dicendum, quod ferre tuæ frontis imbecillitas (Græci dyſopian appellant.) laudationes accuratas non poſſit, quanto id melius, & minore vtriuſque noſtrum diſcrimine conſequi me ſilente, quàm ineptè loquente potuiſti? Sed non rimabor amplius, quid ſpectaueris. neque enim agitur ea cauſa, quam non poſſit quiſque, ſi modò paulum adnitatur, ſuſtinere. Quis enim oratori labor multo difficillimus proponitur? opinor ille, quum parua quæpiam augenda ſuſcipit, quum facturus eſt, vt cauſa inferior, dicendo ſuperior euadat, quum obſcuris afferendum lumen, & quum aut curua corrigenda, aut depreſſa & humilia excitanda ſunt ita, vt qui pumilio fuerit, is propediem viribus eloquentiæ in gygantem euadat, & qui fungus, hortique tuber, mox idem proceras pinus exæquet. Quo munere grauiſſimo cum liberatum me ſentiam Iulij Cæſaris ſingulari & eximia natura, qui quibus homines æſtimantur, & quibus alij alijs hominibus excellunt; eadem habet omnia cumulata, vt ipſam quoque corpuſculi breuitatem facilè præſtantium meritorum magnitudine compenſet, quid fuit, Viri Clariſſimi, cur ad me comparandum diem laxiorem deſiderarem? Per me quidem licet terror ille quondam imperij Romani Pyrrhus mandet grandes ſibi milites conquiri, quos ipſe ad artem armorum erudiat. gladiatores atque athletæ molem ſibi magnorum corporum exoptent; ijdem illi, qui Oſſæ Pelion imponere volunt, quod homines olim ſuperbiſſimos facere inſtituiſſe narrant non otioſæ fabulæ poetarum, placeant ſibi benè compactis, proceriſque corporibus; Iulium Cæſarem Toſcanum nunquam adeò pudebit ſuæ breuitatis, vt eam cum vaſtorum corporum magni-

Front. 4. ſtratag. c. 1.

 tudine

tudine velit permutare. At paruulos multi per iocum traducunt & vellicant. faciant id ſanè, modò ne vim etiam afferant: irrideant homines proceri paruulum quemque & argutè cauillentur, niſi tamen ea laſcivia vltra licentiam verborum progreſſa fuerit, remordebunt paruuli, docebuntque eodem pretio, aut fortaſſe etiam minore ſibi ſalem perhiberi. Permagnis aliquibus, & prælongis hominibus, qui velut impoſiti grallis incedunt per vrbem & inclinato in veſperam die magnas vmbras iaciunt, eminentque velut baſibus impoſitæ ſtatuæ, vno illo Æſopi fabulatoris verbo perpetuum ſilentium Toſcanus imponet; *Quale caput! ſed cerebrum non habet*. Vt parum ab inſtituto deflectam (quamquam ne deflecto quidem, dum vaniſſimis hominibus demere faſtum contendo) cui tandem vſui proceritas eſſe poteſt? immo quàm eſt grauis & ſumptuoſa? Maiore ſcilicet pondo æris veſtienda eſt enormis iſta longitudo, ciboque vberiore venter tam profundus alendus. Homines eiuſmodi aut nocte geniti eadem, qua Hercules, quam omnium noctium fuiſſe longiſſimam ipſi quoque pueri prædicant; aut in ſumma vilitate annonæ ſuſcepti, meminiſſe deberent quid Hippomachus alip- tes dixerit aliquando, qui prælongum quempiam hominem quibuſdam admirantibus tamquam ad pugilum certamen idoneum, *Sanè*, inquit, *ſi ſuſpenſa in alto corona foret detrahenda*. Num enim quantus quiſque ſit, geometrarum circulo æſtimare nos oportet? Num ſeſe alijs eo nomine quiſquam anteponat, quod à puero ſtrenuè ſtomachum inferciens, & omnia conferens in culinam, breui ad abdomen, & proceritatem peruenerit? Viribus polleant (quamquam quo minus eis hanc laudem ita concedam, vt paruulis velim præreptam, facit illius M. Torquati, qui primus hoc cognomen inuenit, facit aliorum exemplum, qui cum hoſtibus ſingulari certamine congreſſi multo ſe maioribus, prælio victores deceſſere: vt ſileam de Dauid adoleſcentulo, cuius videri poteſt manum & iactum Deus in frontem hoſtis direxiſſe.)

Plutar. de cupidit. diuit.

at

at ſanè viribus polleant, Num propterea illa ſe re paruulis anteponant, qua quiſque homo, atque adeò qua ille ipſe Milo Crotoniata, quem ferunt pugno taurum ſæpe confeciſſe, tauris & equis conceſſit? pudeat ea potius hominem venditare, quibus ipſe à beſtijs permultis vincitur, quàm illa quibus homo eſt, & beſtijs ipſis vtitur obedientibus, atque ipſum generis ſui auctorem Deum imitatur. Quid enim refert, ipſumne Solis Rhodium coloſſum exæquemus, an aliquod ſignum cubitale? qui corpus nactus eſt prægrande, niſi etiam ratione, prudentia, atque conſilio illam molem regat & gubernet, quid eſt aliud, quàm cæca balęna, quàm magnum ſine rectore nauigium, & quàm oculo excuſſo Polyphemus? Conſilium verò, rationem & prudentiam aut æqua lance paruis, magniſque corporibus dimenſa natura fuit, aut etiam paruis harum rerum præclariſſimarum copiam maiorem donauit. Quæ ita eſſe cum ego tum exemplis repetitis ex antiquorum memoria, tum rationibus neceſſarijs oſtendero, quid diutius veritati refragabuntur, aut quid Heſiodum irridebunt dicentem, Dimidium ſæpe numero plus eſſe, quàm totum? Tydeum quis dubitat, quin & heros fuerit, & corpore breuiſſimo? Num is tamen aut Eteocli tyranno, aut cuiquam Thebanorum principum conceſſit, qui gerendæ rei, aut inſtruendæ aciei ſolertia, aut etiam hoſtis feriendi arte præcelleret? Chryſanta illo Perſa quid breuius fuit? cui propterea ſuper cœnam Cyrus id conſilij dedit, vt vxorem nullam niſi paruulam eligeret; ne ſi quando voluiſſet eam erectam oſculari, virum oporteret quaſi catulum exilire. Tamen vir tam breuis Regi omnium clariſſimo princeps amicorum fuit, & infra eum loco honoratiſſimo ſedere ſolitus in conuiuio. quem ipſo commemorante atque teſtificante Cyro ſcimus nunquam expectaiſſe, dum accerſeretur, primum inter primores ſemper hoſtem ferijſſe, non mandata ſolùm omnia ſolitum fuiſſe exhaurire, ſed ſponte inueſtigaſſe curaſſeque quid Regis ferrent rationes, multa ſæpe conſilio ſuo difficillima

Plato 3. de lèg.

Papin. Stat. Thebai.

Xenoph. Cyrupæ. lib. 8.

ma explicuiſſe, neque vnquam, niſi de vnius Regis commodis atque imperio cogitaſſe. O virum præclarum! ô dignum ducem, cui rex omnium ſeculorum iudicio prudentiſſimus primas in amore deferret! hoc ſcilicet conſilio diuino naturæ factum fuit, quæ cum neminem queri ſecum vellet, eam partem, qua quiſque vinceretur, parte alia compenſauit; vt ingenio abundet, qui ſit membris contractioribus, atque acrior ſit ad cogitandum agendumque, qui ſit imbecillior ad onus moliendum. Quid enim, quod Regum ſapientiſſimus pigros homines non ad equum aut elephantem allegat tanquam in ludum ad ſapientiam ediſcendam, ſed ad formicam, eiuſque iubetur tum vias conſiderare, tum æſtiuos labores intueri? præ formica tam exigua hebes eſt equus, ſtuperque elephas, qui ad fœnilia relegati illud vorant, quod habent ante oculos, in futurum nihil proſpiciunt. Qua alacritate in cellulas frumenta conuehit formica? qua velut humanitate vacua onuſtis de via decedit? qua cura & iudicio onus, quod ſola nequit tollere, partitur in plures? qua denique prouidentia ſole puro ſemina identidem exponit, ſiccatque ſub dio, atque ne in frugem exeant, ſed potius perdurent, vmbilicum cuiuſque grani, qua mitti germen ſolet, erodit? Victa veſtra cauſa eſt, ô proceri; qui vt noſtris oculis quotidie magnorum corporum molem ingeratis, nunquam certè perſuadebitis aut anſeri maiorem ſolertiam, quàm api, aut iudicium homini grandi maius, quàm paruulo contigiſſe. Quid enim nos moremur aut Polyphemum, qui præ ſe contemnens Vlyſſem, ipſiuſque corporis breuitatem irridens, cum puſillum vocabat: aut nimis delicatum & faſtidioſum Auguſtum, qui cum Lucium quendam honeſtè natum haberet in delicijs, adoleſcentulum bipedali minorem, ac librarum omnino ſeptendecim, alios tamen pumilos, vt ludibria naturæ, malique ominis abhorrebat? Magnitudini quidem licet quandam tribuant dignitatem, & quemadmodum ſtatuas atque picturas, ſic hominum formas, neque homi-

Petr. Victor. var lect. 15, 18.

Sueton. Aug. c. 43.

Idem c. 83.

num

num tantùm, ſed etiam arborum, ſi modò ſint decoræ, me non repugnante dicant amplitudine commendari: quò licet addant poetæ veteris encomium, qui heroibus & heroinis tribuit proceritatem. Mihi tamen ſi alterutra forma ſit eligenda, aut illa, in qua modo ac metro communi deſit aliquid; aut ea, in qua ſuperſit, multa concurrunt, quapropter multo malim breuiorem; tum vis ingenij maior in paruis, tum ſumptuum in cibum, cultumque corporis ratiò minor, tum moliendi corporis maior facultas, denique veteris eiuſdem poetæ teſtimonio gratiarum & ſalis copia vberior. Nam quod aiunt, breues homines poſt ſolſtitium natos videri, quo tempore ex ouis excluſi pulli iuſtam magnitudinem non implent, nihil eſt, cur tibi hoc peraceſcat, Iuli Cæſar. Quin tu viciſſim dicis, quod grandes remordeat? Longos vetere prouerbio eſſe perraro ſapientes: natos eos eſſe in perniciem annonæ: quantum eorum corporibus tribuerit natura, tantum animis detraxiſſe: gygantum è ſtirpe ſuperbiſsima ſatos proceros eſſe, vt hominum generi ſint oſtentui: ac in ipſos, qui tanto impendio tantam molem alunt, edenda eadem exempla, quæ olim edidiſſe Rex Danorum fertur, qui hiſtrionem decem hominum quotidie cibos vorantem, tanquam publicum depeculatorem, ſuſpendit. Miror equidem quid Ariſtoteli, homini cætera præſtantiſſimo, & ſingulari tum doctrina, tum iudicio, potuerit in mentem venire, proceritati aduocationem accommodare, & ſtudio ſuffragandi eò progredi, vt ſi quis tantum præcellat corpore, quantum Deorum imagines, eum non dubitet prædicare digniſſimum, cui cæteri deferant imperium, ac ſeſe in ſeruitutem addicant. Quàm fœdè Ariſtotelem ratio fugerit, non eſt ſanè meæ frontis diſputare: vos vel inde poteſtis conijcere, quod ſicunde Cyclops aliquis, aut ille ipſe Antæus iniuſtus *abactor* alieni pecoris, exiſteret è mortuis, continuò Philippis, Carolis, Ludouicis, Ferdinandiſque ac Leopoldis abrogari oporteret imperium, ac tantis in ordinem redactis viris, monſtro-

Lucret, lib. 4.

Plin. hiſt. l. 10. c. 53.

Albertus Crãtius, & Olaus in vita Hugonis Brandeburgi li. 15. c. 15.

Polit. 1. 3.

ſos

ſos illos & ſanguinarios in ſummo loco honoris collocari. Quò reciderent faſces ſummi imperij? quibus dominatus, & regendæ reip. traderentur habenæ? quos viros, quos principes, ſecures & apparitores, & vniuerſus ille ſummæ fortunæ apparatus honeſtarent? Quamquam hæc à me iam diu copioſius diſputantur, quàm operis inſtituti ratio poſtulare videatur. Sed operæ pretium fuit indefenſam adhuc, & ſine patrono iacentem breuitatem à probris & à maledictis vendicare. Hæc hactenus oratio mea fuit, eam quæ conſequetur, Iulij Cæſaris Toſcani futuram creditote. Me quis palmo, inquit, cubitòue metiatur? hoc eſt, quis homo non inſanus annulum & gemmam æſtimet auro, quo vincitur? quin potius quærat, quàm rationi obediat hoc meum corpuſculum, quàm nullam abnuat legem frugalitatis ac temperantiæ, quàm animo ſequax ac morigerum ſit omnia recta ſalubriaque præcipienti, & quàm alacriter omnem laborem ſuſtineat. Memorare poſſum, quantum adhuc Eccleſiæ præſtiterim, quibus artibus demereri quemque ſemper inſtiterim, & quantum voce contenderim, vt ciues mei ad bonam frugem conuerterentur. Euangelicas porro legationes obiui libenter, moderatoribus meis ita me dedidi, vt plus præſtarem, quàm illi mihi ſuſtinerent imperare, non verbo, non exemplo ſolui diſciplinam ciuitatis, eò denique contuli curas meas omnes & cogitationes, vt mea patria mihi meis oculis multo charior Deum ſtudioſiſſimè coleret ac amaret, neque referre ſum arbitratus, quàm procerum, ſed quàm domitum corpus haberem: meque ſemper ita comparaui, his vt rebus plurimũ valerem, atque vt hiſce potius moribus, quàm rebus alijs vanis ac inanibus magnitudinem meam mei ciues poſſent æſtimare. Ad ea quæ ſunt muneris mei, & quę cuiuſuis Sacerdotis, vt Eccleſiam Dei tum verbis, tum rectè factis, & Chriſtianarum ſplendore virtutum ædificemus, quid attinet, quo quis corpore emineat? Aratori atque bubulco, quem vaſtitas vocis, & habitus metuendum pecoribus efficere debet, &

qui

qui arando ſtiuæ penè rectus debet inniti, neceſſariam corporis ſtaturam eſſe defendat Columella: nobis qui aliam artem factitamus, tanta mole corporis nihil opus eſt. Mihi enim ſemper inſtar oraculi verbum fuit Cephaſiæ tibicinis, qui diſcipulum reprehendens tibias intentius inflantem, addidit ſanè præclarè, *Non in magnitudine poſitam rei bonitatem eſſe, ſed in bonitate magnitudinem*. Hæc à me dicuntur fortaſſe iactantius, quàm vt Iulius Cæſar ſuæ illius modeſtiæ imaginem in meis verbis agnoſcat. Vocis eius non alijs teſtibus vti debeo, quàm auribus veſtris, Ciues ornatiſſimi, qui cum quotidie ex æquo loco mira comitate loquentem Toſcanum audiſtis, tum ſæpe audiſtis, ſic dicam, declamantem è ſuggeſtu, ſeſe inuehentem in licentiam ciuitatis, querentem tragicè, quod charitas refrixerit, & memoriam ſenſuſque hominum ad ſtudia religionis excitare conantem. Hoc ſanè mihi velim credatis, totum fictum eſſe & efformatum Toſcanum ad præſcriptum vocis Apoſtolicæ, non eatenus duntaxat, *vt neque ſuperbus, neque iracundus, non vinolentus, non percuſſor, neque turpis lucri cupidus ſit*; ſed etiam, vt quoties pro concione populum alloquitur, *arguere, obſecrare, increpare in omni doctrina non deſinat*. Cuius laboris ac ſtudij rationem conſtare videmus, cum velut è ſilice cordium humanorum & ignem quotidie pietatis excutiat, & Mósis exemplo exprimat aquas vberrimas. Neque enim ex illo eſt hominum genere, ridiculone dicam & fatuo, an miſero & infelici? qui cum ipſi ſcateant multis ac fœdis vicijs, & in eis iamdudum computruerint, tamen ore duriſsimo ſuggeſtum conſcendunt, & vſurpatis SS. Patrum verbis grauiſſimis remp. repurgare velle videntur, adductoque ſupercilio, & contracta in modum ſeuerum fronte hominibus flagitioſis æternas pœnas minitantur. quàm nugentur homines huiuſmodi, & quàm nefariè *enarrent iuſtitias Domini*, non eſt hìc locus, tempuſque dicendi. Eos tantùm moneo fideliter & amanter vt aut ipſi prius vulnera ſuo curent, aut aliena ne contrectent;

De re ruſt. 1.9.

Io. VVoſſ. inſtitut. orat.

ad Tit. cap 1.

ad Tim. 2. 3.

Pſal. 49.

tractent; ne dum apud conſcios, & ſcelerum ſuorum fortaſſe participes loquentur, auditoribus de arte ſua, medicinaque non probent, neque plus proficiant, quàm feciſſet Sardanapalus, ſi dum tramam radio duceret, ſuos milites ad bellum canticis incitare contendiſſet. Quibus te rebus, Toſcane, credis tantos motus ciere, ac tantum impellere animos hominum? vnde illa, te vociferante, tam repentina mutatio voluntatum ac ſtudiorum? Nempè magis vera ſpecie virtutis, quàm *doctis humanæ ſapientiæ verbis*, quæ tamen abundè affluunt tibi, capiuntur homines: monentem, vocantemque ſequuntur non inuiti, *dum Sacerdotis Chriſti os, mentem, manuſque concordare* cognoſcunt. Subit enim tua iſta probitas oculos menteſque hominum, pudoremque violandæ iuſtitiæ inijcit minus probis, dum ſe tanquam in ſpeculo nitido maculoſa & contaminata vita ciuium intuetur; dum exemplo ſui ciuis, ſui popularis excitata aperit oculos ad agnoſcendam ſpeciem virtutis, atque dum te dicente pietas potius, quàm ars concionatur. Ne mireris, Optime Candidate, ſi minimè tuæ voces euaneſcunt in auras, ſed inhærent in populi mentibus: nec tanquam emiſſa languidius tela, aut hebetia, perſtringunt ſummam cutem, verùm altè cordibus hominum infiguntur. neque enim ſe populus modulatam aliquam & lepidam concionem ad mollium atque delicatorum ciuium permulcendas aures aptam & accommodatam audire intelligit, ſed verba vitæ æternæ, ſed amici optimi atque magiſtri fidelia conſilia, ſed ſalubria monita ciuis amantiſſimi, qui multo ante eadem ſibi præceperit, quàm ad animos curandos aliorum accederet. Lyſander Dux fuit Lacedæmonum inuictiſſimus. is aliquando in Samothracia oraculum petens, à Sacerdote iuſſus fuit dicere, quid in vita feciſſet deterrimum. quid enim ita? Niſi quod dux melior fortaſſe Lyſander erat, quàm ciuis, maioreque ſolertia, quàm fide res belli paciſque adminiſtrabat: & cum remp. gereret vigilantiſſimè, auaritiæ, crudelitatis atque libidinis ijs flagi-

D. Paul. 1 Cor. 2.

D. Hier. ep.

flagitijs contaminauerat vitam, & ſe perfidiæ, aut auerſæ pecuniæ publicæ, aut violatorum fœderum tam indignis ſceleribus obſtrinxerat, vt non deberet oraculi vllum reſponſum expectare. Adeſdum, iuauiſſime Toſcane; quis te, niſi fortè laſciuiæ, iocique cauſa dicere iubeat, quid nequiſſimè & flagitioſiſſimè feceris? ad quem non libido, non ambitio, non cupiditas vlla, ac denique *Non quidquam ex rebus omnibus hominem ineſcantibus ac vili voluptate ducentibus vnquam pertinuit*: & in cuius moribus nihil tumultuoſum eſt, non ira bellatrix ac furens, non gula vorax, non mendax lingua, ac ne vox quidem terribilis aut aſpera: quem denique non aurum corrupit, non ætas emolliuit, non labefactauit occaſio. Nihil ex vniuerſa ratione Stoicorum magis virile ac admirabile videtur mihi, quàm quod eos, qui è ſua diſciplina prodirent, negabant vllius vnquam rei pœnitere oportere: ac niſi Thraſymachum neſcio quem doctiſſimus orator Ariſtides ſycophantarum in numerum retuliſſet, eum neutiquam ego ſanè dubitarem, Stoico, aut Socratico è ludo prodijſſe exiſtimare, quod eum in vita nunquam erubuiſſe conſtet; cùm vnum maximè probem, quemque ita viuere, ea fide, abſtinentia, & officij religione, pars vt nulla vitæ cenſorem metuat, & ea effugere, quæ ſi quis exprobret, non pudere, non verecundari non poſſit. An te pudeat, aut pœniteat, Toſcane, actæ innocentiſſimè vitæ? an pudicitiæ impenetrabilis? an ſummæ conſtantiæ conſiliorum tuorum? an laborum quos adhuc in emendanda lapſa & corrupta diſciplina ciuitatis ſuſcepiſti? an vigiliarum & contentionis, qua ſemper in ſtudio doctrinarum fuiſti verſatus? Quid enim te vellicet aut vetus poeta Statius, qui paruis audaciam tribuit: aut ſcriptor grauiſsimus Columella, qui auibus pumilionibus detrahit fœcunditatem? an ſcilicet non multo malimus vnam Iulij Cæſaris concionem, quàm Regis Priami liberos quinquagenos, non tantas commotiones animorum, quas efficit Apoſtolicis verbis è loco ſuperiore, non lacrymas

Seneca epiſt. 64

Orat. tomo 3.

Lib. 1. Syluar. 6. de re ruſt. l. 8. c. 9.

quas

quas exprimit vberes è ciuium oculis, non tot ciues, quos quotidie Orci reuocat è faucibus, iterumque Chriſto parturit? Sed verborum iam ſatis, ſuperque, reliqua iam oratio omen habebit & votum, Toſcane ſuauiſſime, vt ſuperi te omnes, iſtamque morum commoditatem, ſuauitatem, atque ſalubritatem fortunent; & ſi quid negaſſe videntur corpori, id vitæ diuturnitate ac felicitate compenſent, quamquam breuitate corporis tui tum erubeſces, cum magna paruus deſines efficere: quandiu inuictum cupiditatibus animum circunferes in iſto corpuſculo, cælumque ſuſpiciens, nihil miraberis in terris, atque ad virtutis caſtra tum exemplo emendatiſſimæ vitæ, tum claſſico tuæ vocis doctiſſimæ vocabis ciues tuos, nihil eſt in te futurum, quod quiſquam poſſit irridere, teque nemo puſillum, ac nemo pumilionem appellabit, niſi qui homines ineptiſſimè decempeda eſſe metiendos exiſtimabit. Dixi.

In Laurea
CAROLI BARTHOLOMAEI PLATEÆ
Iuriſprudentis
PANEGYRICVS.

VIrtutem excellentem laudes ſuas vbiuis locorum inuenire, neque ſimultates priuatas aut publicas inimicitias obſiſtere, quo minus quæ à quoquam fortiſſimè & cum virtute gerantur, ea aut tacita animorum approbatione, aut etiam aperta teſtificatione commendentur, cùm dixit apud Pindarum Marinus quidam ſenex, tùm exemplo ſuo comprobarunt & apud Lucianum Antipater, & Vlyſſes apud Sophoclem; quorum ille cum à Demoſthene odio capitali diſſideret, eius tamen de eloquentia, de magnitudine animi, & de rerum geſtarum excellentia dixit teſtimonium luculentum: hic cum improuiſo Aiacis, quocum tum apertas, acerbiſſimaſque inimicitias geſſerat, necem tanto viro indignam deprehendiſſet; dexteramque illam, qua non modò antea pro Græcis ſtrenuè pugnauerat, ſed etiam tunc contra ſe ipſum fortiter fuerat vſus, aſpexiſſet, altè ingemuit, & viri præclara facinora verbis exquiſitiſſimis commendauit. Quod ſi vis ea ineſt virtuti, vt illam etiam in hoſte mirari cogamur, quis ſcilicet requiret à me, cur ego hunc honorem amicitiæ tribuam, quæ mihi cum Carolo Bartholomæo Platea vetus intercedit, vt eum optimè ſentientem, doctrinarum cumulatum ornamentis, ab omni remotiſſimum leuitate ac turpitudine, denique de Iouis tabu-

Pyth. ode ix.

In Encomio Demoſth.

In Aiace.

la virum omnibus ornem ſententijs, & quod in alio quouis ciue, quamquam ſimultas eſſet, tamen tribuerem veritati, idem in hoc ciue veritati & amori reponam. Teſtor, Bartholomæe, morum tuorum ſuauitatem, conſtantiam conſiliorum, viciſſitudinem etiam ipſam ſtudiorum officiorumque noſtrorum, ac noſtræ conſuetudinis iucunditatem: teſtor iura vicinitatis, communis clementiam cæli, geniumque telluris beatiſſimæ, quæ paruo locorum interuallo noſtrum vtrumque in hanc lucem communem effudit: ſyluarum teſtor, fontium ac fluminum, ipſiuſque noſtri lacus tum ſaluberrimi & fœcundiſſimi, tum amœniſſimi Dryades, Naiadeſque: denique teſtor numen ipſum ſacroſanctum Fidei, me, cum multa in te ipſo quaſi lumina emicarent probitatis, cum nihil fictum, nihil neque fucatum, neque ſimulatum præteferres, cum animi benè conſtituti ſigna quotidie plurima præberes, cum vndique ſignificatio tuæ virtutis eluceret, denique cum tuis moribus nihil eſſe nitidius, nihil amabilius, nihil magis aureum appareret; numen inquam teſtor Fidei, me captum admiratione tui ſolitum fuiſſe ſic in te oculos deponere, tanquam in imaginem antiqui officij, & in aurei ſeculi ſcintillulas aliquas & reliquias; meque totum ſic ad tuam amicitiam applicuiſſe, vt omnia perpeti malim, quàm ab ea diſtrahi atque diuelli. In me verò quàm parum præſidij tibi ad vtramque fortunam poſitum ſit, hinc licet facias coniecturam, quod cum tuo huic tempori poſſim verbis ſatisfacere, mihi ne verborum quidem ad eam rem ſuppetat facultas. Neque enim dubito, quin cum neruos omnes intendero ingenij, nullam partem videar tuorum meritorum aſſecutus. Annus hic vertens eſt, cum te in laurea Theologica comendum ornandumque ſuſcepit orator longè diſertiſsimus noſtræ ciuitatis, qui cum arculas Iſocraticas conſumpſiſſet omnes, omneſque numeros impleuiſſet ſummi optimique oratoris, tamen illos haud ſanè obſcuros ſuſurros audiuit rogantium, penèque expoſtulantium, quod in tota laudatione

tione ſuà tacita Vaprienſis præfectura fuiſſet, quod muta Lauretana peregrinatio, quod intacta indictaque alia tam multa, quæ pro ſuo quiſque ſtudio expectabat ab oratore. quæ cum vir doctiſsimus in comparatione rerum maiorum miſſa feciſſet de induſtria, tamen penè omiſsior in ea re viſus nonnemini fuit, in qua culpam, ſi qua fuit, totam multitudo rerum, varietas, & magnitudo ſuſtinuit. Ergo hìc locus eſſe poteſt verbo vulpis Aeſopicæ, *hæc me veſtigia terrent*. Iacio tamen eandem ipſe aleam, quamquam quanto minoribus præſidijs eloquentiæ, tanto ſpe deteriore, me poſſe tum vobis, tum cauſæ ſatisfacere.

Hunc iuuenem ſi velut communi cuſum moneta, aut vnum aliquem creditis è multis, ſi neque optimarum partium ſtudioſum exiſtimatis, neque cum primis benè ſentientem de omni officio, neque omnia, quæ ſunt cum turpitudine coniuncta, faſtidientem, auerſantem, & execrantem, neque datum diuinitus, qui reponat luxata, & partibus ægrotis medicinam adhibeat, fallimini, Viri Clariſsimi. Plures & præclaras artes percallet, quas minimè ſanè oſtentationis gratia, ſed dignitatis ſuæ, communiſque cauſa vtilitatis cognouit. multum præterea valet ingenio, multum iudicio, magnitudine verò plurimum animi. Huc accedit omnium ordinum tacita confeſsio atque teſtificatio vitæ innocentiſsimè actæ. ipſa adeò ſi iurata teſtimonium dicat inuidia, negare non audeat, & perpetuum à Platea ſuſceptum patrocinium eſſe innocentiæ, & bellum indictum improbitati. ille verò amor tantus, quo legum cuſtodiam, & omnium officiorum honeſtatem proſequitur, cui demum eſſe poteſt obſcurus? Quarum rerum quæ ſit vis, quantum habeant momenti, qualia & tela ſint virtutis, & hominis præclara cogitantis inſtrumenta, nemo non intelligit. Annis hiſce octo ſuperioribus (neque enim maturius togam virilem ſumpſit, & rempublicam capeſsiuit.) quæ pars otij contigit Plateæ? Primus quidem eius velut magiſtratus fuit, ſodalitiorum

quæ ad Cruces compitalitias pertinent, præfectura. poſt breue tempus Vaprium in prouinciam fuit amandatus. tum Aronæ Seminario eſt præfectus cum imperio, ac inibi ſacri Montis velut appendix quædam, adiecta procuratio. poſt aliquanto Lauretanam & Romanam peregrinationem pietatis cauſa ſponte ſuſcepit. poſtremò eſt Mediolanum in Seminarium accerſitus, vbi tertium iam annum noſtros ob oculos obuerſatur. Quid hoc aliud eſt, quàm genus quoddam fabulæ motoriæ, vitæque deſultoriæ? hinc illuc, ſurſum deorſum, modò Chriſtianæ pietatis auctor, & ſtimulator, modò curator rei familiaris, modò *formator* morum & iuuentutis *inſtitutor*, modò peregrinator, denique perſæpe è ſacro ſuggeſtu Euangelicus orator. Miror, niſi etiam phonaſcus, niſi architectus, niſi Curiæ aut ſcripturæ magiſter, ac niſi moderator annonæ. Quid eiuſmodi? cum enim neget Politic. 1.1. Ariſtoteles quidquam naturam facere tale, qualem fabri ac ſtatuarij fecerunt Delphicum gladium, cuius varium multiplicemque ferunt vſum fuiſſe, nonne inſtar eſt portenti, iuuenem quemquam tam multis rebus valere, atque in rebus tam varijs adhiberi? Illud verò eſt in Platea præſtantiſſimum, quod cum rebus valeat tam multis, nullum vnquam ſibi neque peculiare munus, neque certum vitæ genus depoſcit, ſed ita ſe totum Deo ſortes humanas temperanti permittit, ac illorum quibus ſacramentum dixit, ita eſt in poteſtate, vt eorum religioſiſſimè pendeat à nutu, vt vño imperio, verbo vno, ac vna ſignificatione voluntatis ſit quiduis oneris ſubiturus, & quocunque terras in vltimas Eccleſiæ cauſa profecturus. Sed nos nihil agimus, niſi quæ paulo ante vniuersè collegimus, ea paulo exequamur vberius. Vaprium miſſus fuit, vt gregem Dominicum paſtore carentem tueretur. Eo in munere qua ſit verſatus vigilantia, qua omnium approbatione, qua dignitate ſacra curauerit, quàm diligenter fibras vitiorum euellere, & malam filicem extirpare ſtuduerit, quàm prompta liberalitate fuerit in egenos, quàm multos ſuis malis in-

indormientes excitauerit, atque ad ſpem vitæ vocauerit beatæ ac immortalis, quàm multos planè immutauerit, ac velut è feris cicures effecerit, qua cura in illa belli Gallici tempeſtate ſacram ſupellectilem velut ex aliquo naufragio extulerit in tutum; qua charitate profugos ciues ſuos ſecutus fuerit, fouerit-que foris ac recrearit, quæ denique exempla vitæ integerrimæ in omnium defixerit oculis, quàm poſtremò per ipſos ſex menſes ſui admirationem excitauerit, me dicere nihil attinet, cum hæc inibi etiamnum non hominum tantùm omnis ætas ac ordo, ſed viæ medius fidius ipſæ, ſed compita, ſed muta & ſaxa & arbores, ſed aræ quoque ac templa loquantur. Nondum, mihi credite, rauca facta fama eſt, qualis illa Bartholomæi Plateæ prouincia fuerit, & quale illud interregnum. Ipſi quin etiam oppidani, qui ſcilicet nihil eiuſmodi viderant in vita, certos homines è ſuo numero, & honoratiſſimos ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum publicè legauerunt, qui mira omnia de Platea prædicarent, gratiaſque ob eam vſuram exigui temporis agerent immortales, ſummiſque precibus ac infimis contenderent, vt eam C. Bartholomæo prouinciam ex breui propriam eſſe vellet ac perpetuam. Quid verbis opus eſt? Ne illa ſibi tanta vis boni eriperetur, ac ne inde Platea decederet, dentes quiſque ſuos, ſuos oculos dependiſſet. Illud in eo munere tum conſtantiæ, tum pietatis commendatione fuit præſtantiſſimum, quod cum latus alterum Abduæ tenerent Galli, qui ſuis copijs litus illud vniuerſum prætexebant, & cum inde belli terrorem latè ſpargerent, atque miſſilia in vlteriorem quoque ripam iacularentur, quæ neminem inibi patiebantur conſiſtere, ac ita diligenter omnia ad tranſmittendum compararent, vt & celerrimè & facillimè ſuas copias eſſe traiecturos appareret; cum, inquam, in eo loco res forent, ac eſſet Plateæ nuntiatum, iacere corpus exanime ſui ciuis apud amnem, quod mox ludibrio eſſet futurum hoſtibus, aut certè ſi hoſtes illi peperciſſent, eſſet laniandum à feris: cenſuit eſſe Chriſtianæ pie-

 tatis,

tatis, quamprimum illud affici ſepultura, nec dubitauit ſeſe periculis obijcere, occurrere telis, & cadaueris auehendi gratia eò ſe conferre, vnde aliquanto ante mortales omnes trepida fuga auolaſſent. Vide admodum, ſuauiſſime Platea, ne quem te temerè induas in laqueum: vide ne te in locum præcipitem conijcias, vnde non ſit futurus receptus. Nimirum tanto tui capitis diſcrimine mandare peremptum tumulo feſtinas? O tibi vilem tuam, proiectamque ſalutem! quin tranſitum expectas tempeſtatis? quin aliorum exemplo latebras circumſpicis aliquas, ac te reſeruas Eccleſiæ? Sed enim ſtat ſententia, ire ſubtractum ludibrio cadauer, ac humatum deferre. Iuit per volitantia tela, hoſtium in conſpectu remigeſsit, remeauit, momentoque temporis ſuperfuſus illis agris Gallus, in vicis, in locis cultis, in ædificijs perſultauit, moreque torrentis omnia peruaſit. O te penè ferreum & adamantinum!

At enim diutius in loco vno conſiſtimus, quàm ferat ratio inſtituti negotij. Aronæ quadrageſimo ab vrbe lapide præfuiſti Seminario, ac ita præfuiſti, vt inibi laudem optimi ac diligentiſſimi viri inueneris. Mihi verò ſummopere tua ratio probatur, quod cum ius dicere pueris ingenuis dicat Ariſtoteles ſpeciem eſſe quandam Imperij Regij, ſic ijs præfuiſti, vt te ſcires liberis imperare: Sic eam inſtituiſti iuuentutem, vt rationem velles, non hominem dominari: ſic errata vindicaſti, te vt parentem eſſe meminiſſes, non triremis præfectum. Scilicet inter diſſolutam liberalitatem, & crudelitatem ſanguinariam, eam viam iniuiſti, quam multo ante in fabulis Mitio Terentianus iniuit, qui ſe non habere neceſſe dicebat, omnia pro ſuo iure agere, ſatiuſque putabat eſſe, pudore ac liberalitate liberos retinere, quàm quotidie flagro ac minis perterrefacere ac alienare. Quorſum enim attinet mos ille piraticus aliquorum, quibus ita eſt quotidianum in libera corpora ſæuire, vt etiam iucundum poſſit videri? Rudes pertractandorum adoleſcentum, parumque memores humanæ ſortis, nihil indulgent,

Polit. lib. 1. c. 8

Adel. act. 1. ſc. 2.

tri-

tribuunt nihil illi ætatulæ, nuſquam conniuent, ſummoque, hoc eſt, inimiciſſimo iure, ac ſumma acerbitate omnia vindicant. Quos ego ſanè ita peruelim exiſtimare, flecti adoleſcentulos quocunque velimus, ſi humaniter obiurgentur, & ſi tractentur liberaliter: contra ſi quotidie habeantur ludibrio & proculcentur, efferari, ac frenos mordere. Quid tum melius Aronenſi illa tua ſobole fuit, Platea ſuauiſſime? quid tibi magis deuinctum? quæ cum tu inde Mediolanum tradita ſucceſſori prouincia proficiſcereris, ſic vdis oculis ad litus vſque deduxit abeuntem, vt cuique ſol occidere, vt lætitiæ eripi omnes, vt cuiuſque parenti funus fieri videretur. Quamquam quid ego cauſam Seminarienſium epheborum à cauſa ſeiungo communis oppidi Aronenſis, in quo tum Sacerdos nullus fuit, nulla virgo Sanctimonialis, nullus eques, nullus magiſtratus, nullus opifex, nullus miles, ac mortalis omnino nullus, qui non ingemuerit, neque ſibi ſummam quandam calamitatem tua profectione interueniſſe iudicauerit. Candor enim animi tui, Platea, ſeſe rimis omnibus patefaciens, ſtudium ardens alienæ ſalutis, continens nec interrupta benè agendi ratio, denique præſtantium admiratio virtutum, rem in eam opinionem adduxerant, te vt intuerentur, tanquam arculam aliquam veræ pietatis, & tanquam aliquem exempli cauſa delapſum de cælo.

Cum Cœnobitis, qui paulo ante tranſlato ex inſalubri & peſtilenti ſede in locum commodiorem domicilio eundem collem inſederant, res ſibi fuit, & peruicax ac diuturna concertatio. Tu ſcilicet iura ſacri Montis ſarta volebas eſſe, illi rem aliò trahebant, pugnabantque pro domo ſua nauiter. qua in dimicatione inde ſtabant confertiſſimi, freti ſuis alieniſque copijs, & ciuium præpotentium ſubnixi ſtudijs: hinc rem gerebas tu ſolus, ſed admirabili quadam vi animi & conſtantia, ſed Diui Caroli, cuia res erat, fretus præſidio, ſed armis copijſque munitus diuinis; Donec ſtante pro meliore cauſa Deo, bello ſuperior euaſiſti. Neque tamen iſta concertatio fuit

eiuſmodi, qualem poetæ ferunt fuiſſe Achillis & Hectoris, quæ niſi alterius nece non poſſet finiri: neque item qualem fuiſſe memorant duorum fratrum Thebanorum Eteoclis & Polynicis, quos aiunt ita mutuis vulneribus concidiſſe, vt ne mortui quidem in eodem rogo poſſent conſiſtere. Minimè fuit eiuſmodi veſtra concertatio, ſed fortaſſe qualem fuiſſe legimus duorum Apoſtolorum Pauli & Barnabæ, aut duorum Eccleſiæ Doctorum Hieronymi & Auguſtini, quorum diſcordia cum ſententiarum potius, quàm animorum eſſet, neutiquam neque ad iurgia, neque ad manus proceſſit. Vos quoque ſine dentibus & vnguibus, ac omnino ſine omnibus aculeis rem totam tranſegiſtis. quid verbis opus eſt? In neutris acerbitas verborum fuit, ac ne toruitas quidem frontis, & quod magis miremini, ne mutuorum quidem officiorum intermiſſio. Ego tuam irati, tuam propitij æquitatem animi ſanè multum demiror, optime ac doctiſſime Platea. ſed dicam vno verbo, quod ſentio. Non eſt huius ſeculi ingenium iſtud tam rectum, tam ſyncerum, tam aureum, tam alienum ab omni fuco, ac rerum tam appetens honeſtarum. Nuſquam in Plateæ moribus aſſentatio eſt, quæ hodie alit tam multos: nuſquam oſtentatio & gloriatio, quæ tantum vbique fruticantur: nuſquam artes illæ ſycophanticæ ac veteratoriæ, quæ penè iam ſolæ regnant in vrbe: nuſquam nec inſultatio, nec liuor, nec obtrectatio, quibus tantum vicus omnis abundat. Sed fruſtra conſector illa remota, cum veſtros ego ſenſus, Viri Clariſſimi, poſſim interrogare. Videtis Plateæ veſtes vt mundas, ita minimè neque nitentes & elegantes, neque laciniofas & ſumptuoſas, neque, vt ait D. Hieronymus, *luxuria fœtentes?* Caput videtis tonſum tam ſtrictim? Ex hiſce rebus duabus rebus de cæteris facite coniecturam. Totus aptus eſt, totuſque factus ex Diui Caroli præſcripto, in cuius familiam nomen dedit iampridem. Cum enim certo ſciat, è cælo ſe ſuam mentem poſſidere, ac ſuos artus, muneraque tum animi ſui, tum corporis

Papin. Stat. Theb.

poris vniuerſa, cogitat impenſè quotidie, quemadmodum poſſit huiuſce veluti ſortis fœnus aliquod Deo perſoluere: dieſque tum exorditur omnes, tum condit in obſequio conditoris ſui: ac ita ſemper ſe comparat, vt ad aras poſſit manus quàm gypſatiſſimas afferre.

Ipſe qui modò munere fungor oratoris, poſſum iuratus teſtimonium dicere facti pulcherrimi, cui non ita pridem interfui. Cum Bartholomæus Platea inexpectatus interueniſſet ludo duorum amicorum, qui clanculum aleis pomeridianum tempus æſtiuum fallere ſtudebant, quamuis eſſent & coniunctiſſimi, & ipſo multo natu maiores, eos tamen aggreſſus iurgijs fuit & iuſtis conuicijs: verbiſque grauiſſimis & caſtigauit & obiurgauit. Diceretis interueniſſe Socratem Anyti, Melitique turpiſſimis flagitijs: diceretis Vatinium & Catilinam, cum ebrij redirent à Quintilla, in Catonem incidiſſe. Eo certè rem ardore peregit, vt mirum fuerit, quod Chriſti Seruatoris exemplo non euerterit omnia, neque in ipſos aleatores flagro vindicauerit. O Plateam præclarum cuſtodem diſciplinæ! ò raram auem in terris! At enim de quo hæc homine prædicamus? Nimirum de illo, qui annum nondum ſecundum ſupra trigeſimum prætergreditur. Hac ætate, quam Ariſtoteles propter exiguum vſum rerum, & cupiditates flagrantiſſimas in ludum philoſophiæ moralis non recipit, habet Platea tam altè in animo infixas virtutes, ac tam penitus inſidentes, tamque domitas cupiditates, vt admodum iuuenis potiit grandæuis ſanè permultis eſſe diſciplinæ magiſter ac vindex. Voces huius penè adhuc adoleſcentis, non voces poſſint videri, ſed emicantes quædam ſcintillæ latentis in animo pietatis ac virtutis. Quin ſi, quid ille abſtruſum geſtet & incluſum in animo ſuo, auetis intelligere, illud animaduertite, quid creberrimè, quid iucundiſsimè habeat in ore. Nempe tres noſtra, aut parentum noſtrorum memoria clariſſimos & ſanctiſſimos viros, D. Carolum, D. Philippum Nerium, ac S. Franciſcum de

Moral. lib. 1. cap. 3.

Sales memorat in omni ſermone, quorum facta dictaque habet in ore promptiſſima, eorumque ad exemplum tum ſe ac mores ſuos componit,tum alios claſſico tuæ vocis vocare non deſinit. Quantum hiſce Triumuiris & heroibus tribuat Platea, quàm honorificè & ſentiat de illis & prædicet, eorumque veriſſimæ gloriæ quàm ſit organum ſonorum, vos ipſi teſtes eſſe poteſtis. ſed enim feſtinamus.

Anni verò huius literarij, quem nuper confeciſti, anne poteris, ò Platea, cenſori alicui ſeuero rationes probare? Quid facilius? ſi enim dicas, Diligentiſſimè eam partem adminiſtraui reip., quæ obtigit mihi, cuius illud munus fuit, rem Seminarij familiarem curare, & ephebos ætate præferuidos pro mea virili parte continere in officio; cui demum iudici cauſam non probes? At ſi adiungas, te anno eodem in Sacello Archiepiſcopali in ſumma frequentia Ambroſiani Cleri orationem habuiſſe: ſi addas te operam aſſiduam dediſſe Iuriſprudentiæ: ſi præterea dicas te orſum ab ipſa ſtirpe pertexuiſſe hiſtoriam D. Franciſci de Sales, quis Cato, quis Minos neget ſibi huiuſce temporis rationem conſtare? Hìc mihi noua rerum ſeries naſceretur: hìc poeſis vocem ſibi ferream peroptaret: ſed ego quid faciam? iugulanda pars maxima & potiſsima eſt noſtræ laudationis.

Orationi quidem latinæ, quam Platea virili cultu, nulla laſciuia verborum, nulla ſententiarum leuitate, licentia nulla compoſitionis exhibuit, plauſum dedit ſonorum Eminentiſsimus noſter Archiepiſcopus, (vt nominem vnum, qui inſtar habet omnium.) agnouitque idem in ea oratione ſacræ maieſtatem ac dignitatem eloquentiæ, aliamque eius & vim eſſe dixit, & apparatum, quàm ſit plurimorum in loquacitate, quos *adulterantes verbum Dei* cum diu, multumque audiuimus, quaſi à marmorea ſtatua frigidi ſolemus redire.

Aronæ recens adhuc eſt & gratia & memoria luculenti Panegyrici, quem mirifico apparatu ſententiarum tertio ab hinc anno Platea dixit Franciſco de Sa-

leſ,

les, dum eum Rex ſacrorum Alexander VII. Beatum pronuntiauit. Diui boni! quæ copia & vbertas dicendi? quod verborum & ſententiarum pondus? quæ lumina orationis? qualis etiam fabulæ ipſius ac dramatis actor & hiſtrio? Quid enim ego dicam, quæ tum hominum exiſtimatio fuerit ingenij tui, Platea: & qui Aronenſium fauor & ſtudium? Illa certè erat communis hominum exiſtimatio, tunc quoque ſuum Achilli Homerum contigiſſe. Ante hos paucos annos, qui caſtris in iiſdem eandem militiam militabant, mirabantur in Platea genus indolis inuſitatum, qui pro re nata ſe acrius intuentibus modò Samuelem exhibebat vigilantem, ac obedienter & promptè ad voces procurrentem imperantis: modò Ioſephum, quem Ægyptijs mangonibus fratres accepto pretio tradiderunt, verecundum, ac ſe ſtrenuè heræ catulientis proripientem è manibus: ſemper Sampſonem ſi minus prorſus temperantem à vino, ci certè vſu præparco indulgentem: ſemperque *virum deſideriorum* Danielem. Cuius quidem de tota vitæ ratione ſic velim exiſtimetis, amaſſe vt qui veriſſimè, conſueuiſſe cum alijs vt qui iucundiſſimè, literas quæſiſſe vt qui diligentiſſimè, denique vixiſſe, vt qui laudatiſſimè. Quod iam tum in eo leuitatis, quod ineptiarum veſtigium? quando lapſa ætatis lubrico cupiditas? quid vſquam in eius vita ingeneroſum? quid feroculum? quid minax? quid inſolens? an frons inuerecunda? an lingua proteruior? quis turgentem vidit? quis eum ſibi grauem, quis fuiſſe moleſtum poteſt docere? denique quando eum ſatietas cepit laboris? Iam quanta ſermonibus eius fides? qui candor & ſuauitas? quàm pari libra grauitas, comitaſque? Iam verò quid iſta, niſi quædam verni temporis herbeſcens viriditas, poſſint videri, ea ſi ad huius temporis meſſes, vindemias, atque oliuitates comparemus, quum in eo vix miraculo caret multiplicata fœcunditas? Plateæ, quem virilia officia totum ſibi vendicant, & qui in munere ſuo verſatur attentiſſimè, quis crederet,
poſt

poſt adoream theologicam nec vires, nec tempus, nec animum ad alia tentanda defuiſſe? Illéne etiam Iuriſprudentiam appetijt? Sanè verò. Tantam artem & ſcientiam, quæ latè complecteretur omnia, quæ res priuatas & publicas adminiſtranti cum primis poſſet prodeſſe, quæ omnium ciuium, gentium ac regnorum rationes moderaretur, & quam Antiſtitis Clariſſimi auſpicijs ab interprete multo præſtantiſſimo, amiciſſimoque tradi videret in proximo: tantam, inquam, facultatem, quæ non foris petenda eſſet, ſed ſibi domi naſcéretur, perdiſci ab alijs, eiuſque ſe expertem eſſe, penè ſingultans gemebat, & ſe Tantalo illi poetico in ſumma vicinitate laticis & pomorum eſurienti, ſitientique tacitus æquiparabat, ſeque ipſum ſæpe mirabundus rogabat, ecquid iure eſſent meliore adoleſcentes, quàm viri? ecquid ſibi obſepta via foret ad eos fontes, qui ſibi ſubiectis paterent? Cum diu fluctuaſſet animo tandem precatus omnes diuos, vt ea res feliciter eueniret, rem ſibi aggrediendam conſtituit. Quid non efficit labor improbus? ſummarum occupationum in concurſu, cum horas quieti ſurriperet, & cum tempus remittendi animi eò conferret penè vniuerſum, ac interpreti hæreret quotidie ad latus, ad eamque facultatem remis, quod aiunt, ac velis contenderet, repentè velut ex antro Iouis prodijt Iuriſconſultus. Qui enim ſciret, ſe non vni duntaxat ſibi natum fuiſſe, ſed ortus ſui partem à patria, partem à propinquis, denique partem ab amicis vendicari, hominemque hominum cauſa eſſe generatum, anne ex vna theologia depromeret, quo pacto ſua ſingulis officia poſſet præſtare? Quem præterea non fugeret, cognitionem, contemplationemque naturæ mancam quodammodo & inchoatam eſſe, nulla ſi actio rerum conſequeretur, anne ſcientiam iuris, cuius cùm eſt ſplendor maximus, tum ſunt plurimæ opportunitates, ſibi deeſſe pateretur? Nimis multi caſus iuris ſcientiam deſiderant: huiuſque facultatis in clientela humanæ vitæ partes plurimæ deliteſcunt: iuſque qui ciuile tenent,

nent, in eorum vita minus multa patent, quæ poſſit inuidia aut fortuna ferire. Cum enim in diſcrimen ventum eſt, cum fortunæ, cum exiſtimatio, aut etiam cum ſalus oppugnatur vniuerſa, quemadmodum rem expedire, quemadmodum tenuiores prohibere iniuria poſſis iuriſprudentiæ ſine præſidio ac adiumento? Vt enim rerum obſcurarum cognitione Theophraſtum atque Carneadem æquipares: atque vt Scoto, ac Alberto Magno diuinorum dogmatum antecellas notitia, quæ hinc rerum gerendarum adiumenta, quæ tuis rebus præſidia depromas, te ſi quis obtorto collo in ius rapere, atque fortunis deſpoliare contendat? Neque enim appetiiſſe te aliud, neque fructũ Iuriſprudentiæ ex ſtipe aduocationum, ſordidoque lucro petiuiſſe, mihi poſſum perſuadere: neque id noui laboris ſuſcepiſſe te arbitror, vt aliquando cerberus forenſis eſſes, hoc eſt, vt iura conturbares, atque vt ex miſerorum diteſceres calamitatibus; ſed vt à te, atque ab alijs populſares iniurias, tuumque ingenium, laborem, fidem hominum generi promptam, expoſitamque præberes. Noſti enim viri ſapientiſſimi dictum ſanè veriſsimum: *præſtantes viros præſidio eſſe conſueuiſſe hominibus: neque turres potius, aut mœnia eſſe propugnacula populorum, quàm fidem atque doctrinam hominum ſapientum*. Propterea tanta iſta ad ſuperiora ornamenta acceſsio fac in hominum commodis tuendis tota verſetur: diſciplinaque iſta iuris fac ſe vniuerſa ad tuorum ciuium porrigat vtilitatem. De tua Iuriſprudentia nimis fortaſſe diu deblatero. quo minus reliqua, quæ nuſquam hodie ſeſe in conſpectum dederunt, proferam in medium, tibi ego, Platea ſuauiſsime, modum excuſare poſſum panegyrici, quemadmodum Græca luſcinia Pindarus, quo minus in laudibus Herodoti palœſtritæ præſtantiſsimi eſſet vberior, Hymni ſe breui menſura dixit impediri.

Hippocrates Couſ.

Iſthm. ode 1.

Rem peregiſti ex animi ſententia, ò flos delibate ciuitatis. quis enim dubitet, quin ſi te ad Geometrica, ſi ad Aſtronomica, aut denique ſi ad omne genus Methematica velis conferre, ſit tibi dexter futurus Mer-

Macrobius. Mercurius? Ex athletis qui ad annum vſque trigeſimum quintum ſine vllo victoriæ præmio perueniſſet, iubebatur quaſi corona deſperata artem athleticam deſinere. Tu verò, Platea, tam multarum palmarum iuuenis, cui conatus tui tam præclarè ſub manum ſuccedunt, quid facias libentius, quàm vt literas nauiter pertractes, vnde tibi tantum exiſtimationis ac dignitatis effloreſcit? Neque enim ſunt tuæ dotes otioſæ futuræ, quas te certò ſcio eſſe collaturum ad communem vtilitatem, atque ad eam perſonam gerendam, quamcunque tibi tua imponet Eccleſia. Sed principio edico tibi, ne conſterneris, ſi liuidulos aliquot vſſerit ac offenderit gloriæ tuæ lumen. immo ſanè tuis maleuolis oculi doleant: immo *rumpantur* Virg. Ecl. 7. *ilia Codro*. Quod enim narras mihi, te cum nullius boues, ac nullius equos abegeris, tamen obtrectatores habere, & quotidie in inuidiam maiorem adduci, noli propterea frangi animo aut debilitari: Ille, qui verbo ſedat mare quamlibet fremens, faciet propediem, vt veſtræ turbæ, tumultuſque conticeſcant. Sed interea intereſt permagni, quocum hominum genere res ſit tibi, Platea, & quinam ij ſint, quos tibi iniquos eſſe, ac infeſtos queraris. Si enim ciues eſſent obſcuri, aut flagitijs contaminati, qui ſic tibi, quemadmodum olim mures Æſopico Leoni, ſi minus faceſſunt negotium, ſomnum certè interrumpunt; quos malignitate, perfidiaque ac odio virtutis te ipſum inſectari poſſes conijcere, dicerem, Quid hoc miraris? An ſcilicet nouum eſt, candidum Mauris oſtentui eſſe, ſtrigeſque ac noctuas, noctis aues, nitore ſideris offendi? De ſilẽtio Pythiæ oraculi. Illud etiam tibi in memoriam redigerem, quod Plutarchus commemorat, Corinthi in Oceo inter templi anathemata palmam æneam extitiſſe, cuius ad radices ranæ ac ſerpentes viſerentur. adderem præterea: quandiu vitæ tuæ rationes à ſuis ipſorum rationibus diſſidere videbunt aduerſarij tui, tandiu cauſa ſuberit, te cur labris liuentibus, oculiſque ſtrabis intuendum exiſtiment. confirmaremque te illis verbis D. Hieronymi: *In te frangat genuinum inuidia*, quam

tu

tu nulla re melius, quàm benè, laudabiliterque agendo potes vlciſci. Attamen cum ij, à quibus te ais vellicari, viri ſint ingenio, doctrinaque præſtantes, eorumque extent quotidie in remp. merita maiora, cuiuſmodi ciuium tu ſcilicet magnam ſegetem eſſe peruelis in vrbe: & cum ijdem tandiu tecum coniunctiſſimi fuerint, donec vos Ate Homerica diſtraheret, ac in eorum animos velut ſcrupulos quoſdam neſcio quas ſuſpiciones incommodas iaceret, nihil ſuperioribus illis verbis eſſe opus intelligo. Perfer ac obdura, Platea doctiſſime: perbreuis temporis eſt iſta veſtra futura ſeu velitatio, ſeu alienatio. Iunget propediem concordia, quos aliquandiu ſimultas diuulſit: ac redibit vtrorumque animis amor priſtinus, qui vos ad iucundiſſimæ familiaritatis conſuetudinem reuocabit. Interea ſta firmiter in veſtigio, literas cole, quod adhuc feciſti, & profer quotidie iſtam animi tui continentiam, neque labora, quid tinniat, quid garriat tuarum laudum æmulatio. Dixi.

In Laurea
CONSTANTII MOLINÆ
PANEGYRICVS
Qui inſcribitur
Flos delibatus iuuentutis.

ILlud moris habent veri, ſyncerique amici, concinnique ciues ac elegantes, vt in digreſſu, redituque amicorum cùm alijs rebus multis, tùm nonnunquam etiàm lacrymis beneuolentiam fidelem & ſingularem teſtentur; & qui ſoluentes è portu ſunt fauſtis ominibus proſecuti, atque ad iter capeſſendum crebro & ſonoro celeuſmate alacriores effecerunt, iiſdem ex maritimo & longinquo itinere portum intrantibus occurrant læti, atque ad conſuetudinem complexumque ſuorum ſoſpites & incolumes reuertiſſe non ſine vdo gaudio gratulentur. Huius officij partem Conſtantio Molinæ pro neceſſitudine, quæ mihi cum illo vetus intercedit, perſolui iampridem, quum illum è patria domoque doctrinarum cauſa proficiſcentem ego quandiu rheda, & via ſiuerunt, ita comitabar oculis mollibus & irretortis, vt ei, generique ſuo, ac denique patriæ ipſius vniuerſæ profectionem illam vellem proſperè atque feliciter euenire: partem hac die, atque in hoc Molinæ tum optatiſſimo reditu, tum laureæ honore ampliſſimo perquàm lætus perſoluo, quum eum ex tanto interuallo temporis, poſt noſtrum tam diuturnum deſiderium, intercapedine tot locorum tandiu diſiunctum à nobis, atque vt Poetæ loquuntur poſt tam multos

ad nos hirundinum, ciconiarumque reditus, nunc demum non modò ſoſpitem ac benè valentem, ſed etiam auctum præclaris ornamentis, & doctrinarum præſtantiſſimarum pronominibus inſignitum intueor. Ergo reuerſioni Conſtantij Molinæ dum ita gratulationem hodie tribuo, quemadmodum antea profectioni dederam preces & vota, illud eius vtrique tempori tribuo, quod ſi minus fortunæ ipſius, at certè meæ tenuitati conſentaneum exiſtimaui. Neque enim is à me dum proficiſceretur, viatico proſequendus fuit, qui me multis millibus ditior eſt, grandemque pecuniam quà præſenti ac numerata copia, quà etiam nominibus deferret ſecum: neque voce atque cohortatione mea fuit incitandus, quem ſatis ſciebam domeſticis non ſolùm monitis, verùm etiam exemplis inſtructiſſimum dimitti: quemadmodum neque reduci Molinæ à me cœnam aduentitiam apparari neceſſe fuit, quem pauci tum ædibus, tum etiam menſa lautius excipere potuerunt, quàm parentes ipſius: neque denique à me congiario & ſparſis miſſilibus lætitiam meam reuertenti probari oportuit, quam magnificentiam à nemine poſſumus expectare, præterquam à ſatrapa, aut ab eo, quem ſummæ opes ſatrapis exæquent. Ad nos igitur, quod velim benè vertere, Molina redijt, ac ita redijt, vt magis exoptatus non potuerit. Qui ſanè, cum nos abſentis deſiderium ferremus animo in dies molliore, & cum quotidie magis ſuauitatem eius conſuetudinis liberalis mœſti requireremus, reſtituit repentè nobis ſermonem & familiaritatem, conuictumque ſuum multo iucundiſſimum, quæ quid habeant voluptatis, carendo magis, quàm antea fruendo intelleximus. Qui dum nunc feſſus de via reſpirat in ſinu patriæ ſuæ, atque ex moleſta quadam ac diuturna iactatione domi ſuæ, ſub cælo patrio, atque inter ſuas neceſſitudines conquieſcit, Iouique Soſpitali, qui ſe per tot amfractus viarum reuexit incolumem, vota perſoluit, mihi interea velut regredi per eius veſtigia viſum fuit, & mente cogitationeque caſus.

ſus multiplices, labores, atque progreſſiones, nec non pericula ac ærumnas intueri, quibus neceſſe fuit conflictari degentem in aliena vrbe adoleſcentem, frequentantem gymnaſia, & quod caput eſt, quotidie contrahentem cum multis, qui non patria magis & ſono vocis, quàm ingenio moribuſque diſſiderent. Illa igitur, quæ mox Molina, cum otium nactus fuerit, ordine cuncta enarrabit, nunc ſedens atque ſilens audiat à me; quem ſiue bona fide rem exequi cognouerit, ſeu multum à vero viderit aberrare, licebit coniectorem hiſtoricùmue appellet, aut certè fabulatorem & mendacem reuincat. Quod felix fauſtumque ſit, iter ingredi maturemus, & multo ante prætergreſſum Molinam, & ſexto poſt anno ad honores capiendos reuertentem velut ſuis veſtigijs perſequamur. Is verò cum eſſet aliquando iter ſuſcepturus longiſſimum, fecit puer quod ij ſolent, qui mare primum ingrediuntur. Cum enim propter inſolentiam nauigationis ac pelagi metuant, ne non commodè iactationem maris pati queant, non temerè pandunt vela ventis, nec ante prouehuntur in altum, quàm ſcapha propter litus obambulauerint aliquandiu, oramque radendo maritimam animum ſuum & ſtomachum ad longiorem nauigationem confirmauerint. Radebas, Molina, litus, animumque vel ad ipſum enauigandum oceanum præparabas eo tempore, quo in ludum ad literatorem mittebaris. quamquam enim inter ea principia non minus ignarus eras, vbi gentium atque terrarum Burdigala, Lugdunum, Lutetia forent, quàm vbi olim Salamin fuiſſet, vbi Thebæ, Corinthuſue; attamen animo te comparabas interea, vt cum primum per ætatem licuiſſet, optimique parentis acceſſiſſet auctoritas, continuò profectionem adornares, atque ad Sorbonenſem vniuerſitatem deportarere. At enim cedo, puer iucundiſſimè (ſic enim tecum loquar, quaſi cum puero ſeptuenni, qui nunc primum ad præceptorem perducatur), cedo, inquam, iucundiſſime puer, quàm ſunt diuerſa, blandiens nutricula, & hypodidaſcalus caperata

perata fronte? quàm diſſimilia ſuauians matertera; & perſtrepens minis præceptor? colluſorque catellus, & ſcutica vindex noxarum? quàm denique diſſident, regnare in ſinu matris expertem operis, ac duro inclementique exactori quotidie penſum probare? excurrere liberum, & ſedere mutum conſtrictumque, atque adeò ne liberè quidem reſpirare? Verùm enimuerò mellitiſſimus puer, atque ante diem prudentiſſimus, qui perſuaſum haberet, eam profectionem ſibi futuram frugiferam eſſe, ac totam eam exantlandi laboris moleſtiam in magnam ſui nominis dignitatem aliquando euaſuram, modò progrederetur in literis, omnia ſibi perferenda eſſe ſtatuebat; præſertim qui ita crepantem minas præceptorem audiret, quemadmodum, vt opinor, frementem pelagium ſecurus è villa Neapolitana audiebat L. Lucullus: ac ita flagrum intueretur, quemadmodum boni ciues furcam intuentur, quam latronibus, cruentiſque ſicarijs, non ſibi, ſuique ſimilibus, figi compertiſſimum habent. Non ero multus in commemoranda primore adoleſcentia Molinæ, ne ſerijs, multoque grauioribus ſtudijs tempus debitum ipſe tricis impendi queratur. Ergo prætereuehar, vbi vniuerſa, quæ de indole puerili probatiſſima ſpectatiſſimaque dici poſſunt, vniuerſè collegero. Ingenium ita quoddam emicabat in ephebo teneriore, tam ardens, viuidum, ſolidumque, vt quocunque ſe contuliſſet, nihil mediocre de ſe polliceretur. Sic tenebatur ſtudio laudis & gloriolæ illa ætas imbecillior, vt animum ei eſſe verſatilem ad omnia ſatis appareret. In primis grammatices elementis tam parum hæſit, ſudauitque, vt iam tum ſignificaret nobis, futurum ſe ad omnes doctrinas celeri docilitate, & mirifica ad omnem inſtitutionem habilitate. Huc addite amorem libellorum, & ſi fortè obiurgaretur, impatientiam contumeliæ, ac denique odium omnium ineptiarum & ludicrorum, vt non alijs rebus, quàm literis & dignitati natum appareret. Cuiuſmodi ſanè indoles cum amicis vniuerſis, tum præcipuè ouanti ac

Plutar. in L.Lucullo.

fortunatiſſimo ſeni Fabritio lætum atque iucundum ſpectaculum præbebat, qui cum intentis oculis cunctos illius conatus, notas omnes ingenij puerilis, denique omnia momenta ſecum tacitus expenderet, multo ſe feliciorem hoc filio rebatur eſſe, quàm ſi cundè ſibi auri montes obtigiſſent. Hæc tum erant, quum ex inſperato vox imperiumque patris auditur, iubentis filium ire Lutetiam Pariſiorum ad illam toto terrarum orbe celebratam Sorbonenſem Vniuerſitatem: ibique apud viros doctiſſimos ea inſtrumenta parare, quæ ſibi præſidio ad omnes caſus, atque aduerſus omnem vim fortunæ ſint futura: & quibus non generi tantùm, ſed & patriæ, ſeculoque vſui & ornamento eſſe poſſit: proinde eat alacer, literaſque ac ſuam exiſtimationem negotietur apud exteros: ac illud cum primis meminerit, non alia ratione placere ſe poſſe parenti, niſi quæque libret ſuis momentis, otioque honeſtas curas, & ſocordiæ vigilias, ac ſtudia bonarum artium anteponat: Certè non agniturum ſe ſtirpem ſuam, niſi quam ſibi modeſtia, pietaſque ac induſtria commendauerit. quod pertinet ad vitæ commoditates, ne qua res poſſit deeſſe, cùm ſua, tùm etiam maiorum ſuorum frugalitate ac diligentia multo ante proſpectum fuiſſe, quò verò ſplendore, qua dignitate, qua denique populari exiſtimatione verſari velit inter ciues ſuos, ac in luce ciuitatis ampliſſimæ, hoc totum poſitum eſſe credat in ſua poteſtate. Eat felix, ac digna genere ſuo, digna ſuo ingenio patrare ne deſinat; ac foris ita ſe gerat, vt interdiu, noctuque inſpectorem vitæ ſuæ, atque ſic dicam extimulatorem ſe habere parentem exiſtimet. Quid putatis, Viri Clariſſimi? anne his verbis, ceu quodam Diali fulmine perculſum Conſtantium concidiſſe animo? an obmutuiſſe, obortiſque continuò lacrymis fortunas ſuas pueriliter eiulantem defleuiſſe? an verò contabuiſſe animi ægritudine, atque ſic ad matrem, tanquam ad aram confugiſſe, quæ flecteret animum inclementiſſimi patris, & alia potius omnia ſuaderet? Ego verò in eo temporis articulo pronius huic adoleſcen-

eſcentulo peperciſſem, ſi imperio ictus tam inexpectato hac oratione vſus ad parentem fuiſſet. Me Lutetiam parens, vt ipſe quidem prædicat, indulgentiſſimus amandat? ſolituſque omni lenitate meam ætatulam fouere, ac, vt aiunt, mulſo accipere, poculum repentè mihi diluit tam amarum? parce dolori meo, meæ conſternationi parce, pater optime, quid enim attinuit tanto impendio parari diploma regium, quo tutò Lutetiam ire poſſim, cum in proximo Ticinum ſit, cum non multo remotior Bononia, cum denique vix amplius, quàm itinere quatridui Patauium diſtet à nobis; in quibus vrbibus eo minore deſiderio patriæ, quo eſt è vicino facilior excurſus ad meos, eaſdem illas facultates meo labore poſſum emercari, quæ Lutetiæ aut vſquam in orbe terrarum parantur. Sin ferre nequis præſentem filium, quem nuper in ſpem familiæ ſuſtuliſſe te dicebas, ac blandiſſimo nomine ocellum tuum, tuas delicias, atque tuæ ingraueſcentis ætatis ſolatium, identidem appellabas, quin mauis eundem tuomet gladio conficere, quàm in vrbem huic imperio inimiciſſimam ablegare, ac ibi furori hoſtium crudeliſſimorum obijcere? Tibi, pater, iugulum præbeo; ſi lubet, me prohibe hac luce communi, tuo conſpectu ne prohibe. At ſupplex ſum ſcopulis. Me miſerum! Mihi ſi domi Phædra quæpiam eſſet, ſcirem ſaltem cuius furijs inſtigareris in perniciem meam, arteſque ac ſtudia nouercarum agnoſcerem, aut ſi pluſculi tibi filij forent ſtirpis virilis, anſam ſcilicet haberem ſuſpicandi, viam tibi quæſitam eſſe, qua ne in plures ſecaretur hæreditas. denique ſiquid feciſſem minus obſequenter, aut ſaltem ſi verbo vno, vultuque pietatem læſiſſem, poſſes videri malle me alieno arbitrio, quàm tuo interire. Sed horum cum ſit nihil, quid tibi, pater, mentem animumque immutauit? aut quæ ratio, cur me neque contumacem, neque refractarium, domo præcipitem exturbes? proficiſcar, quando in iſta ſententia perſeueras, feramque mecum hanc quoque laudem obſequij, vt migrem licet inuitiſſimus. filio tuo ſi

quid in via continget humanitus, aut ſi me pro hoſte agnoſcent hoſtes, tu laureatas literas expecta: ac tum foris tibi aliquem adſciſce, quem hæredem inſtituas, & quem mollius tractes, quàm filium. His vocibus ſi queſtus Conſtantius fuiſſet, nemo credo noſtrum conſternato ac trepido adoleſcentulo veniam grauatè dediſſet: nemo non rediſſet in memoriam teſtudinis Æſopicæ, & quibus ea verbis ſerum aduentum ſuum in concilium ferarum Ioui excuſaſſet. Sed fruſtra iamdudum à nobis conſumitur hæc oratio. nihil enim lætius Conſtantio, nihil alacrius vidi vnquam, quàm quum eum pater ſuus Pariſios ablegauit. Neque enim ei venit in mentem, ſecus exiſtimare, quàm commonſtrari ſibi foris prædam opimam: neque aliter de vrbe inimiciſſima cogitauit, quàm de quodam emporio doctrinarum, vbi tanto quiſque felicius negotiaretur, quanto ſudaret vberius: neque ſe magis ad ſpinoſas & cum primis laborioſas doctrinas mitti, ſibi perſuaſit, quàm in hortos amœniſſimos Alcinoi, floſculis lauroque conſitos, vnde mox ſibi coronam innecteret. aderat iam dies profectioni dictus, cum collectis iam vaſis, accinctuſque ad illam Pariſienſem velut expeditionem, in peregrina veſte domo prodijt Conſtantius Molina. Vniuerſæ viciniæ aliquandiu ſpectaculo fuit adoleſcens peruenuſtus, cum ocreatus propinquos ſuos ac ſodales, officij cauſa, inuiſeret, enſemque argenteum ſuſpendiſſet è latere, & coma humeris inuolitaret, criſtæque è plumis verſicoloribus in capite ventilarentur, totuſque viatoria penula punicea latè ſplendeſceret, & vultu tam ſereno, quàm cœlum cum ſudum eſt, renideret. Quæ illa fuit rerum facies? qui motus animorum? quàm illud præcipuè mirum vniuerſis, quod cum nos pertriſtes abeuntem deduceremus, defluerentque vbertim lacrymæ parentibus ipſius, nemoque tam alienus intereſſet, qui temperare poſſet à gemitu, vnus Conſtantius Molina magis ſiccus, quàm pumex aut ſcirpus erat, vnus omnium caſtigabat lacrymas, ac præcipuè ſuorum parentum,

quo-

quorum gaudia ſe mox cum acceſſione haud quaquam mediocris vſuræ integraturum eſſe pollicebatur. Ehem, inquit, quid agis, mater ſuauiſſima? iſtène habitus oris tui eſt Lacænæ viraginis cunctantem filium cohortantis, incitantiſque? an mulierculæ noſtratis prodeuntis in funus? Lacrymas in mea profectione profundis eas, quas in remanſione deberes, ſi fortè fugitans laboris ac ærumnarum, quas iter longinquum habet permultas, mallem domi ſedere deſes, & lances paternas lingere. Anne vides quemadmodum me iam ætas foras propellat? an lapis ſedeam in lapide? an hoc loco natus adoleſcens audiat ſtipes, caudex, & quidquid in rudem poteſt iactari? auctor illa gloriæ meæ, illa mihi ſemper auctor audendi agendique, repentè dum verba in rem conferimus, molliore animo & imbecilliore cœpiſti caſus omnes humanos expendere. Nimirum omnia filio tuo metuis, ac illud in primis, ne non exteris hominibus vtar commodè. cedet hoc haud improſperè. neque enim ea ſum ætate, qua qui *nondum ære lauantur*. vtar eatenus exterorum conſuetudine, dum ferent meæ rationes, eroque ſemper ipſe meus. Metuis illud præterea ne deſint mihi foris deliciæ. immo ſanè deſint; nam ſolo præpingui negant laurum prouenire. Sed quorſum hæc? noſti ex hac profectione, me quid ſperare toties iuſſeris. tu ipſa, ſi ego iam prætextatus, & natu tam grandis foco larique velim affixus hærere, quid dicas? quàm ſeuerè materno ſcilicet iure animaduertas? Ergo tempera lacrymis, ac te ipſam ſpe meæ dignitatis ſuſtenta. Exigui temporis deſiderium iſtud eſt; etenim cis paucas tempeſtates, tum ſcilicet, cum vobis parentibus dignus ero, cum ſpatia decurrero maiorum impreſſa veſtigijs, & cum amicis vſui eſſe potero, mea hæc regna reuiſam; meque tum, ne vſquam abeam, nodis illiges adamantinis licebit. Hæc profecturi, atque iam ad iter accincti oratio fuit; qui ne dixiſſe Conſtantius, quàm feciſſe videretur, ſecundùm hæc verba quadrigas inſcendit. quis, amabo, talem indolem in adoleſcente

 patri-

patritio non exoſcularetur? quis non benè precaretur abeunti tam auſpicatò? quis non ſibi exoptaret filios eiuſmodi? quis non beatiſſimum tali ſobole Fabritium exiſtimaret? quem ego ſanè virum cauſas gaudendi, gloriandique haud paulo maiores reor habuiſſe, quàm olim Lycon habuerit ille Xenophonticus, qui ab Antiſtene rogatus, ecquanam re poſſe gloriari videretur, nonne vos, inquit, compertum habetis, filius meus Autolycus quanti ſit? quot ſit palmarum palœſtrita? & quantum eo debeam gloriari? Fabritius quidem certè, ſenex optimus, & haud ſcio an vnus hodie ex illa veteris Italiæ diſciplina, cum omnium fortunas regum ſe crederet anteire, neque facilè quemquam vſquam reperiret, quocum ſuam ſortem permutatam optaret, plauſu hominum, iudicioque de filio ſuo fruebatur tacitus, ac planè mutus; niſi quod emiſſis tandem vbertim lacrymis, Abi, inquit, ò fili, ac tibi parem fortunam quære, quando te iam ac magnitudinem animi tui veteres noſtræ domus anguſtiæ non capiunt. At enim perſequendus nobis Conſtantius eſt, qui profectus diuis hominibuſque fauentibus, noſtro penè iam euolauit è conſpectu, niſi cum feſtinante properamus. Neque tamen curſu feſtinabimus adeò præcipiti, vt totam viam pietatis induſtriæque notatam veſtigijs non obſeruemus. Si veredariorum more percurriſſet Conſtantius ea ſpatia, aut ſegnes in diuerſorijs agitaſſet moras, atque tantùm, vt aiunt Græci, è locis loca mutauiſſet, Gallicum hoc iter mutum tranſiliri cenſerem oportere. quis enim ſanus hiſtoria dignum Xenophonteia Cyrum minorem exiſtimet, de quo auctor tam luculentus nihil præter iter perſcripſit? quiſue Herodoti ſtylo, quem omnes conſenſu parentem hiſtoriæ dixerunt, dignum Xerxem exiſtimet, cuius in Græciam expeditio nulla re, niſi leuitate, impotentia, & ineptijs, fœdiſque exemplis inhumanæ crudelitatis fuit inſignis? Neque tamen hæc eò dicuntur à me, reges vt vocem in inuidiam, ſcriptoreſque celeberrimos, ſed Conſtantium vt commendem

Xenoph.

mendem; qui cum multo ante imperaſſet ſibi agere ac ſatagere, & vndecunquè doctrinam ac beatæ vitæ diſciplinam colligere, omniumque tum dictorum, tum factorum, temporiſque momentorum vellet rationem conſtare, in itinere tam longinquo Solem mondi mentem, principem ac moderatorem luminum reliquorum ſibi propoſuit imitandum, qui cum tanta incitatione feratur, nec vſquam interiungat; tamen diem efficit toto cælo luce diffuſa, arua conſerit, excoquit fruges, grauiditates & partus affert, gignendique maturitatem. Quid verò Conſtantius? Ille verò & iter auſpicatus à pietate fuit, cum ante quàm ſe in viam daret, ſordes eluerit animi, vt in ea velut expeditione, quàm erat ſuſcepturus, Deo vteretur propitio: & vbicunque templum aliquod religione inclytum foret, eò recta cupidèque peruolauit: nulli vnquam rei prius operam dedit, quàm Chriſtianæ religionis myſterijs interfuerit: nullo non die horologium Beatæ Mariæ (vulgus vocat horas.) euoluit, quem libellum monitus, vt componi ac inter ſarcinas aptari pateretur, ne iter facientem degrauaret, immo, inquit, meos à me oculos multo malim, quàm rem tam pretioſam abeſſe à manibus, quam ego mecum, & inter mihi chariſſima Cimelia ſemper habebo. Iam illud cuiuſmodi eſt? quod rogatus, an flexu leui ad viſendam Coloniam Allobrogum vellet excurrere, vrbem in eo tractu opulentiſſimam, & ſitu opereque munitiſſimam, toto capite renuit, & indignatione libertima, Quò me vocatis, inquit? nempè ad aſylum apoſtaſeos, ad vrbem, quæ omnium hæreſum ſectarumque inſanientium profeſſa patrocinium, vniuerſis intra mœnia receptis religionibus, vnam religionem, & eam ſanè antiquam & probatiſſimam omnibus edictis, interdictis omnibus proſcribit. Egone vt intrem vrbem eiuſmodi, quæ ſemper tacitos noſtros ſenſus monet, vt locum inauſpicatum & peſtilentem, ceu quandam orci portam, vitemus? Egone, vt vnde Chriſtus exulat, inibi mihi regnũ exoptem? Hæc fuit Conſtantij ſtomachantis oratio, neque perſua-

deri ſibi paſſus fuit, vt vrbem eiuſmodi vel prætetiens intueretur. Veſtros ego ſenſus interrogo, V. C. ecquid hoc ſermone melius poſſit inueniri. hæccine adoleſcentulus, ante vſum rerum, ſeculo tam inimico bonis artibus bonæque menti, ante illam maturitatem, quam ætas poteſt afferre? An non vis quædam in his verbis emicat præſtantis ingenij, quæ cuiuis eximium quoddam ſtudium religionis orthodoxæ, atque in omni genere virtutum progreſſiones admirabiles poſſit polliceri? Neque illud ſanè animi fuiſſe degeneris viſum iri vobis exiſtimo, quod totum confecit iter quæritando percontandoque, quibus legibus ac inſtitutis gentes viuerent, per quas tranſiret, quibus regerentur imperijs, quid ferrent agri, quæ cæli, quæ morum, quæ frugum & annonæ ratio foret; quæ Conſtantius non inani rerum nouarum ſtudio perquirebat, ſed quod ſcire volentem, & foris Vlyſſeam quandam ſapientiam ex multiplici notitia rerum colligentem, exiſtimaret ineptum eſſe ac abſurdum, ſi quid vſquam cognitu dignum foret, quod ipſe incompertum & inexploratum præteriret. Nuſquam pictor nobilis, nuſquam inſignis tabula ſignumue, nuſquam literarum fama vir celebris, quem non maturauerit inuiſere: nulla vrbium euerſarum rudera & veſtigia: nulla operis eximij ſubſtructio: denique locus nullus, vbi olim acies infeſtæ decurrerint, quem oculis noluerit cognoſcere ac perluſtrare. Iam inter eiuſmodi ſtudia ad Taurinos Ligurum, iam Graias ad alpes, iam Lugdunum, iam Lutetiam ventum eſt. Scilicet ventum eo, vnde qui nobis promiſſis tam multis, & primis conatibus tam præclaris, tanquam prædibus quibuſdam ſe obſtrinxiſſet, regredi, niſi cum optimis doctrinis ſibi futurum turpiſſimum exiſtimaret, atque adeò vnde ſibi ne regrediendum quidem, niſi re benè geſta cenſeret. Ades vocatus Apollo: dexter ades. qui vim verbis. qui ſententijs dare pondus conſueuiſti, mihi *mentem, animumque Delius inſpira vates*. dic age, Æneid. 6. quid iam nouus hoſpes incœptat in Gallia? ille

vero

verò quid incœptet? quod ei ſolemne fuit: diuos,quorum in tutela Gallia eſt, tum diu, tum enixè precatus fuit, ſibi vt eam profectionem benè atque feliciter vellét euenire, cœptiſque ſuis & conatibus aſpirarent. quid præterea? palœſtram inuiſit literariam, ſalutauitque rhetorem doctorem ſuum, ac ei ſe totum religioſiſſimè addixit, orauitque,ac vti ſe lubens in diſciplinam acciperet, precibus penè infimis obſecrauit. quid deinceps? Quamquam languebat è via Conſtantius, & agitatione rhedæ nimio plus feſſus erat, quo minus tamen dies quieti multos daret, pudor inſcitiæ, celebritas academiæ, ſpes propoſita dignitatis augendæ, ipſa palœſtra præſens, abſenſque ipſe pater, hortator acerrimus, ac omnis laudis auctor grauiſſimus, in cauſa fuerunt. Meminiſtis Viri Clariſſimi, qui canum ſit ardor ac impetus, & quàm ægrè compeſcantur vinculis, ſigna cum audiunt canentia, cum retia ac venabula vident expediri, cum ſaltus, cum luſtris excitatas feras, feras cum decurrentes intuentur? tenetis qui fuerit equorum Martis, qui magni equorum Achillis, *& quorum Graij meminere poetæ,* Georg.3 qui etiam ſit hodie equorum ardor nobilium? qui cum ſpatia vident, tubarumque cum audiunt clangorem, hinniunt læti, ſtare loco neſciunt, micant auribus, fræna mordent alacres, ignemque ſpirant è naribus, & vngulis euerberant humum, ſtudioque decurrendi, atque rei gerendæ, moram impatientiſſimè ferunt. Præ Conſtantio nouiſtis nihil, hæc qui noſtis omnia. Etenim ſupra canes venaticos omnes, & ſupra equos generoſos ardens & incitatus, & ſupra omnes hydropicos ſitiens & auidus appetebat literas; vt qui nobilis ſpectaretur inter nobiles, & qui locuples inter locupletes loco non poſtremo cenſeretur, idem aliquo numero inter doctos poſſet conſiſtere. Ad rhetorem ſe contulit, cuius artis cum commonſtratorem ſortitò nactus fuiſſet virum longè doctiſſimum, cum eius ingenio natiua ineſſet eloquentia, & ipſe in perpetuo labore perduraret, & velut in piſtrino molam ſuam gentilitiam ſedulò verſaret,

cum

cum multus apud præceptorem eſſet, cum denique primo quoque ſucceſſu ad audendum atque ad progrediendum fieret alactior, illud breui tempore fuit conſecutus, vt promptam orationem haberet ac facilem, in inueniendo peracutus eſſet & copioſus, & felici quadam dexterrimaque facultate quoduis argumentum pertractaret. Vnum, cum omne genus adamaret elegantiæ, moribus ſuis, ſuiſque ſtudijs voluit abeſſe, poeſim: hanc vnam minimè dignam deputauit, quam attingeret, cum ita diſputaret, Quid attinet rem ſcenicam tot vigilijs perdiſcere? Viuo mihi perſuaderi non patiar, vt rhetorices partem corruptam & impudicam habeam in amoribus, quæ mephiti grauius obolet, & ipſi Hippolyto poteſt fibulam laxare. Thaidem quid hanc adamem, meretricio cultu artibuſque inſtructam, cuius fucata ſunt omnia, quæ niſi mentitur impudentiſſimè, tueri nomen ſuum non poteſt? Poëſim ergo non præterijt Conſtantius, ſed repudiauit: neque illam omiſit propter ſocordiam, atque propter adipiſcendi tædium, ſed pro re leuiſſima, pro nugis operoſiſſimis, atque planè pro ineptijs ineptiſſimis reiecit, ſed vt I. P. loquuntur, inſuperhabuit, ſed faſtidiuit, ſed execratus fuit. Quod cum faceret, ſpatium ſibi maius ad rhetorices eam partem colendam reliquit, quæ valet oratione ſoluta; quam cum domi foriſque, cum ex æquo & ſuperiore loco, cum in curia foroque cum primis amplam, vtilem, ac neceſſariam videret eſſe, eamque ceu quandam Lesbiam regulam ad omnes vſus atque commoditates humanæ vitæ flexilem eſſe cognoſceret; vnam non temerè, ſed certo conſilio amandam ſibi, adſciſcendam vnam, ac in delicijs habendam conſtituit. Quo tempore ſi quandiu aberat ab Academia Conſtantius, rogaſſetis, quid ageret? nempe promptum erat, quod reſponderetur, literi ac pluteo hæret affixus: ſi quandiu libellis ac ſtylo daret operam, nempè donec vires artuſque fatiſcerent. Neque ſanè ſolita fuiſſe fatiſcere dubium aut obſcurum eſſe poterat ijs, qui maciem viderent oris, qui vix hærentem

tem

tem oſſibus, qui vacillantem, qui ægrè inſiſtentem intuerentur. Sed ſcitum lepidumque fuit, quod aliquando Conſtantius amico reſpondit, qui ſe vt à labore temperaret, peramicè monens, ijs verbis vtebatur; An noſti, quo te ſedulitas tua colore depingat? quin pallorem iſtum, vnde malum pedem intulit, eò repellis? Cui ſtatim facundia prompta Conſtantius. Ehem, nondum de meis amoribus inaudiſti? nondum quo ardeam, immo quo peream igne, habes compertum? Ouidiani carminis non venit in mentem, *Palleat omnis amans, color hic aptus amanti?* de macie, atque de pallore meo iubeo te ſine cura eſſe. Eo me como & exorno, amicæ placiturus eloquentiæ, quam depereo. O feſtiuum ingenium adoleſcentis! ò indolem præclaram, & meo, omniumque amore digniſſimam! Sed diatribis rhetorum vſque ad inuidiam excultus & perpolitus, quid inibi diutius conſeneſceret, & Achillis more velut in ſtola muliebri deſideret, cum caſtra cum expectarent, cum ad rem gerendam excitaretur lituis peripateticorum, & cum ex interuallo ſtrepitum altercantium philoſophorum exaudiret? In Iſocratis adhuc, Theophraſtique habitus educatuſque vmbraculis, non vitio fluxæ fidei, neque tranſitione fortibus viris indigna, ſed ſcholarum conſuetudine receptiſſima & inueterata migrauit ad pugnaciſſimorum caſtra dialecticorum, vt more inſtitutoque diſciplinæ militaris in ſolem & puluerem procederet. quæ tyrocinia nouæ militiæ fuerint, quæ poſtprincipia, vt Varro loquitur, quæ progreſſiones, me dicere quid attinet, cum vos hinc credam, (nam magnis clamoribus peracta res fuit) ingentem eius ſtrepitum inaudiſſe? aream quotidie, ſpatiumque haud dubiè ferueſecit bellator pugnaciſſimus, quem nemo loco pepulit, cum ipſe pepulerit permultos iiſque procurrit cum armis, quæ non Æthnæi Cyclopes excudiſſent, ſed quæ elaboraſſet ipſe, & ex armamentario dialecticorum deprompſiſſet, quæ ad cotem exacuiſſet ingenij ſui, quæ denique noctu de ſua lucerna inunxiſſet. peregit apud philo-

Apud Gellium l.16.c.18

philoſophos ſuas partes, quo tempore vt à Mathematicis quoque micellam captaret, Conſtantius ſuas illi facultati curas, ſuas vigilias ſepoſuit: habuitque pro animi remiſſione, ſtudia inter alia ſtudium ducendarum linearum, circini circumagendi, effingendarum dimetiendarumque figurarum interijcere. Diui boni! vnus artes tam multas & facultates? His porro artibus tam multis & facultatibus addite iuriſprudentiam, non illam Leguleiorum quintæ claſſis, *quibus vicus omnis abundat*, ſed eam à Vlpiano definitam ARTEM BONI ET ÆQVI, hauſtam è puris fontibus XII. Legum & Codicum, quam conſulta Senatus, ſcita plebis, edicta magiſtratuum, res iudicatæ, ſanctiones legum, reſcripta Cæſarum, Iuriſconſultorum placita, in mores recepta, & æquitate prægrauantia velut ſymbolis quibuſdam efficiunt: quam Tertullianus de cælo delapſam appellare non dubitet: quam iuris antiſtites Seruius Sulpitius, Paulus, & Accurſius coluere: quam Alexandro Principe Vlpianus, Pomponius, Alphenus, Modeſtinus: quam ante principatum Alexandri Papinianus: quam arbitro rerum humanarum Antonino Pio Marcellus & Iabolenus: quam Imperatore Marco Philoſopho Scæuola: quam Adriano Celſus, Iulianus, Priſcus: quam ſeculis ſuperioribus Tiraquellius, Tuſcus, Bartholus & Baldus locupletibus & luculentis commentarijs illuſtrauerunt. Quæ te res huc impulit, Molina, vt haſce tam vagas literas & ſparſas, & tot voluminibus comprehenſas, ac nulla certæ artis ratione circunſcriptas ſequereris? an illud cogitaſti, te hinc tibi machinas proſpecturum fuiſſe, quibus euerteres inſontem fortunis ſuis, quibus callida iuris interpretatione circumuenires vicinum, quibus clientem tuum argento emungeres? Vix hæc de tam benè conſtitutis rationibus animi tui dici, atque adeò vix cogitari ſine piaculo poſſunt. quæſiſſe te hinc laqueos ciuibus tuis? ciuium ad perniciem conuerſurum rem tam ſalubrem? tantis excogitaſſe te vigilijs, quemadmodum plurimis conflare poſſes periculum?

pyxidem te in Gallia toxici plenam parauiſſe, quæ multis exitium minitaretur? Immo verò tædium longiſſimi laboris minuebat ea cogitatio, futuras aliquando præſidio ipſius ciuibus eas literas, multum opis in iis eſſe, quod poſſet vniuerſum ad quamplurimorum ſalutem conferre, ac poſtremo tum ſe ciuem futurum præclarum, cum à ciuibus propulſaret iniurias, & cum eorum ad vitam atque fortunas tuendas accurreret. De hoc adoleſcente, Socrates, quid diceres? tu quid diceres, Mome carpendi conuiciandique artifex callidiſſime, qui vt aiunt nodum in ſcirpo? Nam illud, vt à literis abeamus, cuius tandem prudentiæ fuit, quod cum armis & belli apparatu Lutetiæ ſemper omnia perſtreperent, nullam vnquam Conſtantius de regum diſſidiis vocem emiſit? quod aut prodendam ſui principis eſſe cauſam videret ſi Gallis, vt tum res erant, hoſtibus huius imperii de Gallicis rebus aſſentiretur, aſſentaretúrque: aut ſi foris vteretur intempeſtiua libertate, offenſionem minimè neceſſariam ſibi eſſe ſuſcipiendam intelligeret. Cuius illud quoque prudentiæ, quod cum pleriſque in Academiis, quæ magna iuuentutis celebrentur multitudine, mos inoleuerit ille piraticus, vt ſcindantur in partes factioneſque, omnia meditentur hoſtilia, deſcribantur in decurias, ac iuſtæ militiæ more centurientur, armiſque perſæpe concurrant infeſtis, nulli ſe Conſtantius addixit factioni, cum ita vteretur vtriſque, vt integrum ſolutumque ſibi vellet eſſe, ſeditioſis vtrorumque conſiliis abſtinere? Denique cuius illud tum prudentiæ, tum religionis, quod cum prauis imbutos opinionibus, hæreſique correptos in Gallia multos eſſe compertiſſimum haberet, qui & bonam ipſi mentem eiuraſſent, & alios quotidie in ſuam naſſam ſtuderent illicere, cum Gallis percautè ſibi, timidèque agendum contrahendumque conſtituit, ne quid ſibi mali, peſtiſque ac veſaniæ quiſquam ex illa inſanientium ratione ſectaque poſſet afflare? Nonne hoc demum eſt ſapere, de religione omnia timidius expendere, eam omni

ratione

ratione velle ſartam tectamque ſeruari, & neeunde rei omnium chariſſimæ periculum creetur, cautiſſimè proſpicere? Feſſus ac anhelus, ac penè ilia ducens extremam ad hanc partem perueni, quæ maximè neruos, vireſque integras ac recentes exoptat oratoris, incommodè ac intempeſtiuè deferor inibi à lateribus, lacertiſque, vbi res quæ agitur, ſummam contentionem vocis, tibiaſque maiores repoſcit. Me nimirum vobis hodie, Viri Clariſſimi, notiſſimo prouerbio cantherium exhibui, nam in porta ne, an in foſſa, nihil intereſt, haud enim dubium eſt, quin orator argumento defuerit, non argumentum oratori, quod hodie ſplendeſcere potuiſſet facillimè, ſi viro contigiſſet vberi, qui rem felicem tractauiſſet feliciter. Sed enim quæ mea ſumma culpa eſt, ſi minus ſum archetypum aſſecutus, cum, teſte Plinio, pictores quoque pulchram abſolutamque faciem raro, niſi in peius, effingant? admirabiles progreſſiones habuit tum virtus, tum induſtria tua, Conſtanti Molina: ſplendori generis ſtudium literarum adiunxiſti; cumulaſti hæc bona ſingulari modeſtia, liberalitate, feſtiuitate; laudem vt rectiſſimi iudicij, ita liberi conſtantiſque animi fuiſti conſecutus apud omnes, vt & pronuntiare poſſis quæ ſentias, & quod inſtituiſti, exequaris: his omnibus eximium ſtudium pietatis, velut pulcherrimum colophonem impoſuiſti. Quid amplius cenſor Cato exigat à locuplete, à nobili, atque ab adoleſcente? æquus ab æthere ſummo Iupiter vim inſitam animo tuo prouehat in maius; & bonam mentem conſeruet, atque ne te induſtriæ modeſtiæque pœniteat, eas fortunæ ac dignitatis acceſſiones adiungat, quæ vnquam vlli cuipiam loci ordiniſque tui contigerint. Dixi.

Epiſtol. lib. 5. ep. 10.

* * * * * * * *

In

In Laurea
CAROLI FEDERICI ROLLAE
PANEGYRICVS
Qui inſcribitur
Characteres Theophraſtici

Q Vàm libenter, & quàm promptè huc ipſe meam ſemper induſtriam contulerim, vt viros doctos, quibus poſſem ſummis laudibus exornarem, ex eo, Viri Clariſſimi, facillimè poteſtis conijcere, quod quoties eorum aliquem ſi minus lautiſſimè, certè ſtudioſiſſimè dicendo ſum viſus accepiſſe, toties alacer exilij perinde, atque ſi Perſas circa Salaminem nauali prælio ſuperaſſem: aut ſi Federicum Ænobarbum mœnibus imminentem noſtris, & iam noſtris portis perſultantem fudiſſem magno prælio, ac alpes, vnde ſe cum tantis copijs more torrentis effuderat, trepidum ac malè mulctatum repetere coegiſſem. Hoc enimuerò perquàm liberale viſum fuit, & mihi ad mei nominis exiſtimationem peramplum & præclarum, cum ſatis multi hendecaſyllabis ſæuiant, & iambis ſanie, taboque ſtillantibus, & peſſimo exemplo literis pro telis vtantur, me quantum ingenio valeam, quantum dicendi facultate, id encomijs virtutis oſtendere. Quod cum facere ſoleam ea voluntate, quæ in quoquam eſſe maximè prolixa poſſit, nonne permirum eſt, me ſemper initio dicendi perterrefieri, & penè pueriliter ſingultantem exordiri? Neque tamen me adeò inſolentia loci, ad quem toties cauſa dicendi acceſſi: neque tantum aut veſter conſpectus, aut

aut ratio ipſa muneris conturbat attritum, in hac palæſtra, trepidare vt debeam & expalleſcere: ſed ea cogitatio mirum eſt me quantum afficiat animo, quemadmodum ſuo quibuſque metro & modio poſſim laudes emetiri, ne ineptientem in viris illuſtribus meam inſcitiam & incogitantiam obiurget Plato, qui ſi vſquam delinquendum ſit, in Care aliquo, hoc eſt, in homine aliquo obſcuriſſimo, aut in viliſſimo mancipio eſſe delinquendum ait, in quibus ſit iactura tolerabilis; non in ſatrapa, aut in vllo ciue præſtantiſſimo, in quibus ſæpe ſalus vertatur multorum. Ne longè abeamus, quæ me hodie poſt receptas partes oratoris curæ circumſiliant, & quàm graues, nemo veſtrum ſibi facilè poſſit perſuadere. Federici enim Rollæ multæ & interiores literæ, inſignis elegantia vitæ, tum exquiſitæ doctrinæ ratio, tum comitas tanta, moreſque tam ex ſapientum decretis attemperati, ſolicitudinem afferunt mihi non mediocrem, ne Rolla ipſe, atque adeò ne vos quoque tam emunctæ naris ciues me tantarum rerum non minus ineptum oratorem, quàm æſtimatorem eſſe dicatis. Quò ergo me vertam? ac vnde conſonum Rollæ, & conuenientiſſimum genus orationis depromam? quas aduocem Muſas? quas denique arculas perſcruter? qui cum ſatis mihi ſim conſcius, quàm ſit mea facultas exilis, minimè ſanè aliquid in Rolla inſtituam eiuſmodi, quale in Helena Iſocrates, aut Apelles in Venere Coa, in quibus exprimendis eorum artis vis omnis, atque iudicij elegantia enituit: ſed magè faciam, quod Theophraſtus, qui non imagines, ſed ſigna tantùm ac notas cuiuſque virtutis & vitij perſcripſit; quas ille quidem characteres, auctor ad Herennium morum notationes, Poſidonius ætiologias, Seneca verò deſcriptiones imagineſque morum nominarunt. Nihil ergo profeſſus amplius, quàm Rollæ traditurum characteres, eiuſque naturam certis & expreſſis notis deſcripturum ſentio me onere leuatum permagno; ſolutuſque numerorum cura, miſſoque illo vniuerſo eloquentiæ triumphantis apparatu, Rol-

Lib. 18. in Euthyd.

Caſaub. ad Theophr. char.

Epiſt. 96.

lam nihilominus contuendum vobis, æſtimandumque exhibebo. quod minimè ſanè præſtare conabor, niſi prius aliquorum cauillandi licentiam compreſſero. qua in re ſicubi ſerpere humilius, meque ad friuola demittere viſus fuero, hoc habetote, mihi refellendi, reique enucleandæ neceſſitatem impoſitam ab aliena laſciuia fuiſſe. Nam cum cauſa Caroli Federici Rollæ falsò quibuſdam videatur velut ad limen offendere, & ex prænomine, nomineque, atque, ſi Deo placet, etiam ex cognomine neſcio quid mali ominis captent homines malè feriati, video mihi faciendum eſſe, ne id ego indefenſum prætercam. Carolum enim ab ea litera dicunt inchoari, quæ ſemper fuit capitalis, & quæ propter condemnandi ſeueritatem non minus Romanis legibus litera triſtis & dicta & habita fuit, quàm fuerit triſtis litera Θ Græcis inſtitutis. Quod verò huic adoleſcenti nomen eſt Federico, quod aliud affirmant ei nomen magis inauſpicatum indi potuiſſe, quàm nomen eius ſeu Federici, ſeu Friderici, (hæc enim duo nomina literulis aliquantum diſſident, re conueniunt.) quem omnis hiſtoriarum noſtrarum memoria, quem nos, quem omnes poſteri noſtri ſemper execrabuntur? qui fermè quingenteſimo ab hinc anno, præcipuo quodam & inuſitato furore attulit huic vrbi non perniciem, ſed vaſtitatem: mœnia noſtra non euertit, ſed funditus ſuſtulit: non ciuibus tantùm, neque tantùm ſatis & arboribus, tectiſq; ac ædificijs, ſed etiam ipſi nomini huius ciuitatis bellum teterrimum & crudeliſſimum indixit: neque rabiem, niſi extincta, & ruinis conſepulta ſuis pulcherrima Metropoli ſedauit. Denique vox gentilitia Rolla vnde, aiunt, inchoatur, niſi ab ea litera, vnde Rudo, vnde Rapax, vnde Euangelicum illud Racha, vnde Reus, vnde Ruta, vnde Rabies, vnde Reſtis inchoantur? quæ vniuerſa non ſolùm dictu, verùm etiam cogitatu fœdiſſima, non rerum potius, quàm calamitatum nomina poſſunt videri. Cui ſanè literæ quo poſſint inuidiam conflare maiorem, eam ex Perſei poetarum, & ſatyricorum

acerbiſſimi auctoritate literam Caninam appellant. Audiſtis optimi ciuium, quid homines inepti, & tum otio ſuo, tum veſtra patientia abutentes garriant. At illi quin potius ex Carolo, cuius nominis auſpice litera rem charam, rem expetitam, rem omnium amore digniſſimam exordimur, benè ominari Candidato noſtro maluerunt? Nam de Federici nomine quid ego dicam, niſi natum hunc ciuem eſſe indole, pietate, pudoreque eximio, qui exploſum illud, nefaſtumque & inuiſum Friderici nomen vendicaret à probro, repurgaret, expiaret, conſecraret, vobiſque commendaret? Neque enim vt ille apud Poetam Soſia Soſiam, Menæchmus Menæchmum ſono vocis, habituque oris ac lineamentis referebat, ſic Federicus hic noſter Federicum illum impuriſſimum, funus, labemque ciuitatis refert; ſed cum ille totus luteus fuiſſet, hic eſt totus aureus: cum ille eſſet humano ſanguine lutum maceratum, hic eſt humaniſſimus: cum ille ſe omni ſcelere obſtrinxiſſet, hic ſcelus & flagitium angue peius odit: cum ille ſacra, prophana, Diuos, homineſque ludibrio haberet, hic pietatem colit cum pauciſſimis, & quadam eſt benignitate prompta & obuia, vt ad genus hominum demerendum eſſe natum videatur. Iam de ea litera miſella, vnde Rolla ducit initium, quid magis eſſe poteſt indignum, quàm ei vndecunque falſam inuidiam conflari, quàm inuidioſè colligi vndique omnia venena, cum eadem ipſa litera non ſolùm Ratio, qua nos homines ſumus, ſed etiam Religio, qua nos homines pij ſumus, notetur? Quod ſi Philippo Macedoni in Græcorum conuentu literam ſortito M. licuit gloriari, ſibi Regiam literam, qua nempè Monarchia nuncuparetur, ſorte nec ſine diuûm nutu obtigiſſe, vtri tandem magis gloriari licuit, eine qui Monarchiam, hoc eſt, vnius dominationem, quæ ſæpe exilis eſt, aliquando etiam eſt impotens, atque tyrannica, an ei quæ minimè perplexè Regnum ſibi litera videt auſpicali promitti? Neque ſanè non huc pertinet tui ſtemmatis quercus, Rolla ſuauiſſime; quæ firmis

In Amphit. atque in Menæc.

nixa radicibus, ſtabiliſque ventis omnibus inuictis, ſacra Ioui arbor eſt, vnde viris fortibus ciuicæ corollæ decerpuntur. Siue enim furentes Aquilonis filios, ac totum Aeoli regnum irridet, tuam Rolla, graphicè depingit conſtantiam: ſeu coronat induſtrios, eſt tibi arbor aptiſſima, qui de ſpatijs & curriculo virtutis victor exceſſiſti: ſeu denique Regia arbor eſt, ac in Iouis clientela, ea te apud proceres futurum gratioſiſſimum pollicetur. Qua enim parte tua quercus quercubus concedat Dodonæis, quas fabulæ memorant vocales, auritaſque fuiſſe? Etenim quid aliud adhuc egiſti; niſi aures honeſtiſſimarum facultatum hauriendis præceptis præbuiſti? quid adhuc aliud, quàm præceptiones tum vitæ, tum præclaræ, elegantiſque vitæ perdidiciſti? quid aliud, quàm muſtelæ exemplo concepiſti auribus, quæ ore pareres? quid enim tibi crebrius in ore, omnique ſermone, quàm literarum ac literatorum mentio? quàm de interiore ſapientia quæſtiones doctiſſimæ? quàm doctrinarum primariarum loci controuerſi ventilati & pertractati? Sedenim vt characteres aliquando, & ſignificationes ingenij quæ aliæ in alijs, & pro ætatis modo ſolent eſſe diuerſæ, proferamus, inde rem repetamus oportet. eſt enim in hominum tanto numero naturæ ac ingenij varietas ſanè admirabilis, quę ſe ſe etiam in ætate teneriore prodit multis indicijs: atque in illis cuiuſque vitæ primordijs, quàm vtiles, aut quàm noxij, quàm ciues præſtantes, aut quàm flagitioſi ſint quique futuri, ſi modò animaduertamus attentius, ex rebus plurimis fit ſignificatio permagna. Nam cum ex hominum genere vniuerſo ille, teſte Heſiodo, ſit optimus, ſi poteſt ex ſe ſe cuncta cognoſcere, & ſibi quid ſit ſaluberrimum præcipere: ille verò ingenio mediocri, obſcuro illo quidem, ſed tamen aliquo, qui monitis obtemperat aliorum: ille denique deterrimus, ſortiſque extremæ, qui neque ſuo marte, quid ſit optimum & præſtantiſſimum intelligit, neque alijs præclarè ſuadentibus ſe poteſt præbere morigerum; plerumque qualis ſit quiſque futurus, præmatu-

apud Ariſtot. Moral. Nicom. li. 1. c. 4.

turè, minimèque obſcuris indicijs denuntiat atque ſignificat infantia. Ciuium flagitioſiſſimi, qui ſæpe grandes publicum ſtatum commouent, fuerunt pueri ingenio præcipiti, impudentes, maximèque ſemper ad deteriora procliues, cuiuſmodi Tiberius fuit, quem iàm imperio deſtinatum cum vitricus videret Auguſtus ſordidum, ferocem & contumacem, *in murum dixit caducum incumbimus*: Cuiuſmodi fuit adoleſcentulus Athenienſis, quem oblatis ex venatione coturnicibus eruentem & exculpentem oculos deceſtati Areopagitæ feruntur: cuiuſmodi Caroli V. nepos Carolus, cuius inſpectо feroci ac violento ingenio profectus in Hiſpanias è Belgio auus ſapientiſſimus vehementer indoluit: quem ſua manu lepuſculos iugulaſſe, eorumque aſpectu palpitantium, expirantiumque ſe ſe oblectaſſe tradunt ſcriptores grauiſsimi: Cuiuſmodi multi in primore ætatula, voracitate, ſuperbia, importunitateque inſignes, quos ſi I. Firmicus magis ex indolis coniectura, quàm ex aſtris genetliacis æſtimaret, eorum aliquibus cloacas detergendas, aliquibus torquendum funem Ochni, aliquibus etiam ſuſpendio, furciſque vitam finiendam prænuntiaret. Sunt mediocres aliqui, inter optimos ac deterrimos interiecti, & eorum ſanè natio infinita, qui in nullo munere vitæ, nullaque in facultate ac diſciplina ad abſolutionem perfectionemque adſpirant, ſed obſcura contenti notitia, facilè cuiuis primas partes concedunt, læti, ouanteſque ſi quo in loco ac numero poſſint conſiſtere. qui ſiue artes colunt, ſiue rem adminiſtrant priuatam aut publicam, nuſquam excellunt, omniaque contaminant. quorum in numero Margitem ponit Homerus, ac nonneminem Plato, de quo exſtat veteris poetæ carmen: *Multa illum nouiſſe, ſed malè nouiſſe vniuerſa*: geminiſque Hipparchum Piſiſtrati filium, amoribus ac literis pari ſtudio operam nauantem Heraclides annumerat. Eſt genus tertium eorum, qui ſunt indolis eximiæ, qui ad res gerendas nati, præmaturè ſanitatem mentis, vim conſilij, grauitatem, amoremque honeſti præſeferunt; qualem Antonius Panormitanus Alphonſum

Ara-

Fab. Quintil. l.5.c.9.

Fam. Strada de Bello Belg. l. 7. Decadis 1.

Plato in Alcib.

In lib. de Politijs.

Aragonium depingit, qualem Plutarchus Catonem, qualem Xenophon Cyrum illum maiorem, quem Apuleius ſemimedum, & ſemiperſam appellauit, qui rogatus an ex magno interuallo temporis vellet ad patrem in Perſidem redire, ſe illuc iturum negauit, vbi ipſe eſſet omnium præſtantiſſimus, ſed in Media permanſurum, vbi forent permulti, qui ſibi arte rei militaris antecellerent: qualem denique fuiſſe Alexandrum Macedonem narrat Curtius, qui freno equum parere, & pati ſeſſorem docuit adoleſcentulus; negauitque ſe, niſi cum Regibus, luſurum; & quoties ſui patris lætas de hoſte victorias nuntij afferebant laureati, toties ingemuit, quod metueret, ne ſibi parens gloriæ ſegetem omnem præriperet, grandique ſibi, quos vinceret, defuturos arbitraretur. Sunt ab eiuſmodi initijs profecti; ſuæque paruuli proluſerunt magnitudini, qui populis leges tulerunt, qui ſibi viam ad magnos honores munierunt, qui noua condiderunt Imperia, & factis immortalibus æternam ſui nominis famam meruerunt. Videtis hunc adoleſcentem florentem gloria? Iam tum in puero apparebat ea ſignificatio, & indoles mirifica virtutis: eas faces puer oſtendebat ingenij, ſic abhorrebat à leuitate, ſic ſtudio rerum honeſtarum efferebatur, ſic omnis eius oratio de libris, de literis erat, ſic omnis cogitatio ad laudem conferebatur, erat ea in omni labore alacritate, ſic oculos, ſic ora ferebat, vt nemo poſſet dubitare, quin aliquando eſſet patriæ ſuæ magnum lumen futurum. Ij ſcilicet primi ineuntis adoleſcentiæ fuere characteres, primæque notæ, quæ parenres, quæ notos, ignotoſque ſperare iubebant à Rolla, quæcunque poſſunt à bono ciue, qui indoli inſtitutionem addiderit, ſperari. Præclaras de pullis equinis, quales ij ſint equi futuri, affert coniecturas Columella. *Pullus*, inquit, cum eſt natus, confeſtim licet indolem eius æſtimare, ſi hilaris, ſi intrepidus, ſi nouæ rei neque conſpectu, neque auditu terretur, ſi ante gregem procurrit, ſi laſciuia & alacritate, interdum & curſu certans æquales exuperat,

In Apol.

De re ruſt. lib.

rat,

rat, ſi foſſam ſine cunctatione tranſilit, ſi denique flumen, pontemque tranſcendit. Tuam, Rolla, indolem æſtimare non licuit, cum puer vigilabas tam maturè, cum non metuebas virgatorem, cum itabas tam lætus ad præceptores, cum templa inibas tam verecundus, cum tantum fugitabas lites, denique cum ab omni probro tantum abeſſe ſtudebas? Illud ad rei literariæ, atque ad magnitudinis animi coniecturam valebat plurimum, quod cum eſſet Federicus ingenio leniſſimo, mirificèque ſuaui, tamen acerrimè ſemper decertauit, æmuluſque æmulos pellere poſſeſſione gloriæ contendit, vt quoties puncto eſſet vno ſuperior, attingere ſe ſolium Iouis arbitraretur, minimèque ſuas fortunas cum Regum vellet fortunis commutare. Id per omnes ætatis, ac ſtudiorum gradus proprium ſemper habuit ac perpetuum, vt in ludo, cum erat certamini locus, clamoſus, pugnaxque eſſet, & præliator acerrimus. Nam cum ita ſoleant pueri nomen abhorrere magiſtri, cui aſſidendum muris eſt, quem audiunt crepantem minas, quem cernunt truculentum, quem metuunt plagoſum, vt non æquè nomen lamiarum abhorreant: magiſque his rebus conſternentur ineuntes à principio ludum, quàm ſoleant pueri, qui naui pelagum ingreſſuri, primùm è litore ſpectant illud æquor immenſum, quod ſtreperum ac rumens cælo, terriſque minitari videtur; conſtitit animo Rolla, impauiduſque ſe ludo commiſit, nec vnquam expectauit, dum ſe nutricula, dum matertera, dum tremens auia domo cunctantem, moraſque nectentem cum iurgio & conuicio propelleret. Qualis hæc tam præclara voluntas vobis character videtur properantis ad laudem naturæ? inſitus animo ſe vndique prodebat amor virtutis ſibi decus per æqua, per iniqua quærentis. Meminiſtiſne, Viri Clariſſimi, literæ illius decantatæ Pythagoricæ? rem norunt, qui nondum ære lauantur. adoleſcentulorum circa illam deliberatio tam clarè cuiuſque indolem oſtendit, vt nihil æquè. Inſtar enim habet montis bicipitis, duplicique
ſcan-

ſcanditur cliuo, altero perfacili, molliorîſque aſcenſus, qui tamen prouectos in culmen adoleſcentes in præceps deuoluit: perarduo altero ac ſalebroſo, ſed qui plano campo patet in ſummo; cuius qui tandem conſiſtit in vertice, paratam inibi non copiam duntaxat, ſed etiam lautitiam reperit, vt qui eò ſcandit, nihil habeat præterea, quod cuiuſquam felicitati poſſit inuidere. In hac tanta viarum diuerſitate, atque diſcrimine permagna multorum apud cliui radices eſſe conſultatio & hæſitatio ſolet. Labor ardui aſcenſus, montis aſperitas, amfractuum immenſa longitudo, nullo obuio fonte ſitis vrens, addendaque diurnæ contentioni nocturna permultos molles ac delicatos habet ſollicitos, ne ſole, ne ſudore & laſſitudine multo ante ſeſe vires deſerant, quàm in culmen enitantur; facilèque ijs perſuadent, vt cotibus poſthabitis, & rupibus, per quas reptandum fuerat, ad alteram ſe partem conferant, vnde mollior, & magis accliuis aſcenſus oſtenditur. Quid Rolla? ille verò erigere ſe in montem aduerſum, omnia audere, præfidere ſibi, niti in aſperum ac difficillimum iugum, nihil remittere à ſummo certamine animi, nihil vnquam laxare laboris, anheluſque omnia perferre, & quanto mons altior, tanto ſe amplius incitare. Iam tum parabat Rollæ fama encomium, & puero, adoleſcentuloque ſuecreſcebant hederæ ſequaces: neque ſanè deinceps quidquam de illo tenore immutauit; ſed quamquam ætas ipſa flexibilis eſſet, multique ad deprauandum parati, nimiſque procliuis ſemper fuiſſet ab acerbis ad iucunda, atque ad plana ab aſperis tranſitio, tamen primis illis conatibus, qui propè impetus tantùm quidam erant, conſilium & rectam rationem addidit, rationemque ipſam & conſilium conſtantia & continuatione immutabili ſtabiliuit. Anne hoſce characteres, Viri Clariſſimi, ſatis poſſe probare videmini? Illud cum recordor, quàm eſſet Rolla concitatus ad bene audiendi ſtudium, & quàm aſſiduè præceptores ſectaretur, quorum ſe totum ad exemplum fingendum ſuſce-

perat, Solis venit in mentem, quem videtis in orbem ferri maximè incitatum, curſuque perpetuo & perniciſſimo verti atque torqueri; cuius ex aſtris omnibus aſtra omnino duo æmulantur pernicitatem, Venus, & Mercurius, & cogitatione magis procurrentem pari velocitate ſequuntur; cum ſubiecta ſeptem retrograda ſint, motuque contrario, multoque languidiore ſeſe circumagant. Langueſcere multos in ſtadio virtutis, quid magis & certum & frequens? ferri multos retrogrados, & pro laude ſectari dedecus, lentiſſimoque curſu recta ſequi, praua perniciſſimo, quid magis quotidianum? Rolla è diuerſo, quanto quemque in laude vlla præſtantiorem vidit, eum tanto ardentius inſtitit æmulari, præcipuaque prudentia quæ probaret in alijs, eadem è ſe ipſo ſtuduit exculpere. quales ſint *ſpes arrectæ iuuenum*, quantus *amor laudum*: *calidus animis & curſibus acer*, quid præſtare poſſit, quid queat *æmula virtus* efficere, quotidie Rolla documentis clariſſimis oſtendit. hi mores adoleſcentis, ſi modò fas eſt adoleſcentem dicere, qui ſit iudicio præcipuo, & ſenili conſilij maturitate. Quod enim apud Platonem Sacerdos Ægyptius pueritiam approbaret Græcis vniuerſis: *Græci, pueri ſemper eſtis, nec quiſquam ex Græcia ſenex*, tribuerit ille ſanè aut illorum ſocordiæ, aut ſuo ſtomacho: nos de Rolla veriſſimè poſſumus pronuntiare, ſemper illum ſenem fuiſſe. Egreſſus erat ex anguſtijs tenuioris literaturæ: & quæ puerorum optimi poſſunt venditare, ea omnia è ludo, & quidem cumulata retulerat, cum eum noua moles rerum manebat: & tanquam adhuc more apum depaſtus in hortis Alcinoi floſculos eſſet ſuauiſſimos, & tamquam aut nullo aut modico labore gemmas & vniones in litore Indici maris legiſſet, quiddam iam erat capeſciturus, quod per ſpiſſo, vt ait Poeta, erat euenturum; erat aurum in ſpecubus penitiſſimis, labore effoſſurus ærumnabili; erat quiddam aggreſſurus, quod neque mediocri ingenio, neque mediocri induſtria poſſet efficere. quid enim aliud de ſacris philoſophiæ

Virg. Georg. 3.

In Timæo.

loſophiæ ſtudijs dicamus, niſi eſſe operis immenſi, quæ ſit nefas ac inutile ingenijs plebeis & obſcuris contrectare? Diui boni! ita ne ſemper creſcere laborem oportet? Itane, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quidquid in literis progreditur adoleſcens, in vaſtiorem ſe altitudinem inuehi, & creſcere opus intelligit? ſanè verò. Nihil enim verius eſt, quàm Epicteti viri ſapientiſſimi oraculum, qui ab Adriano rogatus, quid eſſe hominem exiſtimaret? Balneo, inquit, ſimilis eſt, cuius primam cellam, tepidariam & vnctuariam (ſic enim eam vocant) cum infantia comparauit, quæ mollius curanda eſt, interque nutricis blanditias ac matris fouenda: cellam ſecundam, cui ſudatoriæ nomen, comparauit cum adoleſcentia, quam primi labores fatigant: tertiam, quam antiqui aſſam dixere, tribuit iuuentæ, quæ ætas artificijs exercetur, periclitatur militiæ, negotijs inuoluitur, curiſque ciuilibus tamquam tempeſtatibus iactatur: quartam quæ antiquis frigidaria fuit, ex re ſenectæ aſſignauit. Iuuentæ cauſa hæc omnis à me inſtituta diſputatio, cui ætati dediſcenda mollities eſt, animuſque ad ardua confirmandus. In eo confinio ætatis quid faceret Rolla? quæritis quid faceret? quod antea ſemper, ſed pro ætatis modo, molimine multo maiore. Totus erat laudis & honeſtatis, totuſque literarum. an ſcilicet ſolutè, diſcinctèque viuens fucos, vt Plato ait, imitaretur in alnearijs, qui cum operæ nihil ponant, cum ſteriles, inutileſque agant ætatem, nulloſque fauos condant, fauos veteres & alienos arrodunt? an tanta ſpes frugis in calamos, auenaſque inanes euaderet? an quis eſſet, quibus literas inchoaſſet auſpicijs, quid de ſe ſuos ſperare iuſſiſſet, obliuiſceretur? an adoleſcentiam laudatiſſimam iuuenta deformis conſequeretur? an gloriam temporis præteriti, an ſpem futuri negligeret? Non potuit tantum flagitium admitti, quæ enim talia ſunt naturà, ea conſtare ſemper ſibi, ait Ariſtoteles. Immo tum Rolla regale hoc putauit, ire qua cœpiſſet: acceſſionèque illa virium,

8. de re pub.

In lib. machinarum.

virium, ætatis, ac iudicij acrior factus ad omne ſtudium honeſtatis, ſtudia grauiora vtriuſque ſapientiæ ſic capeſſiuit, quaſi antea colluſiſſet, tum agere inſtitueret, & quaſi nugator antea fuiſſet, tum primum oculos ad intuendam lucem aperiret. Nihil enim ſibi laboris omittendum cenſuit, ſe vt è turba eximeret & in exiſtimationis aliquo loco illuſtriore collocaret. O præclaros characteres indolis eximiæ! Neque tamen è philoſophia id hauſit, quod aliqui præpoſterè, vt opicus eſſet, intonſus, illotus, ſcaber: ſed præcipua humanitate, ſingularique cura elegantiæ ſeſe omnibus commendauit, ac tantum ex comitate ſibi collegit beneuolentiæ ſuorum ciuium, quantum ex pietate atque ex religione admirationis: planèque Tertulliano aſſenſus fuit, qui *nihil adeò ſimile putauit, quàm Philoſophum, & Chriſtianum: Græciæ diſcipulum & Cæli: famæ negotiatorem & vitæ: verborumque & factorum operatorem*. Nam quod Philoxeno poetæ è carnibus eæ videbantur dulciſſimæ, quæ carnes non eſſent, & è piſcibus, qui non eſſent piſces, quæ demum hæc fuit ſentiendi, iudicandique peruerſitas? quid hìc ſyncerum? quod genus illud fuit palati laſciuientis? miror enim, niſi ex auro probaret, quod aurum non eſſet, & è viris, qui minimè eſſent viri: ac niſi virtus videretur, quod eſſet vitium, ac ſapientia quod eſſet inſania. Qui enim tantum in iudicando aberraret, cur potius id faceret in cibis, quàm in animi affectionibus, quàm in ſtudijs humanæ vitæ, quàm in omni munere viri & ciuis, quàm in rebus vniuerſis perpendendis, æſtimandiſque? Diui te perdant lurconem ac nebulonem deterrimum cum iſto tam prauo iudicio. pecudem iſtam notandam cenſoribus omnibus ſuo Federicus Rolla iugulauit exemplo; cui ſemper vnicè placuit ſine fuco ſynceritas, ac ſine fuligine candor, nudaque veritas, & nudæ Gratiæ, quales poeſis depingit: quæ cum ijs exhibeat quotidie, quibuſcum conſueſcit, eadem ſibi ac ſanè metro eodem ab iiſdem repoſcit. Noſtis quæ diſcipulorum in diatri-

In Apol & libro aduerſus Hermogenem.

bis

tribis ſit æmulantium conſuetudo ? in eiſ ita ſe gerebat Rolla, vt cum permultis genere, copijs viribuſque corporis, & clientelis concederet, ingenio verò ac induſtria ſe à nemine vellet anteiri, nemini tamen obtrectaret; vt quod olim Ariſtides orator luculentus fecit, ipſe quoque Heſiodi vanitatem poſſit refellere, qui poetam poetæ, oratorem oratori, omnemque artificem artifici, qui artem colat eandem, dixit inuidere. Colebat & ſanè perquam impensè artes ingenuas Rolla, idemque vbi committi in certamen, rixarique in ludo deſiſſent, dabat ſe omnibus, omneſque in eo & ſummam oblectationem, & firmiſſimum præſidium, & dignitatem præcipuam ſibi collocatam exiſtimabant. hæ artes Rollam ita commendauerunt vniuerſis, vt proceribus quoque & ſummis viris, qui eum in locum intimum gratiæ admiſerunt, multo iucundiſſimus euaſerit. Principibus placuiſſe viris non vltimam laudem eſſe quem fugit? modò id fide, & ſignificatione probitatis aſſequare: modò id poſſis adipiſci probando purpuratis felicitatem ingenij tui, declarando elegantiam iudicij, & omnia tempeſtiuis amœnitatibus condiendo: modò non aſſentando, neque omnia omnibus annuendo, nulloque diſcrimine falſis, ac veris rebus coneris placere, ſed rerum optimarum ſtudio, ſed admiratione ingenij, ſed ſuauitate morum, ſed obſequio & obſeruantia, ſed ſermonum opportunitate: modò quam intra potentiorum limina attuliſti indolem virtutis, mordicus retineas ac tuearis: denique modò ita fortunam ſecteris eorum, quibus te in omni fortuna commendatum cupis, vt candoris tui priſtini, vt ſynceritatis, vt libertatis non obliuiſcaris. Quid verò Rollæ ab indole, animoque liberali abeſt longius, quàm proiectæ veſtigium aſſentationis? an ſcilicet talis ac tantus ciuis malis vllis artibus ad Principum adrepere gratiam contenderet? qui ſe huc demitteret Rolla, niſi totus à ſe ipſo deſciſceret, & eum ſuis aliqua Circe veneficijs immutaret? an etiam ij ſunt Principes noſtri, qui ſe venditent empturientibus, & ſuam

tomo 1. oratione funebri.

ſuam gratiam eſſe mercedem adulationis velint? Federici Rollæ characteres, hoc eſt, indolis imagines exhibui. Sunt hæc, quæ dixi, perpauca è multis, quæ in honeſtanda Rollæ inauguratione dici oportuiſſe ſatis ſcio. Sed & mens mea eſt ad eius æſtimanda bona hebes, & artificium atque dicendi facultas ad ea prædicanda plus nimio exilis. Præterea huius à me conſeſſus, qui hactenus tædium importunæ loquacitatis deuorauit, diuque tacitus illud poeticum ingeminat, *ohe iam ſatis*, habenda ratio fuit. An ſcilicet tandiu vos obtundam, Viri Clariſſimi, donec me hinc cum iurgio, conuitioque exigatis? neque vos ego, niſi anhelantes, atque diruptos dimittam? an denique tandiu *ſtridenti miſerum ſtipula* pergam
Virg. Eclog. 3. *diſperdere carmen*, me donec Palæmon aliquis iubeat claudere riuos, moneatque ſat prata bibiſſe?
Ergo deſino: vos plaudite. Dixi.

In

In Laurea
CAROLI CAESARIS PIZZOLI
Sub auſpicijs
IVLII MARIÆ ODESCALCHI
Epiſcopi Nouarienſis

PANEGYRICVS.

SI quis fortè ſecum tacito ſuæ mentis iudicio me temeritatis inſimulat aut inſolentiæ, quem nec antea viderit, quemquam niſi lectiſſimum, & hodie videat adoleſcentem inclyto ingenio, atque doctrina illuſtri ornandum ſuſcipere; is obmurmurare mihi, indignarique deſinet, ſi me Niciæ pictoris præſtantiſſimi exemplo, monitoque facere ſciat, quem dicere ſolitum legimus, illud in pictura conſultiſſimum eſſe, vt exprimendas ſuſcipiat res præclariſſimas: artiſque pingendi eſſe poſitam in eo laudem non minimam, vt argumenta pingi digniſſima eligat: affertque ſui conſilij cauſam ſanè probabilem, quod hæc & ſpectantium tenere oculos dicat mirificè, & plurimorum approbationem promereri. Meis quidem ſi votis in munere huiuſmodi reſponderent euentus, ac eas Ideas, quas ſibi mens mea fingit, comprehendere verbis poſſem, vobis, Viri Clariſſimi, profectò luculentas & elegantiſſimas imagines optimorum adoleſcentum ſpectandas exhiberem. Sed enim cum diu, multumque mecum ſum tumultuatus, atque me ſollicitum partes in omnes verſaui, tandem neſcio quæ monogrammata, neſcio quas formas & figuras effingo, quæ ab archetypis immenſum quantum decidunt: certè in quibus adoleſcentes optimi

Caſaub. ad Perſ. cōment.

optimi nulla parte ſe ipſos agnoſcunt. Conatum tamen qualemcunque meum & officium, quod præſto virtuti, magis arbitror probabit veſtra æquitas & benignitas, quàm officium earum muliercularum, quas D. Auguſtinus ait, dies totos ſediſſe in Capitolio, ac inibi tempus omne Iunonis ac Mineruæ crinibus diſponendis conſumpſiſſe. Nauos adoleſcentes & ſpectatos adoleſcens ipſe laudaui: idem iuuenis, idem vir factitaui. modò cum *premit à tergo ſenectus*, vt ait Seneca, *& obijcit annos inter multa vana ſtudia conſumptos*, ſcilicet artem deſinam eam, in qua conſenui? aut procul ab hominum conſuetudine in loca ſola ſecedam, vbi Doctum imiter archimimum, quem idem D. Auguſtinus commemorat, ſenem iam decrepitum quotidie in Capitolio mimum egiſſe; quaſi quem homines deſiſſent, dij libenter ſpectarent? Quamquam dum trita tam multis ad me via eſt, atque dum poſt alios alij quotidie me hanc operam rogant, facilè poſſum conijcere, nondum gratiam omnem meæ facultatis exoleuiſſe, ac nondum ciuibus, exteriſque eſſe ita grauem ac odioſam meam ſenectam, vt mihi Dijs Capitolinis ſint modi agendi, vt Capitolinis Deabus ſit coma depectenda. Tu me, Carole Cæſar, nullo reſpectu podagræ, quæ mihi pedicas, ac planè iam etiam manicas innectit, reuocas in ſcenam, ac iubes huius quoque fabulæ partes poſtremas peragere. Ergo quando ita imperas, expecta à me, quod potes ab imbecilli, ac penè à fatiſcente: nitar enim pro modo virium mearum, vt vigilatæ à te vigiliæ, vt poſita in ſtudijs literarum, doctrinarumque opera, atque vt vita adhuc acta laudatiſſimè, hàc quàdam velut picturà morum exprimantur ad viuum, & huic theatro ſpectandæ, æſtimandæque proponantur.

De Ciu. Dei.

Natural. quæſt. lib. 3.

De Ciu. Dei.

At enim quid me in fronte, ac in veſtibulo tui libelli ſtatim conterres ſpectaculo leonum, aquilarum, cædium, & humani cruoris? quid mihi ſtatim nomen obijcis, & inſignia vigilantiſſimi antiſtitis patroni tui? quid etiam tantus hic conſeſſus ciuium

cla-

clariſſimorum, qui ad tuam honeſtandam inaugurationem confluxerunt, repoſcere videtur, expectareque ab oratore? mihine anſeri & gracculo mens & ratio in tanto ſplendore conſiſtere poſſit? ſed iacta eſt alea. Aquilarum morem tam probè noſti, Cæſar, quàm vngues tuos. Solent enim pullos ſuos in loco altiſſimo ſtatuere, ac inibi eos cogunt oculos in ſolem aduerſum defigere, radioſque ad ardentes pullorum ingenium explorare. qui enim ſideris nitorem ſuſtinent acie oculorum irretorta, eos agnoſcunt pro ſuis, atque pro legitimis, eos alunt, genuſque in volucrum vniuerſum regni ſucceſſionem tradunt, ac vnos deputant dignos, qui fulmina Ioui miniſtrent. Qui verò non ferunt Phœbi ſplendorem, ſed luce in tam fulgenti hebeſcunt atque caligant, & victos lumine oculos torquent ac obuertunt aliorſum, hos quippe degeneres ac adulterinos, & noctuarum ſimillimos ſæuum in modum feriunt vnguibus ac roſtro, ſeminecesque in præceps ex alto prouoluunt. Huius moris geminum gemellum eſt, quod de Hercule Thebano narrat Herodotus, qui cum in Scythicam regionem veniſſet, & è virgine tres filios ſuſcepiſſet, conſulenti patrem matri, quid ijs faceret, ipſe arcum dedit mulieri, ac balteum, ac præcepit, vt qui filiorum, cum adoleuiſſent, eum arcum ita tetendiſſent, quemadmodum ipſe tum monſtraret, eos aleret apud ſe; qui minus, eos ablegaret. Qua te re, Cæſar, primùm tuo Epiſcopo Clariſſimo probauiſti? ea ſine dubio te re probauiſti, cum te maturè in partem meliorem dediſti: cum tener adhuc elegiſti vitæ rationes moderatas: cum laborem otio, honeſtatemque turpitudini prætuliſti: cum ingenium gloriæ tui conditoris voluiſti deſeruire: cum te totum ad optimi tui præſulis exemplum componendum ſuſcepiſti. Quandiu viues his legibus, neutiquam poteris dubitare, quin te pro ſuo ciue, neque tantùm pro ciue, ſed etiam pro alumno, neque ſolùm pro alumno, verùm etiam pro filio ſit Odeſcalchus agniturus. Scilicet fuerunt eiuſmodi tuæ ineuntis ætatis rationes:

Lib. 4. ſeu in Melpo.

eiuſ-

eiuſmodi tuæ pædiæ primordia; vt iam tum, dum pueriIibus initiabaris, diſciplinis, facilè quandam in puſiunculo tum maturitatem iudicij, tum grauitatem, conſtantiamque conſiliorum agnoſceremus. Quæ ſit tenerioris ætatis imbecillitas corporis, animique qui cogitat, miretur profectò diligentiam, miretur decreta, miretur in C. Cæſare adhuc puero vim animi atque conſilij; qui ſibi, quantum quiſquam, effugiendam ſocordiam, qui nihil illiberale, nihilque neque ineptiarum, neque flagitij puerilis admittendum ſtatuit: tum vt, qui ſe hominem eſſe, qui ciuem meminiſſet, ſatis officio faceret: tum vt vitæ iaceret præclara fundamenta: tum etiam ne quando ſe, cum literas attigiſſet grauiores, philoſophus Epictetus irridere, criminarique poſſet, qui literas atque doctrinas, cum in ingenium vitiorum tenaciſſimorum vepribus occupatum, & in hominem degenerem, tanquam in vas ſpurcum influunt, verti, mutari, atque corrumpi affirmauit. Quàm ſit immanis fera libido, quàm vorax & inſatiabilis bellua luxus, quàm alea damnoſa, quàm effera beſtia temulentia, quàm nocens animal ira, quàm animalia horribilia maledicentia, ambitio, proteruia, quærite ſi lubet apud malè feriatos permultos: nullum hìc monſtris huiuſmodi, portentiſque neque luſtrum eſt, neque cubile; ſed animi caſtiſſima penetralia pietas, amorque recti ac honeſti inhabitat. Neque ſanè de te Cæſar, ſecus exiſtimant, quibuſcum contrahis & conſueſcis, qui tuam ita comitatem diligunt, vt mirentur ingenium, vitæque ſeueritatem venerentur. Te verò vt coram hiſcere audeat, aut verbis inſoleſcere, aut ſe inconcinnius commouere, quis ſibi permittat? Neque enim te minus felicem exiſtimo, quàm olim illi veteres M. Porcium Catonem exiſtimauerint, à quo nemo, niſi honeſta petere ſuſtinuit. Neque ſanè magno negotio, magnoque conatu, vt ſe ab omni turpitudine remoueret, ac honeſtis aſſueſceret, peruicit C. Cæſar, ac tenuit: ſed eſt eius familiæ ita innatus, inſituſque amor virtutis, ac ita indecori odium ingeneratum,

apud Aul Gel lium li. 17. c. 19.

G. Sciop. in elem. philoſ. Stoicæ.

neratum,

neratum, quemadmodum fuit Marſorum familiæ ingeneratum, vt veneno, morſuque anguium lædi, violarique non poſſet. E ſtudijs verò doctrinarum, quarum omnis ratio, inſtitutioque vitæ adiumenta deſiderat, quædam ab optimo candidato etiam animi præcipua quærebatur oblectatio, vt non pyrum vulpes voret maiore voluptate, non ad mulctrum conuolent auidius muſcæ, non flores apis iucundius depaſcatur, non bibens hirudo ſanguinem humano corpori firmius inhæreſcat. Nonne ſi quis huius ſtudium cum ſtudio comparat multorum, qui eaſdem contrectant diſciplinas, ſed languidius, animoque remiſſiore: quemadmodum ſi quis vigilantis agricolæ, apprimèque diligentis operam cum opera conferat agricolæ alicuius ignaui, qui agrum in proximo colat ſocordius, è quo illi minimè pars decuma proueniat fructuum, qui proueniunt vbertimi nauo colono ac induſtrio; nonne, inquam, is Heſiodo Poetæ, qui *Dimidium plus eſſe toto* dixit, cogatur aſſentiri? Apud Aul. Gell. 1. 15. Vnæ ſanè veſperæ, Carole Cæſar, à te poſitæ in contemplatione, perueſtigationeque rerum obſcurarum tam attentè, tam accuratè, quanto plus tibi ad eos griphos enodandos, explicandoſque, quos habent literæ theologicæ plurimos, quàm alijs permultis veſperæ denæ, aut etiam vicenæ præſtabunt? Minimè tu quidem ſtudes literis, ſed ſcalpis, ſed effodis, ſed te conficis, ſed libris immoreris: facisque quod ait Euripides: *in qua re quiſque clarus eſt, ad eam properat, ac diei partem illi plurimam impertit*. Ex Gorgia Platonis. Magnanima ales eſt Aquila, indoliſque generoſæ ac regiæ, quæ non deuorat animal, niſi quod ipſa occiderit, neque per ignauiam cadaueribus alienis inſidit. Quid Carolus Cæſar? ille verò degenerem ignauiam deteſtatus & execratus, ſtomachatus ſordes, voluptates abominatus foras ad literas, capiendumque ingenij cultum, velut ad prædam prouolauit. hoc egit ipſos nouem annos, quos noſtros ob oculos conſumpſit. quid interea Thrax ferus pararet, quibus copijs rem gereret Luſitanus, quo Britanni, quo Belgæ ſucceſſu, fortunaque

naque partium depugnarent, quiue deducendæ Auguſtæ nouæ nuptæ feruerent apparatus in hac vrbe, non magis ſua putauit referre, quàm quæ Epicuri gererentur in intermondijs. Vna in re C. Cæſaris, & Aquilarum eſt maximè ratio diſcors, quòd illæ tantùm à meridiano tempore volant ac operantur: horis prioribus, donec impleantur hominum conuentu fora, ignauæ ſedent ac otioſæ: Cæſarem nunquam non in opere Sol naſcens deprehendit. Quamquam quid de Sole naſcente loquor? Serum fuit Phœbeiam illam facem opperiri, quæ feneſtrarum diduceret rimas, & Cæſaris marcentes oculos aperiret: ſerum fuit expectare, dum ciuium concurſantium ſtrepitus Cæſari ſegnitiem & ſocordiam exprobraret. Nunquam enim non laborem anticipauit: nunquam non lychno & oliuo diem nitidum præuenit: nunquam non antelucana tempora ſtudijs literarum impendit. Neque enim diligentiæ eſſe mediocris exiſtimauit aut in artibus primarijs regnare, aut ſeſe commendare, ac amorem promereri eius antiſtitis, quo nihil meliùs Sol illuminat, qui exquiſitis doctrinis, ſtudio virtutum omnium, moribus niueis & incorruptis, diuitiarum ac rerum omnium fluxarum contemptu, laboribuſque infinitis, & perpetua contentione virium in repurganda ſua Diœceſi, atque ad veterem diſciplinam reuocanda, vnus maximè ſui ſeculi gloriam exornat. Tibi, Cæſar, tantum Præſulem intuenti, atque te eius ad exemplum effingere ſtudenti labor eſt maximus propoſitus. Quid enim ibi non expreſſum è verbis Apoſtolicis? quid aliud agit, quid cogitat, niſi quemadmodum ſuorum ciuium animis Chriſtum Dominum inſerat? quid meditatur, niſi quemadmodum quamplurimos parturiat Chriſto? niſi vt mores hominum ſic ad veteris diſciplinæ ſeueritatem retrahat, quemadmodum Spartam ad Lycurgi leges poſtremus Agis reuocauit? niſi denique quibus artibus & conſilijs Eccleſiam, quam à purpurato fratre, ſic dicam, accepit marmoream, ipſe argenteam, aut etiam gemmeam

Plin. rerum nat. l. 10. 3.

relin-

relinquat? hæc eius meditamenta omnia, hæ curæ ſanctiſſimæ. qui ſanè ſi Picorum montes aut eos incoleret, aut ſi illi Peruanas opes Indicus cataplus quotannis deueheret, profunderet in egenos vniuerſa, aut donaria templis appenderet. Sed minimè nos ſanè laudationem Iulij Mariæ Odeſcalchi inſtituimus: tuam, Cæſar, rationem inſtituimus commendare, qui non balbutie, non claudicatione, & parum commodo motu corporis, quod olim factitaſſe Ariſtotelis, & Platonis feruntur diſcipuli, ſed pietate, atque ſtudijs tum literarum, tum omnium Chriſtianarum virtutum, tuum tantum Præſulem exprimendum ſuſcepiſti. Habent Aquilæ oculos plus quàm lynceos, nec ad clariſſimum Solem conniuentes: ſcilicet tuis, Carole Cæſar, ſimillimos; qui ſanè vidiſti multum, cum ab humilibus præclara, atque à turpibus honeſta ſecreuiſti. tum etiam vidiſti multum, cum perueſtigaſti tam acutè, tam ſolerter, tam feliciter doctrinas, ſed in eo vidiſti plurimum, te cum totum ad obſequia tui conditoris conuertiſti. Nam quod aiunt perpugnaces Aquilas eſſe, & cum vulpibus, cum trochilis, cum draconibus, cum vulturibus ſine fine depræliari, in moribus tuis, Cæſar, eiuſmodi video nihil, plurimum video in ſtudijs doctrinarum. confligis quotidie & tanquam ſit ſimultas inter vos irreconciliabilis, quotidie depugnas, bellum quotidiè aut ipſe inſers alijs, aut illatum propulſas; eſt tamen gratia & amicitia ſemper incolumis. O iucundas & præclaras dimicationes! Memini me legere de Purpurato quodam, qui apud ſummum principem vir erat primarum partium: qui omnibus ex odoramentis ſe plurimum odore pulueris nitrati ex diſploſo murali tormento dicebat delectari. Legere me item memini de Rege, cui profectò Midæ aures fuiſſe oportuit, qui poſt auditum ſymphoniacum, cui multum cæteri omnes plaudebant, dixit, ſibi hinnitum equi multo iucundiorem futurum fuiſſe. Scythica oratio: ſcythica indoles vtriuſque. Non ita eſſe nobis nec animum degene-

Auctor adagior.

Cardin. Ximen Archiep. Toleti.

rem, nec obeſam narem, nec ſenſus ſtupentes, certo ſcias, Cæſar, vt quàm omnia ſuffimenta, & quàm omnes concentus non multo malimus te ſpectare, ac audire, prælium cum cies, & cum nauiter in certamine literario rem geris. Ego ſanè in caſtiſſimo atque in ſuauiſſimo adoleſcente, qui liberalis ingenij, facundiæque florentis laudem pietate cumulauit, ſecundum religionem plurimum eius iuges & aſſiduos in ſtudijs doctrinarum, & maximè acres & vehementes conatus demiror. Etenim quando vnquam intermiſit euoluere, commentarique ac ediſcere, quod eſſet aut voluptati legere, aut cultui legiſſe, aut vſui meminiſſe? quando à ſumma contentione interquieuit ac reſpirauit.? Minimè mihi Diui propitij ſint, niſi & inter eundum cum comitibus, & ſuper cœnas cum conuiuis, & in agro cum amicis, quoties eiuſdem ſtudij homines nactus fuit, certauit doctis dictis, vt Ennij vtar verbo, ac niſi acriter atque contentè pro ſuarum doctrinarum decretis pugnauit. Ne ſint, inquam, mihi diui propitij, niſi ſaturnalibus ipſis, ferijſque adeò ipſis autumnalibus alea, vt ait A. Gellius, quadam feſtiua & honeſta luſitauit huiuſmodi, vt vbi conuenirent aliqui, qui Muſas colerent eaſdem, ad leuandum tædium temporis, otiumque illud tranſmittendum, ſemper remotiores aliquos, ſubtilioreſque è philoſophia aut è theologia locos agitaret. Si volumus quid vulgo fieri conſueuerit, meminiſſe, Remiſſiones quàm multas interponi videmus à pleriſque? Quot interijci interualla? quot eſſe ad ſtudia reditus? quæ dum alij faciunt, ſe vetere conſuetudine, ſalubrique inſtituto maiorum, legumque permiſſu omnium facere defendunt. At in C. Cæſaris vitam nihilo magis cadit intermiſſionis vocabulum, quàm cadat periurij, quàm parricidij, perduellioniſque. De ludo ſi ſermo ſit, facilè annuo cuiuis, Cæſarem, dum occluſum Lycæum fuit, dum fuit ſua muta Academia, dum interpres ſui copiam non fecit, hoc eſt, dum fuerunt in ſuo foro Alcionia, ſolemnes itiones ad gymnaſium intermiſiſſe. Sin

Noct. Attic. 18.13.

eum

eum interea literarum oblitum quis arbitretur, ſe ipſum penitus in otium immerſiſſe, diſputandique ac inueſtigandi ceſſaſſe à contentione, rem ſecus eſſe, poſſum Diuos, homineſque teſtari. Cibo facilius, potuque abſtineret: ferretque animo æquiore, negotium ſiquis ſibi quoduis imponeret, quàm ſi otium eiuſmodi, in quo ſe à ſuis adamatis literis abſtrahendum, auellendumque videret. Etenim quid habent ſimile cum Cæſaris amoribus, delicijſque (his enim nominibus videor poſſe Pizzoli ſummum ſtudium appellare) libidines feruentiſſimæ aliquorum? quid aliorum flagrantiſſima cupiditas & auaritia? quidue multorum edendi, bibendique inſana dulcedo? num è quæſtu vtilitas optabilior venire cuiquam poſſit: aut ex epulis, lautiſque menſis maior ſuauitas, aut etiam è libidine ſenſuum titillatio iucundior, quàm quantam è ſuis literis Cæſar oblectationem, quàm quantam iucunditatem, felicitatemque, ne dicam beatitatem percipiat? Studet quotidie, quotidie addit aceruo aliquid, quotidie diſputat ſumma contentione vocis. quem ego ſanè dum audio, minimè poſſum Domitio, cui apud Aulum Gellium cognomentum Inſano fuit, aſſentiri, quem cum aliquorum offenderet oratio, qui lingua videbantur intemperantius abuti, fertur voce, vultuque atrociore dixiſſe: *Vtinam muti omnes homines eſſemus; minus improbitas inſtrumenti haberet*. Diui meliora. Muti ſi eſſemus, ſi vox candidati conticeſceret; & adoleſcens, vt ille ait, *fandi dulciſſimus*, doctiſſimuſque careret ſermone, quanto nos fructu careremus voluptatis? qualis Nouarienſibus obmuteſceret luſcinia? quæ amicos, quæ alienos ſpes fallerent? quale Chriſti gloriæ ſileret organum? quo denique magiſtro morum, quàm graui rectè viuendi auctore, & quàm certo ad ſalutem duce ſummi, infimique priuarentur? Encomium adhuc habuit oratio mea, iam querelas, ſeculique criminationem. Te quid fieret, Cæſar optime, niſi ſpes tuas, ac te totum ad eum applicuiſſes Antiſtitem, quo neſcio an hodie vllus ſit

Noct. Attic. 12. 7.

A. Gell. Noct. Attic.

tum ſuæ virtutis diſſimulator maior, tum alienæ maior æſtimator ac admirator? Vos, Principes, qui orbem terrarum tenetis imperio, & qui vos ſcitis morionibus oblectatis, equorum canumque alitis greges, ac impenſo pretio pinacothecas inſtruitis elegantiſſimas, nunquam ne ad viros doctos intuendos conuertemini? nunquam vigilias æſtimabitis, conatuſque literatorum? & cum locupletetis quotidie ſcurras, paraſitos, aſſentatoreſque, qui vobis nihil præter fumos vendunt? & chorum alatis domeſticum vobis haud ſanè ſalubriter concinentem: cum tantum nouarum voluptatum præmonſtratoribus indulgeatis, ne ſportula quidem inſignes doctrina viros aſpergetis, qui vos ipſos nominis immortalitate poſſunt remunerari? atque cum imperij curas capeſſatis, reſque adminiſtretis belli, paciſque, rei tam bellæ cogitationem nunquam ſuſcipietis, vt *triſtes hac tempeſtate Camœnas* reſpiciatis, præmiſque viros doctiſſimos exornetis? Sed cum illi ſurdaſtri ſint, & ego parum vocalis, illud eſſe reliquum intelligo, vt literatorum vicem deplorem tacitus, miſſaque tragica vociferatione tacitus ſuccenſeam eis, per quos in Europa fieri videmus, ne de Daphnide duntaxat Virgiliano dici poſſit: *Nihil ille Deos, nil carmina curat.* Dixi.

Ecloga 8.

In

In Laurea
IOANNIS AMBROSII GARIBOLDI
PANEGYRICVS.

VETVS Grecorum Sophiſtarum conſuetudo fuit, vt quoties frigerent præſentia, toties ex antiquitatis memoria, illuſtria cauſarum argumenta deſumerent: communiſque illis dicendi campus erat Marathonia pugna, naualeque apud Salamina certamen, quæ duo prælia poſt homines natos præclariſſima præbebant amplificandi, exaggerandique & vociferandi materiam capacem & vberrimam, atque in illis celebrandis ars dicendi mirabiliter exultabat. Qua in re minimè ſummos illos dicendi artifices ratio fugit. Nunquam enim magis ſplendeſcit oratio, nunquam magis animos tenet audientium, nec vnquam in circunfuſæ multitudinis aures ſuauitas maior illabitur, quàm quum ad heroum immortalia facinora nitor accedit fulgurantis eloquentiæ, & quum ad ea celebranda, quæ ſummo conſilio, & quæ incredibili magnitudine animi ſunt geſta, omnes Atticorum arculæ, omniaque pigmenta rhetorum adhibentur. Ergo rerum recentium penuria, ſuorumque ſocordia temporum, quæ publica luculentorum oratorum teſtimonia mereri deſiſſent, ſeſe ſophiſtæ, ne cicadæ mutæ ſilerent, ad ea celebranda conferebant, quæ in literarum monumentis tantùm non ſepulta iacerent. Qui ſi modò in Io. Ambroſium Gariboldum oculos conijcerent, ad quem conflandum, exornandumque, quemadmodum ad exornandam Pandoram poeticam, ſuas Muſæ omnes, omneſque Gra-

tiæ copias & dotes contulerunt, profectò nactos ſe crederent, in quo prædicando ſuam diuinam copiam deberent expromere: miſſaque Salamine, quantum valerent ingenio, florentiſſimi adoleſcentis encomio comprobarent. Sedenim te alloquor, Candidate longè doctiſſime. Nam qui toties in huiuſmodi corona ſpectator ſediſti, iam ipſe iucundum de te ſpectaculum præbes vniuerſis: & qui tam ſæpe auxiſti numerum in theatris huiuſmodi, iam omnes vides de tuo vnius honore capita conferre, neminemque non comparem ingenio tuo & conuenientiſſimam fortunam precari. quorum ciuium de ſtudio eximio ſi dubitares, fallereris vt cum maximè. ij enim, quos modò vides ſilere, magis mutos, quàm eſſent Hermæ in triuijs & compitis, me ſuæ voluntatis eſſe voluerunt interpretem, eundemque vt tuam inaugurationem honeſtarem encomio, allegauerunt. in quo mihi mandando munere illud commodè excogitaſſe videntur, vt quo tempore ſunt ſoles flagrantiſſimi, Siriuſque canis ſupernè flammas iaculatur, noſtraque inteſtina igné concepto exæſtuant, is partes ageret encomiaſtis, qui ieiuna & *febriculoſa* facundia poſſet, quemadmodum ille rhetor apud Martialem, *thermas Neronianas refrigerare*. Neque tamen ante in re ſuſcepta progrediar, quàm prænomen, ac nomen, Candidate clariſſime, quibus es notus, expendero. Etenim Ioannes, quod vocabulum antea terris inauditum decidit aliquando de cælo; nihil ſignificat, niſi hominem gratioſiſſimum apud conditorem ſuum, diuiniſque plurimis & maximis muneribus cumulatum. Nam Ambroſij vnde petitum nomen, niſi Iouis à menſa, ac niſi ab eſcarum optima & ſuauiſſima, qua Deorum inſtrui cœnas, & quam qui edunt, immortales euadere fabulatur poeſis? Sunt hæc mehercule nomina auſpicata, quæ quid ſonent, nemo eſt aure tam ſurda, quin exaudiat. Suauitatem ſignificant, qua Candidatus condit mores ſuos, humanitatem, qua ſibi omnium adiungit voluntates, mel quo diffluit, comitatem denique & benignitatem,

Martial. apud Ang. Polit. Miſcel. cap. 18.

tem,

tem, quam ita promptam gerit in ore, vt re, quoties fert occaſio, exhibeat & repræſentet. Nam illud, quod ait Pindarus, iyngem auim à Venere primùm eſſe è cælo ad homines deportatam, & Iaſoni traditam, additis veneficij documentis, quibus Medeam irretiret, meræ nugæ ſunt, merumque ementientis poeſis figmentum, quæ caſus admirabiles, cauſaſque inopinatorum euentuum Dijs aſcribere, aſſignareque conſueuit. Ioanni Ambroſio nihil veneficijs, nihil aue illa Venerea è cælo delapſa opus fuit, in quo tanta ſignificatio probitatis elucet, & qui voce, vultuque ac omni genere officij non allicit animos hominum, ſed conglutinat, ac ſibi nodis velut adamantinis deuincit. Qui ſanè neſcio, naturæne inductione, an certo conſilio ſit laudis inueniendæ, parandique amicorum viam ingreſſus eandem, quam olim dignus nomine ſuo Pamphilus Terentianus fertur ingreſſus fuiſſe, quem Simo parens eius dixit, *ſeſe omnibus dediſſe, nemini eſſe vnquam aduerſatum, obſequi ſolitum fuiſſe vniuerſis, ſe nulli mortali prætuliſſe vnquam, omniumque mores facilè pertuliſſe.* Gariboldo quis iucundior in conſuetudine? cuius in amicitia fides & ſynceritas maior? cuius denique magis prompta & parata benignitas? Nitor iſte tui cultus, Ioannes Ambroſi, ac tanta elegantia, quæ ſic abeſt à luxu, vt munditiei ſtudium quoddam exquiſitum oſtendat, nonne quæ ſit latentis intus animi mundities & elegantia oſtendit atque ſignificat? Iam quæ tua feſtiuitas, & quod vitæ totius decorum? quæ cum video, continuò mihi Regis Sicyoniorum Caliſthenis viri ſapientis venit in mentem, qui cum de procis filiæ ſuæ Athenienſem Hippoclidem incondita motione vtentem vidiſſet, dixit, illum indecoro motu nuptijs excidiſſe. Vtinam tibi, Candidate ſuauiſſime, eſſet alicunde aliqua lauta propoſita creſcendi conditio: vtinam aliquis è dynaſtis inuolutis argento de te ornando, amplificandoque cogitaret, profectò nullum periculum eſſet, ne minus apto, ac minus concinno geſtu, nèue tui corporis ſtatu, aut motu defor-

apud Philoſtratum Iunior.

Andr. 1. 1.

Athen. li. 1. c. 4.

mi

mi ac inurbano, parum dignus habereris, quem is proueheret, & in honoris loco illuſtriore collocaret. Haud equidem ſcio, an verum dixerit Theophraſtus, quum ait, *animum cuiuſque ingens ob id præmium corpori dependere, quod illius eſſe liceat inquilinum*, quod effatum ſi neque veritas, neque ratio fugit, non video, quod maius præmium animus Ambroſij tam liberaliter excultus, laudique ac literis innutritus ſuo corpori perſoluerit, quàm quod illud agile fecit, quod oculos, linguam, manus, ac pedes decenter moderatur, & quòd tam eleganter eius motiones vniuerſas attemperat. Vnum demiror, quapropter cum parentem vtrumque, neque tantùm vtrumque parentem, ſed etiam auum Ioannes Ambroſius corpore habitiore habuerit, qui valerent pancraticè, & quorum ora roſeus depingeret color, ille contra ſit gracilis & pallidulus, & quædam etiam genas eius decentes macies occupet. Tametſi quid ego id mirer, cum nemini, qui eius de vitæ rationibus aliquid compertum habeat, poſſit obſcurum videri, quò tantæ imbecillitatis virium, & quò oculorum liuentium debeat culpam conferre? Illum inedia macerat, illum maius æquo ſtudium laudis diuexat, illum vigiliæ conficiunt, denique illum ſanguine ipſo labor aſſiduus emungit; vt niſi in literarijs meditamentis modum modo virium comparem ſeruauerit, periculum ſit, ne quid magni incommodi ſibi propediem accerſat. Si neſcis, Ambroſi, literulæ tuæ, quas deperis, & quas poſthabitis aliarum omnium rerum ſtudijs tam colis impensè, tibi iſtam malam gratiam ingratæ repoſiiunt; tuæ vt valetudini ſummum periculum creent, teque vt ante diem extinguere maturent. Nam quod loquendi nouo quodam & audaci genere Gorgias Leontinus *negotia dixerit eſſe pallida & exanguia*, quo tandem de negotio congruentius id dicere potuit, quàm de literario, quod ſtomachum, vitalia, caputque vexat, quod etiam ſanguinem labefactat, vnde febrium atra cohors, vnde tormina, & ſtomachi laborantis dolores, vnde cruditas, vnde co-

Plutar. de tuen. bona valetud.

Ludou. Cellot. Theatr. Rhetor.

lor

lor decolor, vnde os liuens ac luridum, vnde imbecillitas malè inſiſtentis eius corpuſculi, quo & antea fuimus, & modò eſſe poſſemns Achilles, vnde funera approperata, vnde ſæpe familiarum ſolitudines ac orbitates exiſtunt. Itane literæ? ita ſanè: malam hanc gratiam ſuis cultoribus referunt, vt eos multis & grauiſſimis infortunijs mulctent. Sed quid ingenijs faciamus quibuſdam igneis & incitatis, quæ Ouidius *apta flammis* appellat? Ignem facilius extinguatis naphtha conceptum: canem à deguſtata loto facilius repellatis: nauim velis ac ventis incitatiſſimam remoremini negotio minore, quàm adoleſcentulum ingenuum, quem amor cepetit artium optimarum, quem nulla monita, preces nullæ, ac nulla periculorum denuntiatio poteſt in re ſuſcepta properantem retinere. Quàm multa Gariboldum ſtimulent, ſatis equidem ſcio. Memoria veterum, recentium æmulatio, denique poſterorum futura de ipſo exiſtimatio quoſdam animo ſtimulos infigunt: excellereque atque regnare in doctrinis, ac eſſe inter æquales, quod eſt inter viburna cupreſſus, hoc omnibus triumphis anteponit. præclarè: agnoſco enim in Ambroſio Alexandri Macedonis indolem excelſam & regiam, qui cum illato inter amicos ſermone de Hectoris Troiani prouocatione audiret, qui commemorarent, lectos è Græcorum vniuerſo numero fuiſſe nouem fortiſſimos, eorumque nomina eſſe in vrnam coniecta, vt cuius nomen exiſſet, ille cum Hectore ſingulari certamine decertaret, vt erat animo præferoci dixit, *Si quis me tertium nominaſſet, non tuliſſem tacitus contumeliam tam inſignem, præſentique ſupplicio ſanxiſſem, ne quis deinceps mihi tam grandem iniuriam irrogaret.* Sanè videtis quos impetus, & quàm vehementes habeat animus, qui gloriæ ſeruit. Nonne & Cæſar, qui primus Dictatoris nomine remp. occupauit, dixit propalam ſe in Graiarum Alpium rupibus inacceſſis, quæ penè contetminæ cælo eſſent, & perpetuis niuibus rigerent, malle primum locum, quàm Romæ ſecundum obtinere? Iam verò,

Metam. lib. 14.

quid eſt, Gariboldé, quod arcem habes in ſtemmate? quo enim cum hoſte bellum tua familia gerit, aut olim geſſit, vt hiſce præſidijs ſibi eſſe vtendum exiſtimarit? Etenim arces à regibus atque dynaſtis finium tuendorum cauſa extrui conſueuerunt, inſtruique firmis præſidijs militum, tum vt ſuos à conſilijs rerum nouarum abſterreant, tum vt externa pericula propulſent. Tua ſi familia cum alia quapiam familia hæreditarias & ſempiternas inimicitias gereret, quales olim in hac vrbe Vicecomites cum Turrianis, aut in Hetruria Blanci cum Nigris, aut apud Ligures Fliſci cum Adornis, aut etiam quemadmodum cum Guelphis Gibellini, qui tandiu Europæ vniuerſæ ſtatum commouerunt; haud temerè poſſem conijcere, ſibi tuam familiam arces parauiſſe, vnde excurreret ac impetum faceret in hoſtes, & quò ad incerta belli ſe reciperet, ſi acrius vrgerent hoſtes, quàm vt eſſet tutum aperto marte decernere. Sed eiuſmodi cum ſit nihil, ſtudiaque pacis ſint tui maiores ſecuti, quid arcem, qua tuis nihil opus fuit, dicam eſſe, niſi hieroglyphicum Ægyptium, ſymbolumque aphonum ac mutum, ex ijs ſcilicet, quibus olim Sapientia tradebatur, antequam ea Platonis, & Chryſippi opera loquax eſſe didiciſſet? Iam ergo ſi quæris, ſibi quid gens tua, nota tam obſcura voluerit, vix reor poſſe à vero meam coniecturam aberrare. Gens tua quid ſe facere, quidue facere ſuos poſteros cenſeret oportere, ſignificauit arce, quæ malis artibus eſſet imperuia, inacceſſa, & impenetrabilis: vbi ſepta omnia & occluſa forent vitijs: vbi etiam vigil excubaret diligentia, necunde foribus, aut cuniculis in eam immigraret vlla turpitudo, quæ veterem laudem ſplendoris infuſcaret, ac necunde excluſa tandiu improbitas irrumperet, ac inibi vbi ſemper pudor, honeſtas, atque decorum, velut in ſuo domicilio, inhabitauerat, ſua ſigna defigeret ac explicaret. An portæ, an feneſtræ, an omnino rimæ vllæ in arce tua patuerint nequitiæ, tute documento potes eſſe, Io: Ambroſi, qui vt quidquam dicas aut facias inuerecundè ac flagitioſè, nolis

regnum

regnum mereri. Nam quid faceres inter tot exempla modeſtiæ, atque pudoris natus ac educatus? Quod enim de inſula Galata dixit Plinius, quod etiam de Balearibus, in altera ſcorpiones, ſerpentes in alteris emori: quod item de terra Italia dixit Virgilius, cuius ita fœcunditatem prædicauit, vt ab ea tigres, aconita, leoneſque dixerit abeſſe; quis non verè de tua domo poſſit confirmare, in qua toruum nihil, nihil arrogans, nullæ artes ſycophanticæ, vis nulla, nulla proteruia, nullumque veſtigium libidinis: in qua item nunquam perſtrepit ira, nunquam liuor de quoquam peruertendo cogitat, numquam ſibi leo pellem aſſuit vulpeculæ, denique in qua nemo depuduit vnquam, *profuguſque pudor nunquam ſua ſigna reliquit*. Quæ inibi obſequendi cura? qui voluntatũ conſenſus? quæ fratrum concordia? quæ beneuolentia vniuerſorum? Ac de arce quidem reor me acu rem tetigiſſe, vt ait poeta. Neque enim aliò pertinent aſtra quaterna, quæ arcem ipſam circunſtant ac illuminant: neque aliud ea ſignificant, quàm Io: Auguſtinum & Blancam Mariam parentes tuos optimos, quàm Hieronymum fratrem ſuauiſſimum, quàm Ioſephum auunculum, quem æuo dignum immortali mors peracerba non ita dudum intercepit. Ii tibi pro facibus fuerunt, pro ſpeculis Socraticis, pro archetypis, pro rubis: fuerunt denique tibi ſinguli pro eo cubiculario Regis Perſarum, cui hoc negotij mandatum fuiſſe narrat Plutarchus, vt diluculo cubiculum ingreſſus Regis illi diceret: *Surge Rex, atque ea negotia cura, quæ te curare Dij voluerunt*. Hieronymus Maria quidem certè Candidati frater natu maior, qui fructuoſam atque ad claritatem, amplitudinemque vitæ cum primis conducibilem iuris ſcientiam appetijt, qui etiam anno ſuperiore in laureola deferenda plauſit ſonorè Ticinenſe gymnaſium, adoleſcens eiuſmodi, quem ego propediem inter præcipua noſtræ ciuitatis ornamenta futurum confido, fuit Io: Ambroſio, quod Miltiades Themiſtocli, aliàque via ad nominis claritatem graſſanti curam ingentem inie-

Lib. 35. cap. 19.

v. Georg.

Plaut. Rud 5,2.

de doctr. Princ.

Digitized by Google

iniecit, ne qui eodem prodiſſet è nidulo, non eoſdem ſpiritus gereret, minuſque ſuorum amore dignus haberetur. Mollis cuticula, minimèque degener animus eſt Ambroſio, quem totum inflammauit tam recens gloria fratris, ac tantum domeſticum exemplum, vt quocum eſſet aliquando pars æqua futura in hæreditate cernenda, nunc parem in animo excolendo induſtriam eſſe debere cenſeret. Quas mendas quiſquam lituris aut ſpongia dignas in Io: Ambroſio vidit? qui cum ſic Mediolani, tanquam Lacedæmone vixerit, procul ab omni ſuſpitione flagitij, ſine iurgio, ſine commeſſationibus intempeſtiuis, ſine ineptijs, ita modò promptam habet eloquentiam in ore, ac linguæ verborumque habet tantam volubilitatem, vt tamen ad ſermones molliores frigeat ac torpeat, ad gloriationes ſit mutus, planèque ad obtrectationes ſit elinguis. quid enim Apollini ſuo cum Meduſa ſuccincta colubris, quid oloribus cum coruis, quidue ſuis Muſis cum Furijs conuenire cenſeret? Quamquam adoleſcenti abdito in literis, vt incideret in inſanientes, & fabulis intereſſet petulantioribus, contingebat perrarò .... Neque tamen adoleſcentis tam eximij vos velim, niſi cauſa perorata, fortunas laudare. Vix enim vt quædam reticeam, ipſe mihi poſſum imperare: quæ tamen cum me mea fide narrantem audiueritis, vereor, ne me in hac cauſa paginam vtramque facere, & pro laudatore eſſe præuaricatorem appoſitum dicatis. Attamen ea res eſt, quæ non poſſit ſilentio prætetiri, Io: Ambroſius ſupra omnes Eucliones auidiſſimus eſt, ſupra omnes pullos Venereos ſummus elegantium formatum amator, denique ſupra omnes Apicios heluo voraciſſimus. Dii boni! hoccine eſt laudare, an telam retexere? quò enim penicillo nobis, & quibus coloribus depingis Ambroſium? eis ſcilicet, quibus eum depingi fuit neceſſe. Quid enim, quod pater Cyri, vt ſummam artem imperatoriam filio ſuo traderet, dixit eum, inſidiatorem, diſſimulatorem, fraudolentum, rapacem, & veteratorem eſſe debere? quæ cum ex inopinato audiſ-

audiſſet Cyrus, *Dij boni*, inquit, *qualem me narras, pater, virum eſſe oportere?* Sed anne me creditis, in hunc locum veniſſe, propolam toxici: parteſque recepiſſe dicendi, vt Ambroſium tanquam in iudicio læderem teſtimonio meo, ſtyloque oratorio configerem? Minimè vos remorabor, neque patiar diutius pendere animis, ac ancipites hærere. Ambroſium dixi eſſe heluonem inexplebilem. ſanè verò; ſed librorum, ſed ſplendoris, ſed literaturæ. dixi auidiſſimum: ita mehercùlè. ſed eius laudis; quæ in aptis, ac benè compoſitis vitæ rationibus eſt poſita. dixi ſummum amatorem, ſed doctrinarum, quas ille ſemper formis omnibus antepoſuit. Etenim ſic amat, vt ſit Hippolyto caſtior: ita paraſitatur ac vorat, vt gulæ minimè ſeruiat: ſic eſt auarus, vt opes nemo animo maiore contemnat. Ergo ſi mihi ſuccenſuiſti, Ambroſi doctiſſime, iam redi mecum in gratiam. quid enim tuæ contumeliæ cauſa dicam, niſi ſim magis furens Oreſte? quidue eſt in moribus tuis, niſi ſtudium laudis, niſi dignitas, niſi labor aſſiduus, ac niſi progreſſiones mirificæ? Sed quandiu Viros Ampliſſimos ego remorabor? Sentio equidem me adhuc egiſſe nihil, niſi Ambroſij annos quatuor & viginti in compendium conieciſſe. Num id eſt exornare adoleſcentem præſtantiſſimum, an nugari? an nihil agere? an tantùm laudationem promittere? Voluntatem probabitis, ſi minus poteſtis ingenium. Dixi.

Cyrupæ lib. 1.

In

In Laurea IOANNI BAPTISTAE ROVILLII

PANEGYRICVS.

Vix equidem intelligo quid ſit, quod cuiquam poſſit in mentem venire, me potius ad laudes dicendas aptum præconem, quàm ad complorandum funus præficam idoneam arbitrari. Fallitur enim de me qui ſecus exiſtimet, quàm de coquo artis ſuæ perquàm rudi Poeta exiſtimauerit, quem ob eam cauſam ab Orco relictum fuiſſe ſuperſtitem ait, vt eſſet in terris, mortuis qui cœnam coquere poſſet. quid ergo munus hoc delegari oportuit mihi, cui ita eſt inepta & abſona hæc haud dubiè primarum partium perſona, vt in tanto ſplendore ciuium vix eſſe locus debuerit? Etenim cum regibus illis conuiuiorum, quos cœnarum initio ſortibus, aut inter ſe amicorum ſuffragijs creari mos fuit, vt eſſent, à quibus non ſolùm edendi, bibendique, verùm etiam ludendi, loquendique cæteri conuiuæ leges acciperent, illud magnopere Plutarchus præcipiat, ne balbos canere, nèue caluos caput pectere, aut claudos ambulare iubeant, niſi imperandi poteſtate ſuperbius & impotentius abuti malint videri; mihi ſanè, Rouilli, aut partem aliam quamcunque, aut ne hanc quidem exornandi tuas res geſtas, prædicandique mandari arbitror oportuiſſe quid enim intereſt, vtrum balbum, cuius eſt vox abſona, & lingua impedita, inuitum iniecta manu adducas ad canendum, an eum qui ſit ingenio tardiore, arte perexigua, vſuque modico, copia verò prorſus nulla, ad dicendum compellas? Sed enim vt mihi haſce clitellas paterer imponi, ea me quoque, quæ veſtrum aliquammultos, cauſa

Plaut. Pſeud. 3. 2.

Probl. ſympoſ. Dec. 1. c. 4.

cauſa permouit, ne qui vicinus eſſem & coniunctiſſimus, natuſque in eiuſdem patriæ dignitate ac libertate, committerem vt ſolus ad hoc epulum veniſſe viderer aſymbolus, ſtudioque ac obſequio ſuperari me ſinerem ab alienis ac exteris, qui plurimi & confertiſſimi ſeſe Rouillij ſtudioſiſſimos laborarent oſtendere. Neque ſanè ſum ita ſurdus, aut ita parum molli animo parumque pio, vt non exaudiam, neque vt par eſt, meæ patriæ multo iucundiſſimæ vocibus commouear me excitantis, allegantiſque, vt quando ipſa excita ſedibus ſuis vniuerſa Mediolanum ad honorem Rouillij confluere nequit, ego deſiderio ſuo commodem vocem qualemcunque meam & linguam, & ſibi in cauſa optimi & ornatiſſimi ſui ciuis hanc vicem, & hoc officium perſoluam. fruſtra tamen mihi obſtreperet patria mea, & ſi quid patriæ nomine ſanctius eſſe poteſt ac iucundius, niſi eſſet Rouillius quotidie ad omnem honeſtatem attentior, in dieſque magis & curas intenderet, & extenderet vigilias; cæteraque illa valere iuberem, ac ita vellem tum communis patriæ iura, tum conciliatam nouis nuptijs & conglutinatam cum Rouilliorum familia affinitatem, tum omnem omnino rationem ac neceſſitudinem ad priuatorum officiorum opportunitatem reſeruari, vt campo excedere hodie, & in hanc lucem non venire iuberem. At cum is, qui meus tribulis, eſt, & mihi præterea multis vinculis copulatus, ſit idem verecundiſſimus, doctiſſimuſque & multo iucundiſſimus, dabitis opinor ſtudio amorique meo veniam, ſi per me potius, quàm per quemquam alium exornari Rouillium voluero. Ego verò in libero atque ingenuo Rouillio eam mihi legem eſſe latam putabo, quam mangonibus & inſtitoribus tulit Vulpianus iuriſprudentiæ antiſtes, quos producere, ac vendere mancipia vetuit, niſi de quorum natione docuiſſent. Etenim cum magno quiſque callidus emptor ponat in diſcrimine, multumque ſua putet referre, Lydius ſit an Cres, Græcus an Afer, denique Italus an Belga, quem ad ſeruilia miniſteria ſit adhibiturus, D. de ædilib.

rus, & cuius ſe, ac ſua debeat fidei committere; quod cuiuſque nationis ſunt quædam propriæ dotes ac propenſiones, quæ naſcentibus adhæreſcunt, & hominum animis altius infiguntur, quàm vt facilè vllo ſtudio euelli, eradique poſſint: minimè nec abſurdè, nec intempeſtiuè faciam, vt vobis de Io. Baptiſtæ Rouillij patria indicem, quod è genio loci, qui eum naſcentem excepit, ac pueri vidit crepundia, præmaturè Rouillij de ingenio poteritis aliquid conijcere. Luganum ei patria contigit, oppidum cum primis frequens & antiquum: hoc eſt, ea pars Italiæ, quæ modò tam digna eſt ſua libertate, quàm aliæ multæ ſeruitute. huc addite ſitus venuſtatem, emporij nundinarumque opportunitatem, leporem varietatis, temperati cæli ſalubritatem, opum affluentiam, conditionem libertatis, felicitatem ingeniorum, denique morum mirificam humanitatem. Parce mihi, patria mea, ſi cum Sophocles, quantum ingenio valuit, agrum Atticum, in quo genitus fuit, extulerit, ego tibi cumulatè gratiam referre non poſſum. quibus enim verbis tua bona poſſit vlla dicendi facultas exæquare? Niſi fortè, quod Indorum natio vaniſſima falsò prædicat de Armutia ſua, quæ ſerit nihil in perarido agro ſuo, ac nihil metit, neque culti ſoli vllum veſtigium oſtendit, nos idem iure maiore de Lugano prædicamus, *ſi tota Italia annulus quidam foret, hanc futuram gemmam fuiſſe*. Quis ita iuges & piſcoſos amnes, quis ita vitreos tuos fontes commendet, vt vina, quæ apud te, patria mea iucundiſſima, vberrima & generoſa proueniunt, prætereat illaudata? quiſue ita opportunitati lacus inclyti tribuat aliquid, vt colles tuos vndique felicibus arboribus veſtitos, meritæ laudis præconio defraudet? ager frugum fertilis, bonuſque pecori: genus hominum ſalubri corpore: pleroſque ſenectus diſſoluit. Ea porro ſpecies eſt & elegantia ædificiorum, quæ toti litori prætexuntur, vt qui illuc vectantur nauibus, neutiquam ſe ad celebre aliquod municipium, ſed ad vnam aliquam ex Inſulis Fortunatis nauim appulſuros arbitrentur.

In Oedipo Coloneo a p. Petr. Victor. l. 36. c. 14.

bitrentur. Quò ſi aut voluntate ſua, aut errore ac tempeſtate delatus fuiſſet Vlyſſes ille Homericus, minimè hercle dubito, quin loci captus amœnitate, multoque amplius comitate incolarum, Ithacam illam ſuam adamatam, illamque tot procis expetitam Penelopen, & quidquid vſquam Ithacæ optatiſſimum & iucundiſſimum habuit, fuerit ex animo deleturus. Quod ſi charitates omnes patriæ nomen complectitur; quid, amabo vos, ea de patria dici, cenſerique fas eſt, quam Deus Immortalis non quibuſuis,ſed ſibi chariſſimis condidiſſe viſus fuit? Neque ſanè, ſi non ſorte, naſcendique fortuna, ſed iudicio tuo tibi, Rouilli, patriam elegiſſes, video quam huic anteferre potueris,in qua tam parata copia rerum omniũ eſt,tanta vilitas annonæ,tanta clementia cæli, tanta conuehendarum & auehendarũ mercium facultas, litium atque controuerſiarum decidendarum ratio tam expedita, denique vbi quotidie tam vberes, atque tam ſuaues capiuntur fructus libertatis. Quotus quiſque in hac noſtra prouincia Mediolanenſi, atque apud alias fermè omnes Europæ nationes non eſt inter bella natus? quæ ſanè dum nuper deuotis animis velut œſtro percitæ ruebant in mutuam perniciem, commotoque orbis terrarum ſtatu,perinde quaſi Eris Homerica malũ illud ſuum contentioſum inter hominum cœtus demiſiſſet è cælo, bello exitiabili committebantur inter ſeſe: atque dum reges & prouinciæ ita bellicis terroribus, cladibuſque permiſcebant omnia, vt vrerent viciſſim & popularentur ſata ac ædificia, & quæ ſibi ſuiſque ſeuerant agricolæ, ea miles horridus interuerteret; Luganum interea poſitum extra omnem aleam belli nec metuebat quidquam, nec quemquam territabat, ſecurumque ſui clades miſerabatur aliorum, condenſque in cellas, & in horrea ſua tum meſſes, tum vindemias aurea ea pace ac tranquillitate quam ſuperi tot regnis ac populis minus indulgerent, iucundiſſimè perfruebatur. hyberna militum ac æſtiua, quæ tot miſeros populos non argento ſolùm, ſed penè iam etiam ſanguine iamdudum emungunt, ſunt

apud Heluetios penè ignota vocabula; qui etiam quid ſit teſſera militaris, quid merere ſtipendia, quid ferre vallum, quid denique ſit adeſſe ad ſigna, ſuſpicari vix poſſunt. Iam verò illud, Rouilli, cuiuſmodi eſt, quod patria noſtrum vtrique communis fœta ſemper fortibus viris ac induſtrijs, quoquouerſum in omnes partes Europæ dimiſit hactenus peritiſſimos artifices, pictores præſtantiſſimos, ſolertiſſimoſque fabros & architectos? quid quod bellicis muneribus tot ordinum ductores, militeſque promptiſſimos, Eccleſiæ tot antiſtites optimos, Regum aulis tot conſiliarios, atque ad res pacis, bellique adminiſtrandas tot viros ſpectatiſsimos, denique Academijs & Muſarum ſtudijs homines tam ingenioſos, tamque multos ſuppeditauit? quid denique quod Roma, quod Germania, quod Hiſpaniæ, quod Gallia, quod Poloni, quod Veneti, quod quidquid eſt in Europa Dynaſtarum ac Principum ad res maximas gerendas toties noſtrorum ciuium operam ac induſtriam experiuerunt? Mirifica noſtris hominibus ineſt indoles: & cum multos creſcendi ſtudium, aut etiam res domi peranguſtæ foras ad ſtruenda panibus retia propuliſſent, qui ſecum nihil amplius, quàm ſarcinulas miſeras, aptumque ad omnia ingenium extulerant, breui, tanquam eis agendi audendique auctor adeſſet Vlyſſea Minerua, ad gloriam, & opes emerſerunt. Nam quod Liuius meo ſanè iudicio *Romana princeps in hiſtoria*, pro ſua re nata commemorauit; *Generoſius in ſua quidque ſede gigni; inſitum aliena terra, in id, quo alitur, natura vertente ſe, degenerare*, cum alia multa vanitatis arguunt, tum præcipuè populares mei, quorum qui domi ſedere malunt, pleroſque torpere videmus diſcinctos, & ſeneſcere inglorios. qui verò demigrant aliò, eos ipſa peregrinitate neſcio quo modo exacui cernimus, efferreque ſe mirificè, & præclaris fortibuſque factis ad cenſum, atque ad hominum exiſtimationem peruenire. Permirum eſt, quod de Boeotia *dia poemata narrant*, è ſulcis, in quos Cadmus dra-

Decad. 4. lib. 1.

Pauſan. & Diod.

draconis dentes condiderat, homines armatos proſiliiſſe, qui ſe mutuis vulneribus confecerint. quid verò tantum nugatur poeſis, ac tam impudenter audet mentiri? Vnam ſcilicet vniuerſæ Boeotorum genti ex armorum ſtudio laudem attribuit, quam ita à pueritia militiæ laboribus aſſuefieri, in armis decurrere, facere ac pati hoſtilia, fnndereque mutuum ſanguinem, denique armatam armatorum iaculis emori ac extingui ait, vt illi arma puppis eſſent ac prora, fabulæque actus omnes; quæ ſi quis detraxiſſet Boeotis, eis non aliquas præcipuas, ſed planè omnes vitæ partes abſtuliſſet. *homini homo quid praſtat? genti gens quid intereſt*? Neque enim aliqua re vna tantùm valent tribules mei, ſed quocumque ſe intenderint, & quocunque vſus aliquis aut dignitas inuitauerit, ita cuiuis ſuam operam & probabunt, & adhuc probauerunt, vt quod in fabulis de Chærea prædicauit Parmeno Terentianus, de iiſdem commodiſsimè poſſim vſurpare: *Fac periculum in literis, fac in palæſtra*, quæ ſcire ingenuos decet, ſolertiſſimos dabo. In quo teſtimonio ne quis fortè me patriæ, meorumque amori impenſius indulgere ſuſpicetur, hic mè locus monet, vt cum hactenus vniuersè ſim locutus, iam aliqua regionibus negotiiſque, ac perſonis notata producam; in quo literarum parentem Homerum imitari non dubito, qui neminem viuum magnis laudibus extulit; cuius exemplo in percenſendis aliquot ſummis viris, qui Lugano profecti res clariſſimas geſſerunt foris, eorum qui modò ſuperſtites ſunt ac hodie ſuam Spartam exornant, nominibus abſtinebo. Io. Petrus Lagus ciuis fuit Luganenſis. is Tridentum profectus ad Carolum Emmanuelem Madrutium Epiſcopum, ſtatim in ſanctius atque interius eius conſilium adlectus fuit, & cum æquè doctrina, atque vſu rerum ac prudentia excelleret; ita charus dynaſtæ iucunduſque vixit, vt princeps amicorum haberetur. Alexander item Lagus, eiuſque gentilis Nicolaus, duo ex illa vetere ac ſeueriſſima diſciplina integerrimi viri fuerunt: quorum hic Mediolani editis multis & pra-

Eunuch. 3. 2.

præclaris ingenij ſui monimentis rationem excogitauit, qua plurimis vel mortuus poſſet prodeſſe: ille cum eſſet Abbas in Auſtria ſuperiore, & eius prouinciæ Primas, in eo penè vltra virilem modum contendit, vt ſyncerum Dei cultum, quem ſummo certamine animorum abolere furiæ ſtudebant teterrimæ, ſartum tectumque conſeruaret. Sedenim quandiu Romæ ante D. Petri Baſilicam in area media ſtabit obeliſcus ille Ægyptius, opulentiæ regum barbarorum otioſa ac ſtulta oſtentatio, tandiu omnium in ore nationum nomen erit equitis Dominici Fontanæ, qui cum nullæ machinæ ponderi poſſe ſufficere viderentur, maiuſque opus in ſurrigendo coloſſo, quàm fuiſſet in excindendo, futurum appareret, rem comploratam ab alijs architectis, inauſamque & intentatam ſuſcepit, atque demirante viri induſtriam hominum genere, & eam Sixto V. magnis præmijs proſequente, ſtatuit obeliſcum. Sebaſtianum Gorinum, qui me puero in priore Vercellenſi expeditione ordines duxit, virum ſummo conſilio, dignitate, auctoritate, ac magnitudine animi, clarumque militari induſtria, promptaque benignitate & perpetuo gratificandi ſtudio iucundiſſimum, minimè ſanè vellem, tandiu tantum priuatæ ſimultates ac inimicitiæ exercuiſſent. Rebus maximis gerendis adminiſtrandiſque facilè tanta vis ingenij ad ſummam claritudinem potuiſſet peruenire, niſi factioſorum odia acerbiſſima virum cumprimis promptum ac vehementem, ſuæque dignitatis tenaciſſimum plus æquo diſtinuiſſent. Quis Iſidoro Blanco pictori, qui paulo ante ſenectute confectus extrema deceſſit, & qui mores ipſos hominum, animoſque comprehendiſſe pictura videtur, non annos Neſtoreos optauit? quis morti non ingemuit Mauri Iouij, qui patrum noſtrorum memoria cognomen ex re ſortitus, quod ſuis, quod alienis eſſet arte medica opitulator futurus, pro vno quem relatum è funere ſeruauit Aſclepiades Pruſienſis, ac pro vno Tyndaride, quem Æſculapius ad vitam reuocaſſe fertur, tam multos in integrum reſtituit, peneque iam conclamatis

tis

tis vitam prorogauit? Qua facultate penè cenſum auxit in immenſum; vnde ſcilicet Veſtalibus è ſua gente cœnobium extruxit; vnde Iouijs virginibus grandem pecuniam legauit in dotem: ac vnde auri certum pondus, quo ſuæ familiæ iuuentus foris aleretur in Academijs, ſuppeditauit. quàm fuit ante annum centeſimum illuſtre nomen Franciſci Mariæ Belaſij, qui tribunus militaris in Gallia fuit, militumque prætorianorum centurio deceſſit? quàm item fuit illuſtre nomen illud Ioannis Franciſci Caneualij, cui extero & peregrino haud grauatè Rex noſter magnos magiſtratus mandauit, atque à Laudenſi præfectura rerum capitalium Cremonam, ac inde Mediolanum deuocauit, vt in vmbilico prouinciæ iudicis munere fungeretur? quo te, Antoni Olgiate, piaculo prætercam, virum & ſumma eruditione, & ſumma virtute, & ſumma dignitate, ac Eminentiſſimi Federici Borromæi tam diu tam iucundas delicias? qui plurimis ciuibus ad eloquentiam, tuæque gloriæ ſucceſſionem per annos XIV. inſtitutis, & peragrata conquirendis & coemendis libris Gallia vniuerſa nihil magis fuiſti meritus, quàm vt in Ambroſiana Bibliotheca, cui tandiu fide tam egregia præfuiſti, ſtares aureus. his addite Bernardum Statium, & Io. Petrum Caſtellum, qui præpingue fugitantes otium domeſticum Venetias Mercurio propitio migrauerunt, vſque inibi in negotiando, atque fœneranda permutandaque pecunia tum fide eximia, tum induſtria & fortuna ſingulari ad tam amplam & præclaram pecuniam peruenerunt, vt alterius poſteris in ordinem Nobilium Venetorum aditus patuerit, alterum, ſi vita longior ſuppetiſſet, prætergreſſurum Craſſum diuitijs appareat. Neque te ſanè ſileri in hoc cenſu virorum præſtantium oportet, magnum noſtrarum regionum lumen, Io. Baptiſta Verdemberge, qui factionum tædio in Germaniam ad aulam Ferdinandi II. profectus, liberaliter dexterèque obeundis muneribus, vitæque elegantiſſimæ veriſſimis laudibus ſic tibi Cæſaris animum deuinxiſti, vt in ſummum gratiæ locum, atque

penè in familiaris amicitiæ iura adductus & Comitis, & magni Cancellarij, & Cubicularij clauis aureæ dignationem, cumulatis breuiſſimo tempore honoribus, fueris conſecutus: idemque ita primas partes apud Ferdinandum egiſti, vt eius primo tranquillis rebus, & poſtea turbulentiſſimis tempeſtatibus tum arcanorum arbiter omnium extiteris, tum omnium auctor conſiliorum. Cuius fidem cum Cæſar nunquam ſatis pro ſua munificentia dignis præmijs videretur proſecutus, tantum inſtitit indulgere, vt demum annuo centenorum millium cenſu ſic priuatorum exceſſeris modum, vt Satraparum exæquaueris. Claude agmen, Antoni Ruſca Sondrij Archipresbyter, quem nulla poteſt ſatis pro meritis immortalibus eloquentia commendare. ætatis enim fermè toto ſpatio in ſumma contentione, atque in antiquæ religionis propugnatione confecto, eidem ad extremum etiam vitam inter ſummos cruciatus impendiſti. Splendori huius oppidi ſi quantum Brocchi, Moroſini, Pocobelli, Rouillij, & Quadrij contribuerint, exequi vellem; quantumque Somatij, Maderni, Camutij, Caſtanei, Parenchini, Neuroni, aliæque illuſtres familiæ, europæ faſtis notiſſimæ, quæ perſæpe claros omni genere laudis viros pepererunt, mihi hodie rem properantius agenti, quàm vt in ſingulis debeam diutius hærere, maxima hiſtoria naſceretur. Sed enim dum paucos è multis commemoro, diutius fortaſſe videor euagatus, quàm vt vos, qui dudum expectatis, vt ſcenæ Rouillium ipſum exhibeam, modicè ferre poſſitis. In patria igitur bonis exemplis ditiſſima, vnde plures heroes prodierunt, quàm quot ad Thebas fortiter pugnantes occubuiſſe feruntur, natus Rouillius fuit; ac ita natus, non vt qualiſcunque ciuis eſſet, neque vt ſtertendo nugandoque dies conſumeret, ſed vt Laconis illius exemplo per omnes gradus meminiſſet virtutis, & nitendo, ac ijs premendis veſtigijs, quæ viri fortes impreſſa reliquiſſent, eorundem ipſe aliquando numerum augeret: quem cum ad ſimilitudinem ſtudiorum ſuorum ſui maiores vocarent, atque

cum

cum foribus ædium Io. Baptiſtæ Rouillij patrui ſui, viri grauiſſimi, & mihi coniunctiſſimi præfixum lemma doceret, quàm perennis tuæ gentis gloria fuiſſet, eadem ſcilicet cura candidatum noſtrum exacuit, ſe vt ſuis dignum probaret, quæ olim Socratem, vt illud editum de ſe ipſo Pythium oraculum genere vitæ optimo, moribuſque ſanctiſſimis comprobaret. Franciſcum patrem habuit, hominem antiqui moris & officij, matrem præſtanti pudicitia ac pietate matronam, ac vnam ex eis mulieribus, quarum Ariſtoteles eam naturam eſſe ſcripſit, vt ſimillimos genitoribus edant fœtus; cuiuſmodi equam illam apud Pharſaliam ait fuiſſe, quam quod pullos equis, à quibus eſſet inita, ſimillimos ederet, Iuſtam antiquitas appellauit. Pari fortaſſe cura, ſed euentu vtique meliore Franciſcus hunc filium inſtituit, quàm ſuas & filiam & neptes Auguſtus, quas vetuit loqui, aut agere quidquam, niſi propalam & quod in diurnos commentarios referretur. Illud ſcilicet referretur in commentarios, quemadmodum omni probro domum. Cæſaris contaminare non vererentur, ſuamque adulteris quotidie pudicitiam ſubſternerent; quibus poſtremo auus, parenſque Auguſtus tecto igneque interdixit, ac in Inſulam Pandatariam relegatas ne ſupremis quidem tabulis nominauit? Nepotibus ille quidem magis lætus fuit, niſi mors eos ſuſtuliſſet præpropera & peracerba, in quibus educandis mirificum illud fecit, quod eos & literas & natare docuit, & quod nihil æquè laborauit, quàm vt chirographum ſuum (vtor enim Tranquilli verbo) graphicè diſcerent effingere. hoc quorſum attinuit, quod natandi peritos eſſe nepotes voluit? quidue attinuit, tantum in eo Auguſtum laborare, ſuos vt characterum ductus, atque ſuam vt manum ſcirent nepotes imitari? Conſilio fecit maiore Franciſcus, vt ſuos liberos inſtitueret de pietate benè ſentire, à Deo auſpicari omnia, vitæ rationes ad id, quod eſt optimum accommodare atque componere, induſtriæ ac morum ſobrietati aſſuefieri, ac à ſe veros labores ediſcere, denique quod

Ariſtot. Politic. 2. 2.

Sueton. Aug. c. 64.

Tacit. li. 1.

ipſe iugiter feciſſet, ad vitæ beatæ immortalitatem aſpirare. optimè, ita me ament Muſæ omnes. Nihil eſt enim, in quo patri familias ſit vigilandum magis, quàm in liberorum educatione, ne quemadmodum lignis teneris ac dulcibus teredines innaſcuntur, ſic puerilibus ingenijs, liberaliterque inſtitutis placere incipiat laſciuia, & ad vllas prauas opiniones illa teneritas ætatis traducatur. Cum Ioannem Baptiſtam parens ad omnem finxiſſet virtutem, quod perfacile fuit in eo adoleſcente, qui erat bonam animam ſortitus, hoc eſt, cum dediſſet filio, quæ fuerant ſuæ facultatis, doctrinas & omnem cultum animi eum aliundè petere iuſſit: & quemadmodum Athenas olim in Græciam, aut Lugdunum, Maſſiliamque in Galliam, ſic ipſe filium ſuum in hanc vrbem, veluti in mercatum literarium ablegauit, Collegioque in Heluetico incluſit. Præclarè mehercule functus erat munere patris, cum ecce mors Franciſcum extinxit. quo animo filius re ictus tam inexpectata tantam calamitatem ſubiuit? eo animo ſubiuit, quo parens docuerat omnia fortuita ferre: eo quò noſtra religio iubet diuinis decretis aſſentiri: eo, quo dignum fuit illo, qui ad omnem laudem properaret: eo, quo illum oportuit, qui ſe mortalem ſciret genitum à mortali: denique eo, quo confideret moribus caſtiſſimis patrem ad ſuperos exceſſiſſe. Patrem vix extulerat Rouillius, quum è collegio ſibi ſtatuit exeundum, ſuiſque iam auſpicijs vitæ ſuæ rationes moderandas ſuſcepit. quid ergo paterno ſublato reſpectu faciet adoleſcens & liber, & locuples

Horat. & experrectus? *Vagane*, vt poeta inquit, *proſiliet frænis natura remotis*? feciſſet hoc ſanè, ſi ex ea natura quarundam arborum fuiſſet, quæ ſemper, niſi fulciuntur, cadunt: ac niſi verum illud eſſet, de quo

Gaſpar Sciop. in elementis Philoſophiæ Stoicæ. Adraſtus Euripidæus Theſeum admonuit, eos qui à teneris ad virtutis & honeſti ſtudium ſunt inſtituti, vix poſſe ſui poſtea diſſimiles eſſe & quodammodo à ſe ipſis diſcedere. Cui ab initio virtus placuit, & cuius bene agendi exercitatio atque conſuetudo inueterauit, ſi leges pereant omnes, & ſi ſcelerum vindex

omni

omnino ſit nullus, nullis tamen conditionibus perſuadebit quiſquam, vt à recto demigret, & è via, quam eſt ingreſſus, excedat. Non is erat Rouillius, quem aliorum aut conſilia aut exempla poſſent auferre: ſed enim ne quid eiuſmodi poſſet contingere, aures ſibi *cera ſicula de naue petita*, vt ait Poeta, occluſit, ne quid veneni ſirenulæ blandæ, eædemque peſtilentes, & maleſuadæ poſſent in animum inſtillare. Nihil enim diligentius cauit, quàm ne cum quoquam conſueſceret minus apto rationibus ſuis, qui mallet omnia, quàm vitæ rationes moderatas. eos, qui leges nullas norunt, qui de hominum exiſtimatione non laborant, & quos honeſti cura non tangit, magis odit odio Vatiniano Rouillius; memor quid Sophocles dixerit, qui ſi quis malorum gaudeat conſortio, negauit qualis ſit, eſſe rogandum; memor etiam quid ſenſerit Hermagoras, qui eſſe virginem Atalantam toto capite renuit, quod cum iuuenibus per ſyluas vagaretur. Hiccine conſuetudine vtatur improborum, qui etiam cum in patriam redit, rarus in publico eſt, rarus in foro, fermèque ſemper aut domi conditus, ſecum degit vitam, & cum Muſis: aut ruri hominum peregrinatur ab oculis, & è rerum varietate innocuas & iucundiſſimas capit voluptates? Paucorum hominum eſſe neſcio quem regem dicebat Thraſo Terentianus: imo nullorum Rouillius, niſi qui ei ſe modeſtia, pietate, morumque ac ſtudiorum ſimilitudine probauerint. De Platone illud memorant, eum ſi quando in aliquos incidiſſet, qui facerent indecori quidpiam, digreſſum apud ſe dicere conſueuiſſe, *Nuncubi ego talis*? Cuius tu, Rouilli, ſummi viri exemplo quoties in te ipſum inquiſiſti? quoties ipſe te totum excuſſiſti? quoties ipſe tuos mores exploraſti ad vnguem, an quid vſquam ineptiarum? an quidpiam leuitatis? an quid vſquam immodeſtiæ aut importunitatis? vt ſiquid hiaret, ac à cæteris tuis moribus diſſideret, diſciplinam ſtatim, quaſi regulam & & normam aliquam Socraticam poſſes adhibere. Ego quidem Domitiani rideo vaniſſimam quandam

Iuuenal. ſat. ...

In Phœn

Petr. Victor. in Ariſtot. Rhetor.

Eunuch. 3. 1.

Plutar. de vtilitate inimicit.

&fu-

& futilem magnitudinem animi, qui cum ſe in ſpeculo canum eſſe videret, dicebat, *Forti ſe animo ferre comam in adoleſcentia caneſcentem*. quantulum enim eſt comam caneſcere, & quàm vanum ad gloriam, niſi conſilium, niſi animus, niſi conſtantia & grauitas accedat? In Socratico ſpeculo ſi ſe inſpexiſſet, & ſi quàm à cano capite diſſiderent alia, vidiſſet, habuiſſet profectò, plus nimio, quod ſuas illas criſtas demitteret, ſibique inani gloriatione abſtinendum putaret. Canum in adoleſcentia nos iure dicemus Rouillium, qui quæ ſe ſplendore quodam inani, quæ ſenſuum titillatione, & quæ dulcedine tantùm aliqua commendant, proterenda, conculcandaque iudicauit, nec ſibi aliunde, *quàm ex bona conſcientia*, vt inquit Ep. 23. Seneca, *ex honeſtis conſilijs, ex contemptu fortuitorum, denique ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam*, voluptateſque multo ſæpius excludentis, quàm admittentis, vitam exhilarandam putauit. Cuius ſi verum ſimulacrum vobis fingere vultis, fingite adoleſcentem laborioſum, iudicij ſobrij, vitæ incuſpatæ, morum liberalium, & omni ſuauitate temperatorum, non ineptum, non commeſſatorem, non amatorem, denique Thraſonis diſſimillimum, ſimillimumque Amphiarai, qui vt ait vetus Poeta, *fortiſſimus eſſe, non haberi volebat*. At enim cum te, Rouilli, æquo iure viuere iuuet cum alijs, cum etiam moderatis vti rationibus & ciuilibus inſtiteris, quid geminos leones habes in ſtemmate, qui ſanguine aluntur ferarum, & in cæteras animantes quandam impotentem tyrannidem gerunt? quid enim illi ad tuæ gentis mores iucundos & manſuetos? Multa cum expendi mecum, mirum videtur mihi, niſi leones vigilantiæ veſtræ, niſi magnitudinis animi, niſi dignitatis ſimulacrum gerunt. Niſi fortè pro eis tauris igniuomis, quos velleri Colchico fuiſſe cuſtodes appoſitos ferunt, pro vobis excubant leones & pro veſtra familia, quæ inſtar illius arboris poeticæ ſemper vberes, eoſdemque aureos fœtus effudit. Nam quod aiunt leonum medullis altum Achillem fuiſſe;

Æſchylus.

ſcilicet

ſcilicet hoc commentum eò pertinuit, vt ſignificarent inſolitis ac inuſitatis alimentis inuſitatam eſſe Achilli quæſitam ferociam, & vires, quibus funderet acies, ederet ſtragem armatorum, pelleret loco & ſubuerteret contra quemcunque ſtetiſſet, ſubrueret mœnia, imperiaque excinderet, & more torrentis quacunque ferretur vaſtita tem afferret. Leonum medullis aut inteſtinis quid opus Rouillio fuit, quem à militiæ ſanguinarijs ſtudijs alieniſſimum floribus pauiſſe Muſæ videntur, melque hymettium in os immulſiſſe, vt ſtudijs excultus pacis aris aliquando in pura ſtola miniſtraret. Huc facere viſæ literæ, ſummæque doctrinæ fuerunt, quas comparare maioris hercle moliminis, maioriſque contentionis opus eſt, quàm quantæ homines rudes ac indocti poſſint ſuſpicari. anne quod in ſtudio literarum non ſit ingemendum aratro, neque fodiendum incurus, nec denique ilia in opere ducenda, ramiceſue rumpendi, propterea literas ediſcere nullius eſſe negotij exiſtimatis? Nemo veſtrum, qui me tam auditis humaniter, non id, cuiuſmodi ſit, habet exploratum & compertiſſimum. Diui boni! id nullius eſſe negotij quiſquam dicat, cui Io. Baptiſta Rouillius eximio & peracuto adoleſcens ingenio poſt rudimenta pueritiæ ita quidquid interea interceſſit ætatis totum impendit, vt quotidie redierit labor exanclandus, quotidie fuerit ſaxum Tantaleum trudendum aduerſo monte, deducenda quotidie nauis, pelagoque committenda, denique quotidie tela inſtituenda & contexenda? Tibi certè non ſtetit pretio tam exiguo tua exquiſita doctrina, Rouilli, qui quod diurna ſpatia perangusta viderentur, illud habuiſti ſolemne, vigilias vltra communem modum extendere: & ſæpe *hora, qua nemo faber, qua nemo ſedebat, qui docet obliquo lanam deducere ferro*, aſſediſti pluteo literuliſque tuis, oculoſque tuos & caput vexauiſti. **Iuuenal. ſat. 7.**
Sic tibi dies abierunt, ſic noctes, pleriſque altè ſtertentibus, crapulamque edormiſcentibus heſternam, horas illas, quæ ſolent eſſe quietis dulciſſimæ, vigiles extrahere moris habuiſti, ac modò moris ha-

bes;

bes; ſæpe dum te vicinia, dum te domeſtici alto ſopitum ſomno eſſe arbitrantur, tum maximè, ac tanto libentius, quanto magis ſine arbitris, qui te obturbent aut interpellent, tuam laudem negotiaris, *Nocte quidem*, vt ait poeta, *ſed Luna videt, ſed ſydera teſtes intendunt oculos*. ibid.

Sed longa oratio eſt, & vos fortaſſe tamquam conuiuæ ſaturi menſas huiuſmodi ac epulas iamdudum optatis amoueri. Veſtra benignitate ſum vſus intemperantius, gnarus me inter Inſubres, non inter Atheni enſes dicere, quos apud ſi quis orator vltra ſpatium lege aut conſuetudine definitum nugari perrexiſſet, eum præco bacillo, tanquam virgula quadam cenſoria, coercebat. (Scholiaſ. Veſpar. Ariſto.) Tu verò, Rouilli doctiſſime, viue memor patriæ, & proba quales foris ſoleant noſtri ciues eſſe, ſi paululum adnitantur. Nos populares tui & adhuc ſpectatores, plauſoreſque fuimus, & porro futuros confidimus. Dixi.



In

In Laurea
CAROLI AVGVSTI MEDICIS
In Oppido Treno Præpoſiti
PANEGYRICVS.

QVid verò ad me recta ſeruus atrienſis in veſte fulgenti cum mandatis venit? quidue quieſcentem, ac tota huiuſmodi ſcena perfruentem excitat ac obturbat? An ſcilicet imitandus mihi eſt Ariſtophanes ille Platonis è conuiuio, cui cum ſors dicendi obtigiſſet, ſingultum quo minus loqueretur, excuſauit? immo verò cum primùm compertum eſt mihi, quæ res hodie per vos, Viri Clariſſimi, agenda foret, & cuius honos adoleſcentis ageretur, continuò ſic ipſe mecum conſtitui, non alium, quàm locupletem & eximium oratorem, quemuis tamen potius, quàm me ipſum, me autem potius quàm neminem adeſſe cauſæ, negotioque huic vniuerſo imponere colophonem oportere. Cum enim ille mos eſſet apud veteres, vt in fabulis agendis actionem histrionum ſymphonia commendaret: cum vix vlla ſacra fierent, in quibus neque chori, neque tibicines canerent: cum denique mediocris fermè nullus ciuis conuiuium paulo apparatius inſtrueret amicis, quin pſaltrias & fidicinas introduceret, epuliſque tibias adhiberet, cui demum neque manca, debilis & mutila, neque monſtroſa, deformis & inauſpicata hæc noſtra videretur inauguratio, eam ſi nullum clauderet oratorium acroama? Hæc me perpulerunt, vt rem non mei ingenij temerè ſuſciperem, meque Carolo Auguſto Medici honoris auſpicem præberem. Sed

Plato lib. 14.

enim

enim volenti mihi ſolemnem formulam concipere inijcitur ea religio, quæ me ſanè commouet atque perturbat; ne dum ipſe perpetua oratione de iuuene eximio pergam iudicare, alij de impudentia mea iudicent, deque illa ſecum ipſi ſententiam ſeueriſſimam ferant; quod me oratoriè, hoc eſt, ornatè, copioſè, ac luculenter de ijs rebus dicturum profitear, quarum de magnitudine ſplendoreque ne poſſim quidem ſuſpicari. Attamen cuncta reputantem timidius, quàm ratio ferat inſtituti negotij, veſtra confirmat tum æquitas, tum humanitas: vetatque me timore intempeſtiuo ſtatim velut ad limen impingi, & ſecus quàm oportet exiſtimare de vobis, Viri Clariſſimi; qui quod ego amici cauſa ſuſcipiam maius aliquid, quàm quod aptè ſuſtinere poſſim, conatum, ſtudiumque laudabitis meum: quod verò faueam eius honori, cui aliquando rhetorices præcepta tradiderim, profectò probabitis pietatem: quod denique, cum ſine præconis munere hæc ſacra peragi, penè religioſum, certè inauſpicatum ſit, tentem ſi quid eiuſmodi poſſim præſtare, religionis quoque laudem ac teſtimonium tribuetis. Ergo valeat ille in dubijs quibuſque rebus *triſtis augur metus*, neque me iucundiſſimo parantem amico Hilaria, corollas, & lautia, more exemploque Poeticarum harpyarum circumuolitet ac obturbet. Neque ſanè dubito, quin illud mihi ſæpe ſit vſuuenturum in hac re, quod agreſtibus hominibus ruptoque de robore natis vſuuenit, quos primum vrbem hac noſtram ingreſſos, inſuetoſque tantis ſpectaculis, vbique ſuſpenſo veſtigio hærere, perſæpe non ſine riſu vidiſtis, & alicubi pictorum periſtromatum colores, alicubi ſubſtructiones baſilicarum; & tum publicam, tum priuatam magnificentiam ſtupore defixos intueri, ſibique ipſos in alium orbem terrarum delatos videri. Maior meos oculos tum copia, tum dignitas rerum ſubibit; vt propterea rogandi mihi ac obteſtandi ſitis enixè, ne vitio vertatis mihi, ſi Caroli Medicis velut in domum nouus hoſpes ingreſſus, in tantis inſignibus imperij, quæ ſul-

Papin. Stat. in Thebai.

ſuſpenduntur ab eius poſtibus, in tot imaginibus illuſtrium auorum, quæ ipſius atrium exornant, ac in tanto ſplendore gentis hæſero, notaque annalibus nomina virorum & operum immortalium ſtudioſè cognoſcens immorabor. Haud ſanè contigit mihi, vt in hac vrbe natus *Inſubriæ* principe, atque tot fortium virorum parente ac altrice, hanc patriam poſſim iactare, quæ per aliquos condita, per aliquos inſtaurata, per alios amplificata, vni Medicææ genti tantum debet, quantum perſoluere difficile ſit: tamen verſari inter ciues ſtudijs vnius familiæ ornatiſſimos, viſereque eius quotidie monimenta maiorum, ac meminiſſe quantum dignitatis ordini ampliſſimo, & per quem acceſſerit, non poſſum, quin me libenter ijs aggregem, qui obſtricti memoria beneficiorum ſempiterna, ſi Medicææ genti ſanguinem & ſpiritum impenderint, nullam ſe meritorum eius partem aſſecutos arbitrentur. Et quamquam viget adhuc recens in ciuium gratorum mentibus recordatio tum eorum quibus in armorum tractatione, omnique munere imperatorio nihil fuit promptius atque ſolertius: tum eorum, quibus in ſummo faſtigio rerum humanarum orbis terrarum venerabundus ad pedes procubuit; ſi tamen fuiſſent hæc olim aut ſtatim poſt Brennum huius vrbis conditorem, aut ante Fridericum euerſorem: neque ea nobis parentes noſtri per ſe comperta & viſa cupientibus enarraſſent; Nonne huius, quem hodie cunctis ſuffragijs exornaſtis, vnius adoleſcentis dignitas redire nos cogeret in memoriam maiorum ſuorum, & aliquos velut fontes requirere, ex quibus hæc tanta vis bonorum, hæc tanta ſpecies virtutis, tàm rara laus integritatis, ac tanta commendatio moderationis, grauitatis, ac ſapientiæ profluxiſſet? Neque enim fingi putidius quidquam poteſt, quàm ſi quis dicat, temerè alterum alteri præſtare, vt hominum aliquis diuiniſſimum ſit animal & mitiſſimum, aliquis ferociſſimum omnium, quæ naſcantur in terris. Et licet non audeam à Seneca diſſentire, neque Stramat. item à Clemente Alexandrino, quorum vterque ne- lib.

Ec minem

minem natura, arte omnes & diſciplina bonos eſſe defendunt, tamen quis neget ineſſe multorum naturæ ſemina maiora virtutum, quæ cura ſtudioque adhibito enaſcantur, ſegetemque ferant vberrimam? Quis item neget gigni aliquos cum inchoata quadam bonitate, quæ vbi ratio acceſſerit, efferat ſeſe ac emicet? Quid enim, quod aliquorum animis nec inſtitutis, nec edoctis contingit ea rectitudo, vt ſi leges omnes interirent, periculo tamen, metuque detracto, rectè facere non deſinerent? quid quod alijs ita ingenerata frugalitas eſt, alijs abſtinentia, vt filijs in cernenda hæreditate perſuaderi non poſſit, paternis vt à ſtudijs velint deſciſcere? Quo loco eius mihi venit in mentem, qui cum patrem euerberaſſet, omniumque conuicio peteretur ad ſupplicium, (videte hominis in ſummo flagitio perditiſſimam flagitioſiſſimamque defenſionem.) *Ipſe*, inquit, *patrem ſuum verberauit, rurſut ille ſuum:* quin & filium oſtendens, *& hic*, inquit, *vbi in virum euaſerit, me quoque flagris plagiſque adorietur*. Amabo vos, quis fuſtem, quis ferrum filio porrexit percuſſuro parentem? quis arma induit nepoti, quis abnepoti, niſi tradita quædam per manus, tranſmiſſaque impietas? quidue ea fuit ſæuiendi tam præceps libido, niſi naturale ſtirpis eius malum? Vim permagnam ineſſe partem in vtramuis naturæ, docere poteſt exemplo ſuo Medices, quod cum omnis doctrina liberalis, arteſque adeò etiam ipſæ opificum & ſellulariæ tanta contentione tradantur ediſcanturque: cum plaſtes fingendi, cum flectendæ vocis phonaſcus, cum agitandi choros ſaltator, cum inſtruendæ menſæ, conuiuijque apparandi ſtructor, quæ omnia cognitionem & exercitationem non ita perdifficilem habent, non ſine magno labore artem edoceant: atque adeò cum ipſe Medices vt copioſè dicere, vt aptè ratiocinari, atque vt poetari doctè lepideque poſſet, haud ſecus, quàm permagnis ac diuturnis vigilijs ſit conſecutus, idem vt nuſquam deſereret officium, vt rationes in omni vita moderatas ſequeretur, vt in vita ſua locum turpibus nullum vel-

Plutar.

let

let eſſe, vt linguam, vt oculos, vt ventrem benè moratum haberet, vt à iocis petulantiam, arrogantiam à nobilitate, à literis iactationem, atque à religionis pietatiſque ſtudio hypocriſin remoueret, ac denique vt rerum caput eſſe religionem ipſam crederet, quam haud ſcio, an rectè dixerim artem artium, quo tandem in ludo, & quo auctore ſibi perſuaſit? O te in paucis fortunatum adoleſcentem, cui propriam tui generis indolem ſortito naſci bonum contigit, non fieri, gigni ad pietatem, non informari. Neque ſanè cum ipſe natura ſua quotidie longius ad virtutem procederet, cur quod faceret, faceret alacrius, monitores domeſtici ſtudioſiſsimi, fideliſsimique, quorum eſſet & amplitudo ſumma, & auctoritas grauiſsima, defuerunt. Nam qui domi ſuæ quotidie infulas & paludamenta, purpuram & ſagum, laurum imperatoriam, & Petri claues intueretur, minimè ſibi, vtrum vellet, licere cenſuit: neque quibus gradibus in ſuſceptis vitæ rationibus progrederetur, integrum ſibi, ſolutumque eſſe iudicauit. Nam cum inuitentur exemplis ingenia, & Heſiodo teſte vicinum æmuletur vicinus, qualem eſſe Medicem neceſſe fuit, cuius obuerſaretur ob oculos tum illud belli fulmen Io. Iacobus, quem arma circumferentem ac nihil concupiſcentem mediocre mens viuida, animus acer, periculorum contemptus, patientia æſtus & laboris, ſummumque ſtudium dignitatis ad militare euexit imperium: tum ille Io. Angelus, quem religio ad ſummum in terris locum extulit, vt poſitus in rerum humanarum faſtigio cereum luceret gentibus, cauſam Chriſti nutantem lapſantemque ſtabiliret, eiuſque tunicam nuper laceratam ſarciret, & res ab hæreſi diſtractas ad concordiam reuocaret, Eccleſiamque, in quam non ita pridem fera peſſima impetum dederat, ſeruaret ac repurgaret. Adeſte Graij veteres, & gloriationes veſtras omittite, qui vobis in ſummo ponebatis honore, ſi apud maiores veſtros hoſpitio diuertiſſe dij, ſi filias vxoreſque ipſorum permoluiſſe, aut etiam ſi cognatione ipſi deos contigiſſe ferrentur. Mira ſunt, niſi

auos abauoſque veſtros Iupiter in currum ſuum ſuſtulit, niſi viuos ac adhuc in terris ambroſia pauit, conuiuioque diuûm adhibuit, atque adeò niſi cum eos hoſpitum pertæſum fuit, deos ſupplices atque de via feſſos ſuo limine ſummouerunt. Quorſum enim attinuit, quo maior cuiuſquã generi dignitas quæreretur, tam vana, tam impia, tam ridicula è fabulis acceſſere? Vera Medices memorare de genere ſuo poteſt, ſi velit: inde virum prodijſſe, qui totius ſacri iuris arbiter fuerit, infra cuius faſtigium, quidquid vſquam excellat in terris, ſubſederit, quem ſupplex adierit, & à quo ſalutem petierit genus hominum vniuerſum, qui beare permultos vno reſcripto potuerit, qui ſuis legibus Reges habuerit obtemperantes, qui potuerit ſceptra regnaque ſtabilire aut conuellere, qui æquale nihil, nihil ſecundum habuerit in terris. Hæc plus ſplendoris & popularis admirationis, illa plus apud ſapientes viros dignitatis habent, quod ſublatus in ampliſſimum locum honoris Io. Angelus non illud more inſtituoque aliorum cogitauit, quemadmodum ſuam domum rore imbrèue aureo perfunderet. quid, inquam, imbre? non quemadmodum aliquos opulentiæ ſuæ ſaltem riuulos ad eam deriuaret. quid etiam, inquam, riuulos? ne illud quidem, quemadmodum vel vna eam gutta adſpergeret; ſed perinde quaſi neminem neceſſitudine atque cognatione is attingeret, à quo foueri iuuarique oporteret vniuerſos: publicamque interuerſurus pecuniam videretur, & ſubrepturus humano generi, quidquid ad ſuos degereret, ac læſurus ſanctiſſimum nomen pietatis, ſi quoſquam ſeorſum appellaret ſuos, qui communi vocabulo Pater omnium nominaretur, vnam Eccleſiam cura, cogitatione, atque charitate complexus fuit, ratus tum demum futurum, vt ſuæ ſacroſanctæ poteſtatis ratio conſtaret, ſi copias ſuas omnes, ſi conſilia, ſi vitam ſpiritumque ad Eccleſiam fulciendam conferret. fuit maximi negotij Concilij Tridentini telam, quam tot Summi Pontifices exorſi fuerant, pertexere? abſoluit. colluctandum cum diffi-

culta-

cultatibus inextricabilibus fuit? peruicit, ac omnes explicuit. Sumptus res ea fuit infiniti? lætiſſimus ſuppeditauit. O tuam, Romanorum Pontificum laudatiſſime, magnitudinem ſingularem animi, atque diuinam conſtantiam! Rei tantæ, quam fruſtra tentauerant Paulus III. Iulius III. & Paulus IV. tibi gloriam ac decus referuauerat ille Deus, vt ſuam Eccleſia ſtabilitatem, ſalutem, ac dignitatem difficillimo tempore vni tibi acceptam referret. Cuius optatiſſimus exitus euentuſque Concilij quid ad ſummam rerum ſacrarum profecerit, & quantum momenti ad auertendam ab Eccleſia iam Eccleſiæ foribus imminentem peſtem habuerit, qui neſcit, is reputet ſecum, quæ tum ratio temporum quæ inclinatio foret, quã Pontificium nomen & poteſtas flagraret inuidia, quàm latè funderet venenum hæreſis, quàm inſolenter ea rabies Domini caſtris inſultaret, cum more ſacri ignis (is morbi genus eſt) proxima quæque corriperet, & contagione ſerperet illud malum, atque adeò tertiam iam partem ſtellarum de cælo diripuiſſet, Germaniamque, Galliam, & Britanniam ad turbulenta conſilia, palamque ad ſtudia rerum nouarum, atque ad ſeditiones, ſeceſſiones, & impia dogmata vocare non deſineret, &, ſi Deo placet, ipſis electis minitaretur; profectò ſic exiſtimabit adactum à Concilio Tridentino hæreſi cuneum fuiſſe, eamque cruentam feram ab eo coercitam, mille illigatam vinculis, planeque adactis ad vitalia telis confoſſam & iugulatam fuiſſe. Anne melius potuit Pontifex Medices ſui cognominis omen comprobare, quàm adhibita periclitanti reip. Chriſtianæ tam apta medicina, quæ partes integras conſeruaret, contactas & affectas, ſi modò ſaluæ eſſe vellent, ſanaret? an vnquam à ſcientiſſimo gubernatore in ſummo diſcrimine rerum euentu magis proſpero iacta anchora ſacra fuit? an denique ſi toto reliquo Pontificatus ſpatio dormitauiſſet ſenex ſtrenuiſſimus, non id vnum eiuſmodi fuit, quod Pij IV. nomen immortalitati conſecrare debuerit? Neque tamen cum excubaret pro Eccleſia,

& ſtudioſiſſimè cauſam publicam ageret, defuit patriæ ſuæ, amicorumque temporibus: neque cum orbem terrarum legibus temperaret,non ſubijt animum, vbi gentium luſiſſet puer, vnde velut è nidulo auolaſſet adoleſcentior, vbi denique ſibi moribus incorruptis viam ad eam ſummam fortunam muniuiſſet: ſed cum impelleretur natura, vt prodeſſe vellet quamplurimis,idque vanum regium eſſe,pontificium,atque diuinum cenſeret, patriam præcipuè, quæ ſibi talem indolem indidiſſet, eius velut ſortis vſuram à ſua munificentia petere voluit & expectare. Cuius quidem demerendæ, vel vt ipſe quidem ſentiebat, remunerandæ quo ſtudio Pius IV. exarſerit, nonne illud ſatis documenti eſſe poteſt, quod cum patriæ quotidie, largè effusèque donaret, nullumque in ea ornanda neque noſſet, neque adhiberet modum, ſemper tamen illis velut penſionibus tantùm in anteceſſum, nunquam in ſolutum dediſſe ſe crederet, ac illud perſuaſiſsimum haberet, nullo beneficiorum neque numero, neque magnitudine poſſe illud ceu quoddam nomen expungi? felix, id quod non ignoratis, fœtu prouentuque optimorum ciuium ſemper fuit hæc Ciuitas, genito verò,editoque Pio IV.feliciſsima. Cuius ille popularis non fauit induſtriæ? cuius non comis & lætus excepit deſideria? quàm etiam ſæpe obuia benignitate anteuertit? Quid enim manipulum memorem iuuenum lectiſsimorum, quem hinc ſibi Pius IV. è familijs clariſſimis Borromæa, Cuſana, & Serbellona ad aulæ honoratiora miniſteria, ad Eccleſiæ munia ampliſſima, atque ad Vaticanam purpuram deſcripſit? quid non ornata, ſed cumulata ſuis donatijs & beneficijs, Metropolitanam noſtram Baſilicam, templum Meleniani, Noſocomium huius Vrbis, & I. Conſultorum Collegium? Eiuſmodi ciui ſi grati monumentum animi ſtatuam poneremus in ampliſſimo vrbis loco inauratam, nempè quem alium eum, quàm PHILOPATREM inſcribi oporteret? Quò te ſenex diuine contuleras, qui tibi antequam potens rerum eſſes, ſeceſſum delegeras Fraſcarolenſem, quò te abde-

abderes, & vbi vitæ tranquillitatem ſequereris? Non fuit illud ſtudium quietis, non illum proſpexit ſuæ ſenectuti portum, non otium pinguiſſimum ei placuit, non eum imbecillitas animi, ſtuporue à rebus gerendis remouit, ruſque ablegauit, ſed cum vitaret, nè illa videret, quæ non poſſet probare, in longinqua villa, vbi Pelaſgorum, vt eſt in vetere prouerbio, neque nomen audiret, neque facta, ſub imagine ſenis leniſsimi, ſuauiſsimi atque iam ætate fatiſcentis, dũ illa tempeſtas deſæuiret, delituit. Quem dum publica felicitas, Achillis, Sauliſque exemplo, extraxit è latebris & nimis iam diu expertem operis in rerum humanarum faſtigio collocauit, vt qui omnibus magnitudine præſtaret animi, is omnibus imperaret, tum velut nactus forum ſenex optimus alacres ad curam humani generis eas virtutes exprompſit, quas adhuc temporum iniquitate compreſſas tenuerat: ratuſque ſe humanis diuiniſque ſuffragijs creatum Pontificem eſſe, vt mendas tolleret, elueretque maculas, quæ plurimæ fœdiſſimæque ordini ſacro inhæſerant, vindicaret ſcelera nefaria, Deique *ſanctuarium* repurgaret, & in ſeſe optimi Principis exprimeret imaginem, a uſpicatiſsimo ſtatim pontificatus initio velut ſignum bonis omnibus ad bene ſperandum ſuſtulit, ac licentiam impunè volitantem iniecto legum ac iudiciorum terrore coercuit, fregit, atque compreſsit. Geminos hoſce heroas Io. Angelum, (namque illi temporis cauſa ſuum reddo vetus nomen) & Io. Iacobum ſæpe equidem ſum miratus, cum ſtudijs tam diuerſis fuerint, in vtriſque tamen tantum vtrumque excelluiſſe. foris alter, armatuſque terrorem hoſtibus intentare, pietatis alter colere ſtudia: alter imperij, religionis alter cauſam ſuſcipere: ille alternis vicibus obſidere obſiderique, prædas agere, ac deſpoliari, clades bellicas perpeti reddereque, hic iuri dicundo præeſſe, de religione conſuli, edereque ſacra oracula, ſartam vt aiunt, tectamque Eccleſiam exigere, & gregem dominicum ad læta Chriſti paſcua traducere. Quamquam nonne cuiuis Adelphi Terentiana notiſsima fa-

bula eſt, duorum fratrum, quorum vnus vrbanam vitam & otium ſequebatur, ruſticam alter & laborioſam? Ipſi adeò gemelli fratres Caſtor & Pollux, nonne corporum ita diuerſa exercitatione laudem quæſiuere, vt alterum equorum agitatorem, alterum pugilatu nobilem vocet Homerus; de quibus eſt ille poetæ verſus luculentus: *Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem pugnis*. Quid verbis opus eſt? Nonne Lamech ille Adæ trinepos duos filios ſuſtulit duarum artium conditores parenteſque, Iabel quidem, qui primus opilio figendi tentorij rationem monſtrauit; & Iubal, qui cithara temerè concinnata fidium modos ac numeros inuenit? Nullus modus ſit, vti ſi velim exemplis, vt proinde mirari nihil attineat, ſi ſeculo ſuperiore familia prodierint ex eadem, eodemque parentum è ſinu, qui caſtra ſequerentur, & qui ſeſe ordini ſacro aggregarent. Tu quidem, Carole Auguſte Medices, iam tum in articulo capiendi conſilij, & aliquid conſtituendi, quam ex omnibus vnam viam inires, cum hinc videres omnia inſignia religionis, inſulas ac thiaras: inde gladios, loricas, baliſtas; atque cum ſpes vtrinque oſtenderetur amplificandi fortunarum tuarum: atque adeò impreſſa cum cerneres in vtraque via veſtigia tuorum, quid illud fuit, quod perſuaſit, vt pacem malles, quàm arma, atque vt caſtris mitiſsima ſtudia pietatis, cultumque hunc, ſacri noſtri ordinis ſymbolum, præoptares? Cebetis pinax, ſiue tabula picta, lepidiſsimo commento fingit, hominem quemque à Genio duci per quoſdam gradus ad eruditionem illam veram, quam ſapientes, qui rem enucleatius diſputarunt, finem bonorum appellauerunt. Næ te bonus genius in hanc partem flexit, quæ pietati Chriſtianæ conſonantior videretur, in qua maius ſtudium niteſceret omnium virtutum, quæ plures & magis ingenuas ex doctrina oblectationes haberet, in qua Deus coleretur impenſius, & quę magis planam munitamque ad beatam vitam viam oſtenderet: quid enim, Viri Clariſsimi, cenſetis aeſtuaſſe ancipitem animum, aut eſſe à Medice diutius

Hor. ſer. l. 1. ſat. 1.

tius

tius hæſitatum, vtram in partem ſeſe daret indoles egregia? immo futurus domi honeſtiſsimus refugit ſemper ab illis ſanguinarijs artibus, quæ conſtant triſtiſsimis (ſic enim dicam,) *experimentis*, videorque mihi ex hoc ipſo loco illum audire Senecę voces vſurpantem: *malo eas virtutes in vſu mihi eſſe, quæ exercendæ tranquillius ſint, quàm eas, quarum experimentum ſanguis & ſudor eſt.* videorque videre, de armis toto renuentem capite, atque quid ſentiret, conteſtantem verbis ijs diſertiſſimis: Satis domi ornamentorum militarium eſt: ſatis ſuperque noſtri alienique cruoris eſt fuſum. quis mihi iam arma induat? Vt ſit neceſſe aliquos eſſe milites, qui fines defendant, & iura ferro perſequantur, alij potius omnes hanc operam reip. nauent. Defendam reos, ſi poſſim, non percutiam inſontes: de meo alimenta ſuppeditem ieiunis, non adigam incluſos mœnibus hoſtes ad extremam inediam: vulnera aliena curem & obligem, non ipſe vulnus infligam. Egone vt ante lares ſuos quemquam iugulem? vt vram ſata? atque vt exanime deſpoliato milite domum referam cruentam prædam? Egone vt vultu truculentus, animoque gladiatorio occurram hoſtium cuneis? vt os hominis, nulla priuatim accepta iniuria, ferro concidam? vt videam cumulos cadauerum conſtrui? Ne quid faciam eiuſmodi, ſit mihi propitius ille Deus, quem vitæ auctorem meæ ſemper vnicè diligam, quandiu mea vita ſpirabo. Nihil rectius, adoleſcentum optime, tanta lenitas ingenij tui mitiſſimi thus adoleat conditori ſuo: non deſinat expoſcere ſuperûm pacem, hominumque generi placare Deum iratum: cæleſtem ignem amoris diuini medullitus concipiat: hominumque egentiſſimorum ſubleuet & ſuſtentet calamitatem. Hæc eſſe naturæ tuæ conſentanea videmus quotidie, cum ne iratus quidem contrahere vultum poſſis: & perinde quaſi ipſe te tibias inflantem videris in ſpeculo, maximè ſemper ab eo refugias, te vt quiſquam furioſè iracundum, facie turbatiore, toruaque, flamma luminibus ardentibus, voce-

Lib. de vita beata.

que rabida delitigantem aſpiciat. Huc te ſcilicet tua pietas, huc mores tui, huc tuæ rationes omnes, denique huc ipſe conſiliorum omnium optimorum auctor Deus vocauit, vt Sacerdos hoſtias pacificas immolares. Neque tibi quo minus in hanc partem te dares, ea cogitatio curam iniecit, quod aris ſacriſque operanti multa reſecāda eſſent, multa radicitus extirpanda; eorumque vicem inſerenda permulta & plurima comparanda: quod immodicæ libertati, leuitati, licentiæ mittendus ſanguis: quod oratio, cultuſque corporis & inceſſus ex certarum præſcripto legum fingendus conformanduſque: quod denique ſacroſancta in Sacerdote ſic eſſe debent vniuerſa, vt cum in eius vitam cæteri hominum intuebuntur, ipſos ſui ipſorum pudeat, & quales eſſe ſe oporteat, eius exemplo ſeſe putent admoneri. Penſitaſſet hæc ſollicitè Medices, Dionyſij Tyranni ſi quam ſimillimus fuiſſet, quem Plato ceu librum lituris egentem, ac maculis mendiſque plenum ſe dixit reperiſſe: hæc Medicem de ſententia fortaſſe depuliſſent, niſi cum Pythagoram ſibi audiendum cenſuiſſet, præcipientem ſe vt quiſque in ſpeculo non ad lucernæ, ſed ad ſolis lumen ſpecularetur, ipſe dies totos, magnamque partem noctium in imagine Io. Angeli non ita pridem ſacrorum Regis vigil exegiſſet. Quamquam præceptis illis ſapientum virorum, vim à quoque ſibi faciendam, penèque manus afferendas, compeſcendam naturam, reuocandam, cicurem efficiendam, & ſi ſepta tranſilire geſtiat, fræno cohibendam, quæ ipſa niſi Herculeo quodam labore effici non poſſe contendunt, vix locus in Medice fuit, ita nato, ac ita inſtituto, vt vitia non vitet, ſed abhorreat, neque tantùm abhorreat, ſed etiam perhorreſcat. Multo hercle minore pretio ſua Medici conſtitit integritas, minuſque eam inuita natura parauit (ſi modò eam parauit, quæ potius ingenita naſcenti fuit.) quàm multis ante ſeculis parauerit Socrates, qui frequenter illud habebat in ore, ſe vt editum de ſe ipſo Apollinis oraculum omni occaſione comprobaret, contentioſum & pugnax

Iulian. orat. 6.

gnax

gnax vitæ genus inſtituiſſe. quidni contentioſum foret & pugnax eius hominis vitæ genus, cui eſſent elidenda quotidie indita ſemina nequitiæ? cui ſemper velut aduerſo flumine ſubeundum? cui aſſidua pugna decernendum in cupiditates immodicas? qui denique vix vllis ſatis vinculis reclamantem ſuam naturam, inuitamque, ac in aduerſa omnia nitentem poſſet coercere? Sed tamen cum pullulantem extirpando filicem, lapſantemque naturam & præcipitem fulciendo, ſumma contentione peruiciſſet, vt veſtigium in vita nullum libidinis appareret, ac virtutum tradendarum nullus ea tempeſtate auctor magis grauis haberetur, illud exemplo ſuo comprobauit, eam laudem, quam ficuum & punicarum eſſe propriam dixit Plinius, vt inſitorum ſint capaciſſimæ, cum pleriſque humanis ingenijs eſſe communem. Attamen vt idem animis hominum, arboribuſque tribuamus, ſylueſtres ſi ſint, praui, ac infœcundi, cultura ſtudioque adhibito manſueſcere poſſe, vt deinceps Cato ſit, qui Catilina fuerit: deque republica conſeruanda iam cogitet impenſius, qui adhuc eius euertendæ inflammandæque cauſa faces ac tela comparauerit; alia vis eſt, indoles alia, alia vbertas ſic virtutum, quemadmodum & fructuum natiuorum, qui ſponte prouenìunt: alia ſatiuorum, qui obſtetrice naſcuntur induſtria, quorum eſſe nutricem aut etiam nouercam naturam dicat fabulator Aeſopus, matrem minimè certè. Ne longè abeamus, tu, Socrateſque vtriuſque fortunæ documentum eſſe poteſtis: illi ardua & ſalebroſa via ſubeundum eò fuit, vbi virtus inhabitat; te plana, perfacilis & commoda locum ad eundem tulit: illi trudendum fuit aduerſo cliuo ſaxum; tibi cuncta penè citra puluerem ſudoremque obuenerunt: illi torquenda cogendaque in diuerſum natura; tibi vniuerſa velut in rete dormientis Timothei incurrerunt, tum ſumma facultas, tum voluntas mirifica, tum etiam conſenſus optimæ naturæ, maximè ad rectum honeſtumque propenſæ; vt cum ingenita tibi ſemina aluiſſes ac fouiſſes, præterea deeſſet nihil, quod ad

Lib. 17. c. 10.

virum

virum ſapientem conſtituendum conflandumque poſſet pertinere. Ergo ita natum Medicem, vt iam tum indolem in puero, omenque futuri Sacerdotis agnoſceretis, fruſtra MVNDVS vendicabat ſibi, manumque ſic dicam, inijciebat: fruſtra exemplis, illecebriſque conſtantiam tentabat adoleſcentis: legeſque ſeueritatis, continentiæ, frugalitatis ac induſtriæ latas eſſe plebi ac multitudini, non ordini equeſtri fruſtra perſuadere conabatur. Etenim qui meminiſſet per quos gradus maiores ſui ad ſummos honores aſcendiſſent: ac ſemper geminos illos heroas, gentiles ſuos ſitos haberet in oculis, eorumque tacitas voces ſe ad verum decus per viarum anfractus & ſalebras, milleque vitæ diſcrimina vocantium exaudiret, quid is quemquam ſibi alium quærendum foris, audiendumque vitæ auctorem cenſeret? Ergo in clariſſimis maioribus ſuis effingendis exprimendiſque totus cum eſſet, & vna ſubeſſet ea cura, quæ ſe dies noctesque torqueret, ne ſi ab archetypis eiuſmodi decidiſſet, neutro illo heroe ſe dignum probaret: atque cum in ijs nihil molle, nihil effœminatum, nihil degener, nihil denique ſtolidum aut ſupinum animaduerteret; ſed hinc perpetuo tenore ſeueritas vitæ conſtaret, inde rerum arduarum ac difficilium diuturna perpeſſio: hinc impenſa cura rerum ſacrarum, inde ſumma in omni munere imperatorio vigilantia atque ſolertia: hinc ſingulare ſtudium pietatis, eximia charitas patriæ, in præclaris ornandis artibus, & artificibus penè profuſa liberalitas, deque reuocandis ad ſaniora conſilia ijs, qui deſciuerant, & de ſtabilienda cauſa religionis, iugis & mirifica ſuſcepta dimicatio: inde tractandorum animorum dexteritas, ſumma rei militaris peritia, maiorque periculis omnibus conſtantia, idemque in vtraque fortuna habitus animi; ac vtrinque ſummum conſilium, in maximis imperijs ſumma moderatio, grauitas ac dignitas incomparabilis: hæc cum loquerentur annales, cum eadem expreſſa videret in tabulis pictis, cum teſtata eſſent monumentis clariſſimis,

cum

cum ipſi penè ſeptuennes pueri ea ipſa, & haberent comperta, & alijs quotidie denarrarent, cum in omnium ore, in omnium oculis eſſent, & Auguſtum Medicem ijs verbis hortarentur, *quæ timido quoque poſſent addere mentem*; nimirum quid faceret Medices? inter tantas imagines, & exempla virtutum quid cogitare poſſet? tam recenti tum memoria, tum gratia meritorum præſtantiſſimorum quid ſecum volutaret? quid deſignaret? quid ſibi moliendum conſtitueret, niſi quippiam illis ideis ſimillimum? an ipſe maiorum luminibus cœno adderet vmbras? an ſcenam tam glorioſam euerteret? Quid ita? non fuit animo adeò degenere, vt tantum in ſe delictum admitteret, vt pro leone ſimius, & gracculus pro aquila eſſe poſſet. eadem illi ſemper adfuit conſtantia conſiliorum, eadem ſententiæ grauitas & dignitas, eadem animi magnitudo, quæ nuper Vaticani Pontificis, quæ Senenſis expugnatoris fuit. qui tametſi in minus lauta parte nunc eſt, neque iam ſatis veterem gentis ſplendorem poteſt tueri, tamen ſi quando ſe fortuna reſpexerit, heramque, vt poetæ loquuntur, illam impotentem ſui criminis puduerit, ſi *latifundia* & opulentiam, ſi maximarum prouinciarum adminiſtrationem, ſi ordines ac militaria imperia, ſi denique ampliſſimum locum dignitatis benemerenti reſtituerit, ſtragulam fortaſſe veſtem, & puri ſignatique argenti vaſa ad abacum exornandum, equos etiam, & carpeuta ipſe alicundè accerſet, alicundè vtenda ſumet, vim animi, vim conſilij quid accerſet alicundè, quam ipſe ex ſeſe, quantacunque ad res eas aptè pertractandas opus fuerit, poterit expromere? Sed tantis in vnam domum congeſtis bonis obtinuit fortuna morem ſuum antiquum, vt ſe munerum ſuorum pœniteret, & cum reſignare quæ dederat, abrogareque ſummum imperium non poſſet, poſteros iniurijs ſuis opportunos iudicaret. quid enim aliud opes tantas circuncidit ac amputauit? quid hiſce velut anguſtioribus finibus genus honeſtiſſimum circunſcripſit? Tu autem Carole Auguſte, qui ad augendas in tua fami-

Horat.

lia

lia imagines, atque ad numerum augendum heroum natus fuiſti, iube fortunam, tanquam corruptam vxorem & impudicam, res ſuas habere. detrahat abiens aulæa, cælati argenti magnam partem auferat ſecum: ſuas, ſic dicam, dotales arationes, dotaliaque fœnora aſportet: totum illum magnæ fortunæ apparatum auehat aliò; quid enim te iſta percellant? contentus inſita magnitudine animi ride, ſperneque vices rerum humanarum: neque quod ex magna illa copia res modò aliquanto contractior ſit, propterea plus labora, quàm facto naufragio Simonides, quàm patria deſpoliata Bias Prieneus laborauerit, quorum vterque rei familiaris iacturam ſiccis oculis ſpectauit. quandiu tibi manebit incorrupta probitas, alacritas capeſcendi artes honeſtas, & exercitatio virtutis, tandiu tibi plurima ſuppetent & maxima, quibus inuidentiã poſſis mereri. Molliore ſi animo ſuperuacanea requiris: atque ſi quod aliquis ea caſus diripuerit, rem ſecus interpretaris, quàm tibi prægrauem eſſe ſarcinam detractam, minimè ego ſanè indolem in te neque Pontificiam, neque Medicæam agnoſco. Superſunt ex lautiſſima opulentia nec exiles admodum opes, nec inuidioſæ, tua verò quid intereſt, ex cœna ſupereſſe reliquias, quæ alere poſſint exercitum? Quoties & ſuperiorem illam potentiam, & præſentem mediocritatem cogitabis, fac memineris Antiochi Regis, qui magna regni parte mulctatus, plurimum ſe Populo Romano dixit debere, qui ſe nimis magna procuratione liberaſſet. Sed nimis ſum multus in re non neceſſaria. te ſiquidem ſi benè perſpectum habeo, non æquitas animi tui, non ſapientia meam cohortationem expectauit. Nunquam equidem, qui eo ſum vſus familiariſſimè, quiritantem Medicem audiui, nunquam fortunæ ſuas iniurias exprobrantem, qui nuſquam domi faſces videns, nuſquam apparitores, & illa excuſſus vetere gentis magnificentia, minimè ſanè Corinthum Siculi tyranni exemplo conceſſit, ſed in eas ſe palœſtras contulit, vbi ſuum fieret ingenium inſtructius, & vita comptior, morumque

In Orat. pro P. Sextio.

tumque ratio excuſsior limatiorque. At quando huc ventum eſt, illataque penè caſu mentio palœſtræ fuit, an exiſtimatis Medicem, cum futurum Sacerdotem exornaret, conceſsiſſe cuiquam, qui in literaria comparanda ſupellectile eſſet diligentior? qui enim tantum ingenio, ac tantum valeret iudicio, vt quod cuiquam decorum ac honorificum poſſet eſſe, eo ſe carere non oportere magnopere cenſeret, is obſecro eſſet omiſsior in munere Sacerdotis, atque in ea re, quam ſciret eſſe tam & dignitate conſpicuam & vſu neceſſariam? in ea, inquam, re, à qua qui flagitiosè imparati ſunt, eos ſanctorum PP. conſenſus, legumque ſacratarum ſanctiones, ratio denique ipſa vetat aris miniſtrare? Sed enim, cum virorum clariſsimorum etiam ioca & ludicra ſciam habita eſſe monumentis literarum digniſsima, vt etiam luſitantem in arundine longa regem fortiſſimum Ageſilaum poeſis ac hiſtoria depinxerit, non poſſum vereri, ne ei quod ſum dicturus, nuſquam in hoc munere laudationis ſit locus futurus. quod etſi fortaſſe cuipiam intempeſtiuè moroſo & ſeuero leue friuolumque poſſit videri, mihi tamen ex magno vſu rerum in æſtimandis adoleſcentulorum ingenijs iudici non ineptiſſimo permagnum ad coniecturam indolis, grauiſſimumque ſemper eſt viſum. Nam cum par eſſe arbitraretur Auguſtus Medices, vt nobilis non mollitie, ſed tolerãtia obſcuris hominibus præſtaret, opus ſuum literarium ſic dies noctéſque continuabat, quemadmodum meſſores & puellæ lanificæ, quæ penſum ducentes cantillatione fallunt laborem: quemadmodum piſtores ad molam, & aquæ (ſic enim dicam) *hauſtores*, qui læti carmen intcribi iucundum modulantur: quemadmodum nautæ, qui dum ſoluunt oras, atque trans mare vehuntur, tædium cantu, nauſeamque vitant. Neque enim vnquam Medices triſti ſilentio defixus fuit, numquam auſtera caperataque fronte, numquam ingemuit, ſortemque iniquam incuſauit, quod onus dorſo ſubiret grauius, quàm ferre poſſe videretur: ſed illi ſemper in opere faciendo hilari-

laritas, iucunditas, lætitia, feſtiuitaſque in lingua, in oculis, in animo ſeſſitauit; oſque magis renidens habuit, quàm cælum ſit, cum ſudum eſt, quàm *cum nitidi & ſine face dies*. Sciretis Medicem vel non ſentire labores, vel ei iucundiſſimos videri. Hoc loco venit mihi in mentem eius pharmaci, quod cœnanti apud Menelaum Vlyſſi diluit Helena regina; cuius vim eam fuiſſe ait Homerus, vt eum qui potionem hauſiſſet, dolore liberaret, ſedaret iram, ab omni malorum ſenſu corpus, animumque abduceret, non lacrymas profundere, non affici ægritudine ac moleſtia fineret, vel ſi cui ſuos ob oculos parentem mors improuiſa & inopina vtrumque oppreſſiſſet. At erat vnius duntaxat diei ea facultas: ſi quis poſtridie voluiſſet expers curarum eſſe, ſi porro moleſtias ac dolores cruciatuſque voluiſſet effugere, erat hauſtus integrandus, redeundum ad poculum erat, repetenda erat eadem potio atque ſorbenda. Hoc tibi tua inexhauſta cupido gloriæ, literarumque dulcedo præſtitit amplius, Medices doctiſſime, quod eæ deliniendi vim animi tui, oblectandi, exhilarandique non anguſtis vnius dieculæ finibus, non menſis, non anni ſpatio definitam & circunſcriptam habuerunt. Neque enim alacritas tua & lætitia eius duntaxat temporis fuit, cum in vernantibus hortis eloquentiæ ſpatiabaris, & apum exemplo flores depaſcebas; quo tempore ita fontes tenebas leporum, ita melle victitabas, ita ſeplaſiam olebas, ita collucebas gemmis, ita totus comptus & delibutus incedebas, vt cum eos, qui vitam in inſulis fortunatis degunt, felicitate ſuperares, te interea loci iucundiſſimè vixiſſe, minimè poſſim mirari; præſertim cum ne tibi ille ipſe labor, quo ſine militari literaria militia non poteſt, moleſtiam crearet, ipſe te confirmares eis verbis: Laborem in his caſtris qui perferre non poteſt, aut ne adeat, aut abeat; ſi acceſſit; ac illud in hanc eandem ſententiam è veterum Græcorum conuiuijs vſurpares, *aut bibat aut abeat*. (Tuſcul. V. Macrob. in Saturn.)
At enim cum excedentem ex amœniſſimis hortis eloquentiæ Medicem cultu exciperet. penè Scythico philo-

philoſophia, ſecuta tum quoque proficiſcentem, progredientemque ſua fuit alacritas. neque quod inibi nullum veſtigium foret munditiarum ac elegantiæ,& inculta eſſent, ac rigentia, ſpinoſaque vniuerſa, quod plena ſtrepitu rixiſque factionum diſſidentium, propterea illum ſua geſtiens iucunditas reliquit. Nempe cum eundem ad omnia circunferret ardorem ſtudiumque veræ laudis, vndecunque ſibi metendæ dignitatis & exiſtimationis obiecta ſpes fuit, inibi ſibi lætus ouanſque ſementem induſtriæ eſſe faciendam iudicauit.

Hunc ergo adoleſcentem, tanta præſertim humanitate, tantoque partium optimarum ſtudio, quanto quidquam illi eſſe ſimile cauere putetis, ego ſemper eius merito feci plurimi: cumque mihi omni beneuolentia ac penè pietate complectendum exiſtimaui. Sed eſt hodie, quod feram iniquiſſimè, quod cum Medices mirabiliter excellat eloquentia, vix ea facultas in eo locum ad laudandum habere videatur. certum equidem illud habeo & perſuaſiſsimum, vt maximos adipiſcatur honores, non fore illi gloria ſuorum abutendum. Cur ametur, nullaque commendatione maiorum prouehi debeat, cauſas habet ipſe plurimas, vim tantam animi conſilijque, tam caſtos mores & iucundos, ac tantum ſtudium artium optimarum,quæ in adoleſcentibus ſummo loco natis eſſe obſcura non poſſunt. At enim quemadmodum Carneadis præclarè tu quidem vocem confutauiſti, qui dicere ſolitus fuit, *Nobilium regumque* filios nihil benè recteque facere, præterquam equitare, ita faciat ille Deus, vt vocem quoque refellas eius, qui dixit, *fortuna à virtute plerumque diſſidere*. Ego verò, qui omnia tua cauſa volo, honorem hunc laureæ, vnde tuam ad populum exiſtimationem auſpicandam eſſe ſtatuiſti, ſic tibi auguror benè vertere,te vt optem gradibus permultis ad ampliſsimum locum dignitatis aſcendere. Dixi.

Plutarc. de diſcr. adulat.

In Laurea HYACINTHI COMITIS PANEGYRICVS.

BReuem eſſe ac ſimplicem & verbis contentam paucis vocem veritatis, vt cecinit Græca luſcinia Pindarus, *credat Iudæus apella*. Ego quidem certè, cuius eſt dicendis virorum fortium laudibus iamdiu ſubactum ingenium, vix intelligo ac ne vix quidem, quemadmodum ipſe vobis poſſim Laconiſmo ſatisfacere, multòque minus quemadmodum cauſæ poſſim, atque Hyacintho Comiti; cuius multas ac elegantes literas, & mores niueos, tum caſus multiplices, ac ſpectatam vtraque fortuna conſtantiam ſi poſtulem temporis breuiſſimi anguſtijs circunſcribere, perinde me facturum intelligam, atque ſi terræ mariſque ſpatia deſcribere velim in vngue, Xerxiſque claſſem & copias incidere in gemma, & pyxidulæ Peruanas omnes opes includere. Immo verò ſeruiat oratio rebus, eiſque ita reſpondeat & conformetur, vt multis vberior, vt iucundis alacrior, magiſque accurata præclaris, eximijs verò & præſtantiſſimis rebus oratio magis omnibus eloquentiæ luminibus illuſtrata contingat. Nam ſi copioſorum ciuium ac elegantium ſemper fuit in inuitandis in hoſpitium, aut ad conuiuium amicis ea ratio & conſuetudo, vt cœnam aliquibus mediocrem & parabilem, magis aliquibus ſumptuoſam apponant, quoſdam etiam epulis longè conquiſitiſſimis, cœniſque apparatiſſimis excipiant; cur item in oratorio noſtro munere ciuium rationem non habeamus eandem, vt quoſdam, quorum minus enituit induſtria, tralatitia tantùm laudatione impertiamus, quoſdam contra qui manibus, quod aiunt, pedibuſque ad gloriæ culmen connixi fuerunt, laudibus

Hor. 1. ſerm. ſat. 5.

bus multo diligentiſſimè cumulemus? Si enim rectè ratiocinemur, res verbis, non verba rebus modum præſcribunt. Quanto enim eſt magis ſolida ea virtus, cui paratur encomium, & quanto excellentior in omni genere, pluribuſque ac maioribus ſpectata rebus, tanto maior eſt oratori labor propoſitus, non vt quodlibet epulum, ſed vt quàm lautiſſimum & conuenientiſsimum inſtruat; neque vt eam temerè concinnato ſagulo, ſed vt toga picta, aut chlamyde triumphali amiciat. Quæ tamen verba V. Cl. non eò pertinent, quod in vberrima ſegete ornamentorum Hyacinthi Comitis cœnam vobis inſtruam Germanicam, quæ multas clepſydras exhauriat, ſed quòd Cynicà non ſit contenta cauſa futura, multoque minus Epicuri cœna aut Metrodori, quorum hic aſſe, ille ne toto quidem aſſe ſe cœnare dicebat. quamquam ſi verum libet fateri, inter ſacrū ſaxumque ſto, vt eſt vetus prouerbium, hæreoque anceps, quod hinc cū ſumma virtutum copia Hyacinthus omne tritum & peruulgatum genus laudationis repudiat ac aſpernatur: illinc tantus occupationum veſtrarum quaſi concurſus, ſoleſque hi flagrantiſsimi à me penè non ſine conuicio breuitatem repoſcunt. In tanta inopia conſilij tuam fidem Apollo præſes: fidem veſtram opemque Muſæ dulces, quam enim mihi viam commonſtratis? Nempè eam commonſtratis, vt miſsis ambagibus ea, quæ longiorem deſiderant orationem, colligam percenſea.nque generatim ac vniuersè, & faſtigia decerpam, perque ipſa tantùm capita rerum percurram. quod cum præſtitero, quiddam ſimile clypei eius videbor effeciſſe, in quo Phidias ita prælium Amazonum cælauit, vt paruo interuallo Deorum & Gygantum dimicationem exhibuerit, nec ita procul Lapitharum & Centaurorum certamen, atque in baſe Pandoras geneſin, deoſque XXX. naſcentes expreſſerit. Hanc ergo mihi fero legem, vt argumento neque deſim, ſi modò id aſſequi potero, neque indulgeam, quod eſſe me aſſecuturum certò ſcio.

Seneca ep. 18.

Plin. hiſtor. lib. 36. c. 5.

Si repetamus illa tua initia, Hyacinthe, quàm mul-

ta ſtatim concurrerunt, quapropter mirificas in literis progreſsiones, illuſtre genus vitæ, exiſtimationem & gratiam apud proceres, & ſi pauca exciperes, quæ tamen & ceſſerunt adhuc proſperè, & porro cedent, vitæ curſum ſecundiſsimum deſponderemus? apud fontem luſtralem te ex re appellarunt Hyacinthum, quod nomen floris eſt, & adoleſcentuli, qui Apollini fuit in delicijs. primus matris fœcundiſsimæ, quæ poſtea ſeptenos ſtirpis virilis enixa eſt, partus fuiſti, editus in lucem ipſis idibus Iunijs, quem Muſis natalem diem fuiſſe crediderunt veteres Romani; & poſt aſsiduos & magnos imbres, poſt grandines ac tonitrua, diſiectis repentè nubibus,ſubitaque cæli permutatione reformato die, ac reddita orbi terrarum luce nitidiſsima, te parens edidit in lucem, cum ſe primum terris Phœbus efferret. Diui boni! quid magnæ rei, ac inuſitatæ portenditis? neque enim temerè ac fortuitò, ſed numinis alicuius conſilio hæc tam multa contigiſſe videntur. Nam ſi te quis roget, *quibus in terris inſcripti nomina Regum naſcantur flores*, præſto erit quid reſpondeas, naſci hyacinthos intra tuas ædes, eoſque ne fortè flores putemus è multis, regia ſe nota iactare. placet omen, ita me Deus amet; ſed cum querulum ſit, quod tu regium eſſe dicis, idque quod in flore tuo inſcriptum geris, tragica vox ſit lamentantis exclamantiſque, precor enixè ſuperos ne quid tibi velint in vita contingere, quapropter tua ſit tibi voce vtendum. Creuit inter manus meas Hyacinthus, auctorque illi benè inſtituendæ vitæ cum eſſem, illud breui ſum conſecutus, quod ſummopere optabat Socrates, quem ſolitum aiunt dicere, *Perfectum ſibi* opus eſſe, ſi quis eſſet ſatis ad ſtudium cognoſcendæ virtutis cohortatione ſua concitatus. Mihi in ea ætatula placebat Hyacinthi puerilis alacritas, & ingenium nihil habens ineptiarū,neque non in opere ſuſcepto peracre ac incitatum; vt me iam tum inter ea primordia, permagna quædam & certa ſpes haberet, aut hunc, aut neminem fore, qui literas latinas doceret latinè loqui, & eas à praua conſuetudine

Virg. Eclog.

Cic. de orat.

ad

ad Romani ſermonis nitorem ac ſimplicitatem reuocaret. Ego verò qui adoleſcentem exigerem ad amuſſim, eiuſque è recta diſciplina partem mihi gloriæ captarem, cum in eo cardinem cenſerem verti, ſi Chriſtus teneræ adhuc menti inſereretur adoleſcentuli, atque ſi viæ ſepirentur, quibus poſſet ad prauitatem deflectere, certa ei tempora præſcripſi ac definiui, quæ bona fide tribueret literis, certas horas, quibus ſe ſupplicem ſiſteret Deo, itemque certas alias, quibus feriaretur, locaque certa, ad quæ animi cauſa excurreret, neque non & certos amicos, quibuſcum pudore incolumi conſueſcere poſſet. Quæ ratio cum ab initio viſa conſultiſſima fuit, tum vſu euaſit ſaluberrima, cum libentiſſimè Hyacinthus & viam ingrederetur, quam illi commonſtrarem, & eum curſum teneret, quem ſciret mihi probari. vix enim vnquam adoleſcentem vidi, qui magis attentus ac pendens monentem ſequeretur, quique alacrius ſuam ineuntis ætatis inſcitiam alienæ prudentiæ conſtituendam & regendam præberet. Parentem habuit Alphonſum ingenij candidi & ſupra quam credi poteſt vrbani, & quod his multo maius eſt, innocentis vitæ, clarum diſciplina militari, alæque præfectum, ſed militariter ferocem, cui minimè religioſum erat, eis tabulis pictis atrium ac domum vniuerſam exornare, in quibus forent fœdæ imagines *libidinantium* tum deorum, tum hominum, nudaque ac aperta nequitia proſtaret. Ad has cum aliquando ego coram Hyacintho digitum intendiſſem, ille ſtatim multo rubore ſuffuſus domus ſuæ crimen agnouit: ſed medius aliquandiu inter ea duo, ne videretur aut factum damnare parentis, aut peſſimi rem exempli probare conticuit. at negante me id ferri poſſe, & rem eam eſſe Chriſtianæ pietatis, ille, Quid, inquit, ego faciam? quandiu ſuperſtes parens eſt (cui velim Iupiter de meis annis addat annos) quod in has, quod res in alias ius meum eſt? parenti ſi quid contigerit humanitus, tale nihil videbis in mea ſupellectili. nihil enim habebo antiquius, quàm vt ædes expurgem, & inquilinos tam flagitioſos domo

exigam. nullas multo malo, quàm obſcœnas pictu-ras: malo nudi ſqualeant parietes, quàm vt quotidie exoletorum turpitudines, quàm vt amores inceſtos ac adulteria ingerant oculis: malo denique vt quiſquam tabulas intra meam domum deſideret, quàm vt omnes boni ciues pudorem. hæc adoleſcentis extitit oratio, neque verba factis meliora fuerunt. Nam cum duobus poſt annis Alphonſus ſiue apoplexia, ſeu morbo comitiali (is enim vtrumque ex nocturnis laboribus militiæ, cælique Inalpini inclementia contraxerat) corruiſſet ex equo, & ſeruulorum inter manus eſſet domum elatus, ex eoque caſu poſt aliquanto expirauiſſet, Hyacinthus mœſtitiam, luctumque & alia omnia ſuo prætexens conſilio, *tabulas illas peccare docentes* illico auferri iuſſit è conſpectu; quæ cum nunquam deinceps è tenebris emerſerint, miror niſi eas domeſticæ vindex pudicitiæ Hyacinthus aut diſcidit & aboleuit, aut igne corrupit. Magnum eo funere vulnus accepit animo Hyacinthus, penèque dolore contabuit. abſtinuit publico, ſumptuque maiore, quàm pro præſenti copia patri chariſſimo perſoluit parentalia, eiuſque manibus largè ac ſæpe inferias attulit, eam apud omnes laudem pietatis conſecutus, quã ſolent hiſce moribus filij perpauci. Quæ lacrymæ ne citò exareſcerent, aliæ ex alijs & curæ moleſtiſſimę & sũmæ anguſtiæ, & calamitates ærumnoſiſſimæ ſunt conſecutæ, cũ parens plus æquo profuſus rationes domeſticas parum explicatas reliquiſſet: quæ nolo commemorare, ne moueam Camarinam olentem, & ne rerum triſtium commemoratione fœdem hunc diem tam lætum atque iucundum. Nam quid dicam ablata toties pignora, æſtimatas lites, abactos greges, ſata vineaſque grandine verberatas? quæ niſi cum ſumma laude Hyacinthi coniuncta eſſent, omnino reticerem. Quid faceret adoleſcens ante vſum rerum, abditus adhuc in literis, ante gubernator quàm vector, & ex ſumma tranquillitate in turbulentiſſimam tempeſtatem coniectus? ille verò quid faceret? quod ex ipſius dignitate fuit, & quod fuit tum eo, tum ipſius dignum

maio-

maioribus. quidquid argenti domi fuit, conflandum dedit, quidquid periſtromatum & ſtragulæ veſtis pretioſæ, vendidit, ſeruos pleroſque dimiſit, equorum atque rhedarum imminuit numerum, ſumptuſque cœnarum & ephemeridis quotidianæ aut contraxit, aut ſuſtulit, promptus paratuſque annulum eximere è digito, atque de menſa tollere ſalinum, ſi liberandæ fidei, atque rei creditoribus ſoluendæ alia nulla ratio ſuppetiſſet. Ita cum partem pecuniæ à ſuis debitoribus repræſentaſſet, partem, quam ſupellectili agriſque diuenditis confecerat, dependiſſet præſentem, hoc eſt, cum de ſuis fratrumque ſuorum viſceribus ſatisfeciſſet ijs, qui bus debebat, lætus ouanſque, quod fidem potuiſſet tueri, *cætera ſi deſint*, inquit, & ſi minus meam dignitatem agnoſcam, at eſt exiſtimatio integra & incolumis. cæterùm eſt mihi contumeliæ patiens venter, benèque inſtitutus, quem ſi Cyri Regis naſturtijs, aut Epicuri puro fonte paneque ſi pauero, cum Ioue de felicitate poſſim contendere. Quamquam eſt, Diuis gratia, vnde alam hoc corpuſculum, eritque propediem vnde redeat ad ſplendorem domus, ac etiam vnde aliquid decidam amicis: breui tempore lacunam rei familiaris explebo parſimonia & frugalitate, quam Seneca docuit eſſe magnum vectigal. Permagna Hyacinthus rationum domeſticarum ordinandi conſtituendique cura defunctus, animo vt ait poeta defæcato redijt ad recolenda ſtudia literarum, quæ remiſſa temporibus, aliquo interuallo intermiſſa reuocauit ea alacritate, expleri vt vix poſſe videretur. Præcipua illi cura ſemper fuit orationis pectendæ, in qua comenda poliendaque tãto magis erat exquiſitus & accuratus, quanto peius oderat quorundam ſimiorum orationem aridam, ſtrigoſam, impolitam, & quaſi dumis ac vepribus obſitam, quos ironicè more Socratico modulantes cantionem luſcinias nominabat, cum ei ſanè corui crocitantes viderentur. Vidiſſetis, atque etiam hodie videretis hærentem circa ſingula, neque protinus ſe offerentibus vtentem, ſed verborum, ſed ſententiarum examinantem pon-

dera, & omnia timidius expendentem. quam moram atque diligentiam cum ille iccirco ſibi à Fabio
Inſtit. lib. 10. præcipi diſputaret, vt ſemper optimis vteretur, & ego contra ſuam rationem dicerem, Iſtam quærendi, iudicandi, corrigendique anxietatem & ſolicitudinem initijs tantùm imperari, An ego, inquit ille, & robur illud in ſtylo feciſſe, & eum colorem duxiſſe videor tibi, quem ipſe repoſcit Fabius ab eo eloquente, qui aliquo loco & numero eſſe velit? an adeſt mihi emendata felicitas? an me reris tanquam in procinctu paratam ad omnes caſus eloquentiam habere? an eſt ea meæ orationis craſis, ſeu temperatura & vires, vt ius liberumque ſit mihi hac mea ſumma cura ſuperſedere? fecit ergo more ſuo ac inſtituto, vt incredibili penè anxietate optimos auctores excurreret, & accuratiſſima diligentia ſuas cogitationes literis mandaret. Sapientiſſimorum hominum libros ita verſauit, vt quidquid boni ex eorum vnoquoque aut ad orationis ornatum, aut ad cognitionem antiquitatis, aut ad obſcurarum & inuolutarum rerum intelligentiam, aut etiam ad normam & rationem rerum gerendarum atque ad vitam moreſque formandos exprimi poterat, id omne diligentiſſiè excerptum, ſubinde ſuis tum ſermonibus, tum ſcriptis aptiſſimè & elegantiſſimè inſpergat. Diui boni! quàm promptus ad omnia quæ contingunt, habet ex Seneca, ex Euripide cæteriſque poetis græcis ac latinis, ex Socrate atque Platone ſententias? quàm habet in promptu tum verba tum exempla ex Tacito, alijſque rerum ſcriptoribus, ſacriſque biblijs & Eccleſiæ annalibus? hoc mihi velim credatis, contingere poſſe nihil tam nouum & inuſitatum, tamque & mirum & inexpectatum, cui aliquid ex antiquorum monumentis non ſoleat ſimile repetere. Sed vt eſt ingenij vrbani ac peramœni, cum illud aliquando apud Tacitum legiſſet, Othonem Galerij Trachalli vti ſolitum ingenio, Hyacinthus illico ad me indignabundus cum libro, An, inquit, & pedibus vtebatur eiuſdem cum incedendum foret, an dentibus cum edendum, an etiam oculis cum videndum?

Eiuſ-

Eiuſdem illud feſtiuitatis, fuit quod cum vterque à cœna inambularemus in foro, An, inquit, illum ciuem noſti? (nam ſimul cum dicto hominem mihi notiſſimum indicauit.) Quidni, inquam, norim ciuem vicinum & mihi multis mutuis officijs coniunctiſsimum? Tum Hyacinthus, ſi neſcis, inquit, magis illum odi, quàm portas Orci: neque ſanè temerè. eſt moribus inamœnis, & tetrico conuictu, natus ſcilicet gratijs omnibus iratis. Viden' quàm ſtet rigidus, quàm contracta & caperata fronte, & qua vultus toruitate quantam contumaciam animi & ferociam præſeferat? Viden' oculos illos viperinos, obtutum Titanicum, & faciem ardentem? etiam tum iratus videtur, cum eſt maximè propitius; facilè vt appareat minimè parentem eius paruiſſe poetæ conſilio, cuius illud carmen fuit: *Non ſerito triſti rediens de funere mæſtus progeniem, lauta ſed cœna, Perſe, deorum.* Heſiod. apud Plutar. Niſi me omnia fallunt: hunc ciuem cum ſeuit, ſicundè redijt parens, Lapitharum & Centaurorum à conuiuio, aut à cœna Thyeſtis reuertit. quid ille minax vultus? quid illa ſermonis & oris truculentia? quid demum illa toruitas ac pertriſtis ſeueritas? vt ſanè mirer, ni fibræ homini corneæ ſint aut adamantinæ. ipſos quin etiam imitatur culices, qui ſemper aut ſtrepunt, aut feriunt. Id ſcilicet ego ferre poſſim quod in Andrio Critone tantopere damnat Dauus? ò malorum depulſor Hercules, & auerſor triſtium Iupiter, in hoſtes potius contingat incidere, quàm cum eiuſmodi quopiam habere commercium. In quem ciuem ſi quis roget, cur præcipuè Hyacinthus odium tam acre ſuſceperit, conferat vtrumque, hunc ſumma non vitæ ſolùm atque naturæ, ſed orationis etiam comitate, illum agreſtem, animique præfracti: hunc ad omnium voluntates deuinciendas ipſis Gratiarum manibus fictum atque compoſitum, illum moroſum, violentum, trucem, atque nulla re ſæpius, quàm ſinapi victitantem, quem mirum eſt, niſi Meduſa aliqua peperit, furiæque lactauerunt; illum ciuilis ingenij & eiuſdem amabilitatis, quam ferunt Pompeij M. fuiſſe, Plutar. in Pomp.

quo

quo ex morbo curato tota Italia feſtum diem celebrauit, illum merum litus, ac rus merum, & fugitantem humanam conſuetudinem, auſterumque, ac inſtar habentem echini ſpinoſi & hirti. Cum autem amicitias contrahat & conglutinet morum ſimilitudo, quid eſt quod miremini, ſi Hyacinthus ab eius viri conſuetudine prorſus refugiat, neque vt cum eo diem conſumat vnū ſolidum, velit montes auri mereri? Neque tamen ab huius tantùm, ſed à multorum etiam æqualiū ſuorum refugit conſuetudine, qui omnia ſtudia pietatis prorſus irrident, & quandam ſibi è ſtolido & ſupino vitæ immortalis contemptu gloriam ineptiſſimam quærunt, religionemque perperam, minimè ſuo nomine, ſuperſtitionem vocantes, nihilo pluris faciunt templa, res ſacras, noſtræque religionis myſteria ac vitæ ſpem beatæ, quàm ſi fabulæ anicularum ac deliramenta forent, neque ea ad ſe vllo pacto pertinerent. hos angue peius odit ſemper & vitauit Hyacinthus, certus interdictis quibuſuis modeſtiæ & pietatis poſſeſſionem defendere, atque innocentia vitæ ad fortunatas illas inſulas beatorum aſpirare. nihil enim vnquam de vagis voluptatibus in ſacrum pectus ſuum admiſit, fecitque ſemper plurimi eam Chriſtianæ Philoſophiæ partem, quæ nos morti præparat, moreſque conformat. Neque primoris duntaxat ætatis hæc diligentia fuit, dum parens moneret, præciperet, obiurgaret, & pro iure paterno territaret, atque coerceret, ſed eo metu ſolutus diſciplinam ſibi propterea minimè ſoluendam conſtituit, quod coleret impensè Deum, quem etiam eorum, quæ perperam deſtinaſſet feciſſetue, eſſe futurum inſpectorem & vindicem intelligeret. Quin eos maximè ſemper irriſit, qui leuibus quibuſque momentis circumaguntur, modò fortes & induſtrij, modò leues & inertiſſimi; quos Hyænarum ſimiles eſſe dicebat, quas dicunt alternis annis mares fieri, alternis fœminas: eoſdemque cum Tireſiæ ſimulacro comparabat, quod certo apud Thebanos feſto virilibus veſtimentis exutum in muliebrem figuram habitumque formabant; paruoque temporis inter-

Plin. 8. 31.

Theſ. L. L. voce Epheſtr.

interuallo ſtola ſpoliatum illa muliebri, rurſus in veſte virili ſpectandum exhibebant. Quod ſi cui tam lubrica ætate adoleſcentiæ, inter tot illecebras & irritamenta malorum, atque in tanta impunitate peccandi permirum videtur, nihil ſibi Hyacinthum permiſiſſe, *cum vicus nullus non triſtibus obſcœnis abundet*, cur eidem non videatur permirum, cum vnum orbe toto terrarum mare ſit circumuagum, idque terras omnes alluat, tamen eſse tam varium, vt Belgicum, Balticum, Britannicum, & Indicum impetu exæſtuent maximo, motuque concitatiſſimo ferueant: contra ſit multo ſedatius Mediterraneum: vltraque inſulam Thulem ſit mare pigerrimũ, quod ne ventis quidem poſsit attolli? Cur illud quoque poſsit ei non mirum videri, hominum alios breues eſse, alios proceros magniſque artubus: quoſdam hebetis ac tardi ingenij, quibus difficillimè committuntur artes atque doctrinæ, quoſdam mira ad omnem doctrinam percipiendam docilitate? cur denique huic ipſi non ſit mirum, terram hanc, communem generis hominum poſſeſsionem, quæ condita eſt vt ferat fruges, & ceu mater quædam cibos ſuppeditet, alicubi feraciſsimam eſſe, ſemineque ex vno pluribus culmis fruticare, omniaque quæ ad vitæ tum commoda, tum delicias pertinent, vberrimè ex ſeſe fundere, habere etiam ſalinas, venaſque auri ac metallorum, neque non piſcoſos amnes & lacus, ſalienteſque ſalubres ac in medicinam expetitas, quales habent in Italia noſtra Baiæ Puteolique: alicubi contra eſse terram exilem, obſitam vepribus, infœcundam, quæ voret impenſas, perpetuoque rigentem gelu, quæ aut pariat nihil bonæ frugis, aut nihil excoquat ad maturitatem, quales pleræque è ſqualentibus & ſiticuloſis Lybiæ plagis eſſe feruntur? quid enim hæc, quid alia quotidiana & peruulgata, quæ ſunt penè infinita miremur? Aliquibus natura tum locis, tum ingenijs plurimum indulſit, aliquibus indulſit nihil: quædam cumulauit bonis, quibuſdam omnia aut detraxit, aut negauit. Illud tum fortunæ tuæ fuit, Hyacinthe, tum indolis

Tacit. in vita Agricolæ.

Elemẽta philoſophiæ Stoicæ.

ac

ac ſummæ diligentiæ, tum præcipuè Dei ſupernè fauentis, quod intactus cupidinibus, inuictuſque cupiditatibus, nulloque penè tempore intermiſso à labore ſtudiorum ad iſtas adoleſcentiæ metas extremas perueniſti. quamquam quid ego huiuſce rei partem fortunæ tribuo, quam vniuerſam Deo intus molienti, tibique nauiter agenti referre debes acceptam? Multis quod certo ſcio rebus, atque præcipuè ipſi adoleſcentiæ, quæ niſi coerceatur, cupiditates, impetuſque ac motus habet feruentiſſimos, obſiſtendum fuit tibi. ſed ne te vigor ætatis, ne aliorum exempla, ne tot alia irritamenta auferrent, id feciſti, quod ſummum eſt munus viri Sapientis, Philoſophiæ Chriſtianæ decreta altè demiſiſti in animum, atque tibi diuinæ legis velut in amplexu viuendum atque moriendum perſuaſiſti. immo feciſti, quod facere ſolitas ait Plinius quaſdam aues, quæ ad nos ab eoo vſque mari tractu venientes immenſo, ſi fortè ventus ingruerit, & agmen aduerſo flatu cœperit inhibere, aduerſus vim venti ſeſe lapillis degrauare ac ſtabilire conſueuerunt. quem morem eſſe apum Cretenſium tradit Plutarchus, quæ, ſi quam oram procelloſiorem circuire oporteat, quo minus vento iactentur, lapillis paruis velut ponduſculis, ſe ſtabiliunt.

Lib. 10. c. 23.

Sed quid ago tandiu verbis ineptiſſimis? mihi vano ſtrepitu theatrum implenti obmurmurat, obſtrepitque meæ tenuitatis conſcientia. Serum eſt, quod ſum facturus. multo enim ante, illum apud Platonem imitari me oportuit Cliniam Cretenſem, qui cum hoſpitis Athenienſis ſermonem exciperet, velletque illi ſignificare, ſibi & ſodali ſuo Megillo ea quæ modò dixiſſet, minimè probari, ſic ait; *Verbis quidem te, hoſpes, laudare, graue ac odioſum eſt, re ipſa te multo laudabo lubentius*; ſimulque qua in re eſſet hoſpitem laudaturus oſtendit. Quin graue vtrique noſtrum ſit ac odioſum hoc meum munus haud dubito, Hyacinthe ſuauiſſime; qui dum verbis minus aptis (neque enim meliorum mihi copia ſuppetit) non poſſum, verbis certè permultis perſuaſeram mihi,

3. de leg.

hi, poſſe me aliqua ex parte tuum meritum effingere. Ergo iam auferantur verba, proferantur ornamenta, multiſque eadem in hunc locum ferculis inferantur, vt annulo ac toga Hyacintho nouum decus acquiratur, quem ad hoc munus natura peperit, conſuetudo exercuit, felicitaſque ſeruauit, ciues vt ſuos, quemadmodum viribus, ætate, fortuniſque vterentur, præſenti ac viuo exemplo doceret. Tibi HYACINTHE COMES in hac extrema parte mei muneris id precor, id auguror, vt ne vnquam tuis floribus deſint fructus, tuamque vt virtutem COMES fortuna ſequatur. Dixi.

In Laurea

LEONARDI VICECOMITIS

PANEGYRICVS.

ETſi me perſæpe hunc morem vſurpare videtis, clariſſimorum adoleſcentum vt mores, vt vigilantiam ac indolem proferam in concione, & tanquam tabulas quaſdam elegantiſſimas, ſummorum artificum ſtudio manuque elaboratas in clara luce videndas conſtituam; alia tamen omnia malim, quàm quemquam ſuſpicari, me nundinanti cuiuis venditare hanc artem dicendi: ſtudioque adductum aſſentandi poſſe committere, vt facultatem oratoriam, haud ſecus quàm vilem quampiam, putidamque ac olentem ancillam, inertis cuiuſuis, obſcuriue ciuis, aut etiam flagitioſi cogam honori deſeruire. Ego verò bonorum vererer offenſam, neque tantùm quid vos præſentes, quorum ſanè iudicia reformido, ſed etiam quid

quid genus hominum vniuerſum, atque adeò quid atrium hoc ipſum ſenſus communis expers, de me eſſet iudicaturum, anxiè trepidèque reputarem, ſi quod olim Achilli vrbium euerſori, quod Aiaci, denique quod regi regum Agamemnoni Græca Homeri Muſa tribuit, id ego temerè ſcilicet, ac nulla fronte aut Sinoni cuipiam ad mentiendum impudentiſſimo, aut omnium pecudum ignauiſſimo Dranci tribuere ſuſtinerem. Immo qui ſunt eiuſmodi, vt rei nullius ſtudio teneantur, niſi luxuriandi ac ferias agendi, nomenque ſemper oderunt pudoris ac induſtriæ, tamen molles auriculas habent, gaudentes ea modulatione, qua ſui mores & facta commendentur; ij licet vndecunque ſibi laudatorem accerſant: me certè ſi norint, non reſpicient, nec appellabunt, cui viuo nemo perſuadebit vnquam, vt *ſaltanti togam inducam*, ac panegyricum rem ſacram, natamque in vſum, ornamentumque virtutis in comendo, ornandoque ignauo aliquo, aut morione contaminem. Hoc enim de me magnificè atque glorioſè prædicare non dubito, mea opera qui vti velit, eum in Iſthmijs, Nemæiſue victorem extitiſſe oportere, profligâſſe hoſtes, monſtriſque perniciem attuliſſe. Quod ſi quis iam Iſthmia, Nemæaque irrideat, quorum non vſus duntaxat, ſed penè memoria quoque, nomenque interciderit: nec ſatis multos affirmet inuentum iri, quos ego ſim dignaturus honore: Theſeumque ab inferis, aut Herculem Thebanum excitandos eſſe dicat, ſi quos velim exornare; ille verò deſinet mirari, deſinet indignari ac irridere, ſi compertum habuerit, ſua eſſe ſpatia virtuti, ſuaque adoleſcentiæ cum ſpatia, tum monſtra non deeſſe; quæ niſi quis ſtrenuè feliciterque confecerit, eum nemo ſapiens vnius aſſis æſtimabit. Veſtrum ego neminem, Viri Clariſſimi, arbitror ignorare, Leonardi Vicecomitis familiæ tantum à me deberi, vt ſi in eius propugnatione hos oculos impendam, nullam partem videar ipſius meritorum aſſecutus. Veruntamen ſi quis me ita cuiquam obnoxium obſtri-

Mart.

ctumque

ctumque eſſe poſſe arbitretur, vt propterea meam in ſentiendo ac in loquendo libertatem debeam obliuiſci: atque vt priuata officia alijs rebus potius, quàm priuatis officijs muneranda mihi eſſe ſtatuam, fallitur, neque meam fidem ac ſimplicitatem habet cognitam & perſpectam. Sed commodè illud accidit, vt plurimum ego debeam ei, cui ſe quoque natio doctorum atque bonorum ciuium vniuerſa, admiratione ſapientiæ atque doctrinæ multum debere profitetur. Ergo Diuos precati, conatum vt hunc noſtrum benè vertere velint, rem inſtituamus.

Satis equidem intelligo, quę ſit Peripateticorum ratio, qui ſummum bonum in conſtanti & perfecta ratione vitæ collocant: quæ item Stoicorum ſit, qui bonum ita ponunt in virtute, vt præterea nihil eſſe magnopere expetendum contendant; eique ita deeſſe nihil ad beatè viuendum docent, vt qui ſapiens ſit, ei continuò nobilitatem, opes, atque adeò formam quoque, ipſum denique etiam regnum adeſſe defendant. Ego verò Leonardo ita tribuo virtutem vt alia, quæ poſita ſunt in fortunæ temeritate, & quæ comparatione virtutis *parerga* poſſunt videri, quas certè nemo non magnas quaſdam & præclaras acceſſiones exiſtimabit, ei dicam abundè ſuppetere. Patriam Leonardi ſi requiritis, quandoquidem id hodie permagni ad famam nominis putant intereſſe, quo loco primos edideris vagitus, quo *reptaueris infans*, dicam haud ſanè grauatè. Ille verò minimè ſanè nec in Inſula Delo, quam eſſe terrarum vmbilicum ferunt fabulæ poetarum: neque in inſulis Fortunatis, vbi citra ſerendi arandique laborem omnia proueniunt, editus in lucem eſt, ſed Mediolani in vrbe celeberrima, quæ quamquam modò pars ſit alienæ potentiæ, cum ante annum centeſimum in ius ditionemque regum exterorum conceſſerit, diutiſſimè tamen ſedes imperij fuit Regulorum florentiſſimorum: multiſque ante ſeculis, cum Romanæ æmula magnitudinis eam vrbem pati parem poſſet, ſuperiorem aſpernaretur, Marte plerunque ancipiti de imperio dimicauit, neque niſi

Sophocles in Tyrann.

victa

victa malis, multiſque acceptis illatiſque cladibus; fræn os & iugum accepit. Attamen quæcunque partium fuerit fortuna (cum enim cuncta vnum in locum vergerent, omneſque circa Reges faſcibus ſubmiſſis leges Romanas acciperent, quid ſuperis hominibuſque inuitis vna gens noſtra animis maioribus, quàm viribus Romanum imperium detrectaret?) quæcunque, inquam, fuerit fortuna partium, illud Mediolano nulla vis hoſtium, ac nulla temporum iniquitas potuit adimere, ne inter Inſubres rerum caput eſſet, ne copia rerum plurimarum affluueret, ne ciuium ſplendore, ne vbertate agri adiacentis, ne litterarum ac rei militaris gloria floreret, neue propter amplitudinem ſuam, & plurimas maximarum rerum opportunitates, plures quàm Homerica Penelope procos haberet, qui ſæpius, quàm vellemus, rem ad manus reuocarunt. Neque tantùm in hac vrbe natus Leonardus eſt, ſed etiam eo genere, quod inter ſuos tandiu tenuit principatum, donec domum ea indignam contumelia euertit aliena cupiditas. centenos ſexagenoſque annos, & eo ſanè amplius, potens rerum fuit, finibus imperij latiſſimis; additiſque vrbi pro vetere Circo ac theatro nouis operibus, iunctaque mutuis connubijs fermè cum omnibus Europæ principibus familijs affinitate, cum imperium firmauiſſet præſidijs maioribus, quàm vt quidquam alicunde foris poſſet metuere, proditorem reperit inibi, vbi minimè oportuit, princepſque gentis nouiſſimus latrocinio domeſtico fuit interceptus. Seſe vt videtis, circumegit orbis rerum, ac extorto per ſummam iniuriam principatu faſces aliò, aliò vigiliæ & apparitores, ac totus ille ſummæ fortunæ apparatus translata fuerunt. Imperio tamen exuta, ac data è tanto faſtigio præceps Vicecomitum familia ita veteris poetæ verbum vſurpat, *Fuimus Troes*, vt quercus ingentes & fraxinos imitetur, quas turbo aliquis aut etiam ſecuris deiecerit, quæ nemore iacentes medio, quæ
Plin. lib. ſtantium proceritas fuerit, ſatis oſtendunt. Illam
34. c. 7. quin etiam Rhodiam Solis ſtatuam imitatur, de qua illud

illud memorant, cum ſeptuaginta cubitorum eſset, terræmotu fuiſse proſtratam, ſed miraculo iacentem fuiſse. Quid ita rebus in humanis ludis, hera procaciſſima? quid omnia commoues ab imo? rem hinc transfers aliò: repetis, quæ nuper dediſti: quos ornauiſti, deſpolias: deijciſque ac deprimis, quos aliquando ſuſtuliſti. Quibus cuniculis, quibus machinis domum dominatricem peruertiſti? An ipſos tutores, affineſque à te in eius pernicіem ſubornari oportuit? Vicecomitum auctoritas tanta, copiæ, maieſtas, penèque regius dominatus, *prius fuerunt*. quæ tamen generi Vicecomitum ita exciderunt, vt iuſtiſſima & perantiqua principatus poſſeſſione deiectis ſuus ſemper ſplendor conſtiterit. quid enim verbis opus eſt? Vicecomitum ex gente ducentæ & eo fortaſſe amplius claruerunt familiæ, quæ dubijs patriæ, ſuorumque Regum temporibus multo plures, ac multo promptiores, quàm Romæ Fabiorum genus, exhibere poſſet, qui arma capeſſerent, & rem militarem adminiſtrarent. Tot verò per Inſubrum fines, atque adeò per Italiam proſeminatis ac ſparſis familijs ſunt iura & vectigalia, ſunt opes tantæ, eſt tanta dignitas, vt quamquam priuatæ fortunæ penè modum excedant, nullis tamen, ne dominantibus quidem, graues ſint, quos quotidie fide obſequioque maiore ſtudent demereri: atque ſemper conſilium meminerint Othonis, qui ea nocte, quæ illi rerum humanarum ſuprema fuit, Saluum Cocceium fratris filium magnopere monuit, *ne patruum ſibi Othonem fuiſſe aut obliuiſceretur vnquam, aut nimium meminiſſet.* Ortus ex hac familia clariſſima Leonardus fuit, Othone, Matthæo Magno, Galeatio, cæteriſque gentis heroibus nepos digniſſimus. parentes ei Petrus Aloyſius, & Angela Catherina Turriana fuerunt. Hoc verò inſtar oſtenti cuiuſdam habet, Vicecomitem alijs poſthabitis omnibus virginibus Turrianam ſibi in vxorem popoſciſſe, & potuiſſe Turrianam aſſentiri, vt nuptui collocaretur in domum inimiciſſimam, quicum domus ſua odium inueteratum atque illud omnium acerbiſſimum exercuiſſet. Quàm ſæpe collato pede conflixe-

Tacit. hiſt. li.2

runt maiores ? quoties immiſſi vtrinque percuſſores, bona direpta, penates diruti, & ipſi harum rerum domini acti extorres ? quandiu qua palam acie ac armis, qua clanculum cuniculis & inſidijs, qua etiam veneno ac incendijs vtrique graſſati ? quot artibus, quot machinis oppugnatæ inuicem fortunæ, capita, ac ſalus vniuerſa ? denique quàm multis locis relicta mutuæ lanienæ impreſſa veſtigia ? quæ mehercule reminiſci pars neutra poteſt, quin vetus ſæuiendi dulcedo ſubeat animum, & malè ſoporatus dolor recrudeſcat. Quæ cum ita ſint, an cuiquam videri poſſit credibile, res tam diſſociabiles, odijs aliquando poſitis, omnique obliterata offenſione ad concordiam potuiſſe redigi ? potuiſſe inter animos tam diſcordes, tam infenſos, ac tam atrociter diffidentes mutuam beneuolentiam coaleſcere ? Vicecomitem denique ac Turrianam potuiſſe illigari nuptijs, & ſacro nexu coniugij copulari ? Copulauit Hymenæus duo nomina familiarum inimiciſſimarum, atque ita copulauit, vt nullis ex omni memoria coniugibus conceſſerint, qui magis læti connubio forent, magis viuerent coniunctè, atque in amore ſibi magis reſponderent. Patriam Leonardi, genus, ac parentes audiſtis. qui ſi fortè miramini, quid ſit, quod è domo minimè quidem luxurioſa, cum primis tamen lauta, locuplete ac opulenta prodierit Leonardus tam recto ac pudico ingenio, tam tolerans laborum, atque ad omne ſtudium veræ laudis tam propenſus, illud primum expendite, intra quos lares creuerit, & quàm ij cuiuis omnis honeſti cultus præclara ſchola eſſe poſſint: tum quo fuerit patre genitus, & quanta grauitate morum, qui fuit diſciplinæ puerilis inſpector, & fortaſſe plus æquo ſeuerus exactor: poſtremo in cuius ſinu matris altus ac educatus, quàm neque imperioſæ, neque factioſæ ac elatæ; quæ ingenio placidiſſimo, humaniſſimo, ſuauiſſimoque cum eſſet, infantulum ad ſimilitudinem morum ſuorum effinxit. pudorem, pietatem, ac officia virilia cum Leonardum tot magiſtri docerent, tum muti, quorum expreſſos vultus tabulæ pictæ
oſten-

oſtendebant, tum vita ſpirantes ſua, qui ei ſemper hærebant ad latus, vix equidem exiſtimo alium ab eo, qui eſt, euadere Leonardum potuiſſe. Crepundijs Leonardi, & primi eius temporis memoria afficior mirificè, Viri Clariſſimi; cuius ætatis luſus pueriles cum notarem, neſcio quid ingens mens præſentiebat mea, & iam tum, Quid nos, dicebam, qualis ſit futurus Leonardus, coniectorem, aut reſponſa vatum expectemus? Quàm habitet laxè Aloyſius Vicecomes, quàm magnificè, tam noſtis, quàm quiſque vngues ſuos. Parietes & conclauia, vt perſæpe vidiſtis, conchyliata operis Phrygij periſtromata veſtiunt, in quibus elegantiſſimè acus expreſſit tum certamen, quo Carolus Martellus in Turonum finibus graues orbi terrarum Sarracenorum opes euertit: tum illam patrum memoria cladem, quum ſacro principum fœderatorum bello fuſa fugataque apud Naupactum claſſis Turcica fuit: tum prælium illud auſpicatiſſimum feliciſſimumque, quo ad decimum ab vrbe lapidem interfectis aut captis Turrianæ familiæ proceribus, attritæ gentis opes fuerunt, partaque eſt ab Othone, atque à Matthæo ea victoria, quæ ijs II. viris ex omni memoria clariſſimis principatum ſtabiliuit. His imaginibus moris habebat Leonardus hærere: & quod maximè miremini, iam tum quadrimus, iam tum quinum ac ſenum annorum, paruis ad eaſdem temporis interuallis, cinctuſque gladio velut in campum redibat, Martemque ſpirabat animo irrequieto, & quanto ferocius quæque ex eis imaginibus inter ea pictorum certaminum ſimulacra pugnam ciere videbatur, tanto eam ardentius ſtricto gladio laceſſebat. Vnum illud confeſſione omnium, qui intererant, captum ſuperabat infantuli, quod cum militariter cinctus reuerteret ad ea periſtromata, expreſſumque in ijs Franciſci Galliarum Regis caſum ſpectaret, quem apud Ticinum nocte intempeſta lapſus equi morientis in foſſam effuderat, ita Regi inimico ac tum maximè hoſtilia molienti, minaci gladio minitabatur exitium, ad eumque opprimendum ita decur-

August. Curio Sarracenicæ hiſt. l. 2.

Georg. Merula in Galeac. 1.

Ioſeph Ripam. Dec. 3. l. 9.

rebat, vt tamen negaret cum effuſo iacenteque ſibi rem eſse, ac illud adiungeret, degeneris animi ſibi videri, hoſti inſultare chlamyde ac ephippijs impedito, neque ſe vnquam eſse in vllum hoſtem, niſi ſtantem ac armatum, viribus ſuis vſurum; expectare ſe, dum ſe Rex colligeret, tum ſe illum pro hoſte, & eo quidem crudeliſſimo habiturum. Hæccine puer? hæc parens, hæc nos videremus, audiremuſque, neque obſtupefacti admiratione quæreremus, quis ei ante diem, ac vſum rerum, mentem indidiſset eiuſmodi? neque miraremur, vnde illi ſapientia tam præcox in pectus defluxiſset? hæc ſpectaremus, neque nobis defluerent vbertim lacrymæ? neque parentum beatiſſimorum, qui filiolum ingenio tali præditum haberent, fortunas laudaremus? Leonardo pueritiam ineunti parens literatorem proſpexit, non quem ſors offerret, ſed vigilantem, & apprimè diligentem, & quem pudor atque chriſtianæ virtutes commendarent. quid enim, qui ſummam curam adhiberet in eo, ne ſuis agris & arationibus bonus villicus deeſset, ſuaſque rationes ſeruo ab idoneo vellet adminiſtrari, atque ad omnia ſuæ domus miniſteria quàm aptiſſimos eligeret, omiſſior eſset & ſocordior in eo quærendo, cui non puerum aliquem ſumma ſpe, ſummoque ingenio, ſed meras delicias, ſed gemmam ex omnibus vnam pretioſiſſimam, ſed quiddam ſuis oculis multo charius committeret? Ergo traditus vigilantiſſimo, artiſque apprimè callenti fuit, primiſque ſtatim documentis eam ſui expectationem commouit, quam ſolent, qui ad literas tractandas ingenium excellens, & egregiam voluntatem attulerunt; quæ duo tum in omni arte perdiſcenda, tum in re literaria ſunt haud dubiè puppis, quod aiunt, & prora. Huc cum accederent ingentia hortamina ſuorum, qui velut à tergo incitarent ad rem gerendam ac ſtimularent: cum ſanctiſſimi teſtes, maximique laudatores adeſſent parentes: cum neque firmitas deeſſet corporis, neque ratio diſciplinæ: & cum eiſdem rationibus deſeruirent opes, quod poeta ait eſse *Deorum muneribus ſapienter vti*: poſtremo cum faueret supernè

Deus,

Deus, quo à fonte omnia fluunt, quò etiam refe-runtur vniuerſa, quis aut plura, aut maiora ad doctri-nam adipiſcendam inſtrumenta requireret? Sed iam ætas increſcens, ac maior ætate progreſsio Leonar-dum cum hiſce præſidijs ac adiumentis velut à cuſto-dia ad liberiora Academiæ iura traduxit. Cedo iam qui mores inibi adoleſcentuli fuerint, quæ ſtudia. Ille verò ſtatim celebritate & populari exiſtimatione commoneri, nullum in tam clara luce ignauiæ locum eſse poſse putare, quemque diligentiſsimum æmula-ri, ac ne poſſet à quoquam anteiri, diligentiam, quæ ſumma eſſet, adhibere. Nulla fax maior,nullumque magis telum acutum eſse potuit viuido adoleſcentis ingenio, quàm probri pudor, laudiſque certamen. pro omnibus ſtimulis erat ea cura, ne collaudatis alijs ipſe præteriretur ſine honore verborum. Ita enim ſe-cum loquebatur: *cæteros cum vincam* generis clari-tate, committam, vt cuiuſquam vincar induſtria? Num obſcurus & inglorius delitеſcam in turba, dum alius quiſquam velut albis quadrigis vehatur in cælum? Quid enim vita opus eſt mihi, ſi alius magis ſit in ore omnium? alij ſi cuiquam magis plaudat doctorum ciuium chorus? Mihi ergo vt quiſquam primas præripiat? Sint omnes Dini propitij mihi, ne viuo videntique tantæ maculæ nota inuratur. Eius temporis erat hæc cura, quæ ſanè inſolentem contu-meliæ adoleſcentem, & gloriæ ſupra quàm credi po-teſt, appetentem, maximè anxium habebat ac ſollici-tum. his facibus admotis animo, adactiſque his ſti-mulis an exiſtimatis ſocordius Leonardum verſari potuiſse in opere, & vllam ſibi potuiſse partem diur-næ aut nocturnæ quietis impartiri? Manſiſse verò Leonardum natu maiorem in ſententia, vnum eſse documento poteſt, quod crebris illud ſermonibus vſurpauit, ſibi nihil vnquam prima litera charius, ſe-cunda nihil magis inuiſum fuiſse, Eratoſthenemque, qui literæ B. cognomento vocatus fuit, nullo ſe vn-quam numero,ac nullo in pretio habuiſse,quod ſum-mis proximus, in omni diſciplinæ genere tantùm ſe- Heſych. de viris illuſtrib.

cundas tenuiſset. Quid ergo vobis, Clariſſimi Viri, mirum videatur, otium quod eius æqualibus & condiſcipulis ad ludos, atque ad ſectandos amores ſuperfuit, ſemper ei ad diſcendum defuiſse? Eò quandoque pertraxerunt inuitum, vbi ludebant aleam multi nobiles ephebi, ſed ſatur de illo theatro ante complicatum aulæum diſceſſit: rogatuſque poſtea perſæpe, vt ludis iiſdem ſeſquihoram tribueret, *Satiſne*, inquit, *ſobrij eſtis*, qui me vobiſcum poſtulatis inſanire? dum ſpatiabor, mulieribus dum placere voluero, dum ludam, dum rixabor, quæ vos penè quotidie facitis vniuerſa, quota pars temporis literis ſupererit? Vos viuite, quando ita lubet, veſtris moribus, & quando nihil nec dicitis pro ſanis, nec facitis, parcite ſaltem graues eſse mihi, ac libris hærentem obturbare. quibus verbis plus inerat ſtomachi, quàm ego vobis poſſim oſtendere. Quid hìc non ameris, Viri Clariſſimi? quid illic non execremini? hinc conſtantia & grauitas, leuitas illinc, ſummæque ineptiæ: hinc pudor, conſilium, ac benè inſtitutæ rationes, illinc ſcopæ diſſolutæ, ſummaque turpitudo, & eualura in magnum aliquod malum licentia: hinc denique ſtudium laudis & benè morata omnia, illinc ſine certis legibus ac ſine frænis præceps in perniciem intemperantia. Anne ſineret ſe ſe abduci abſtrahique captiuum, qui tanto ante modeſtiæ ſacramentum dixerat? anne inſtitutus in ea domo, quæ ipſi non tam ſpatium militaris diſciplinæ, quàm Athæneum, & Sacrarium fuit, repentè bonam mentem eiuraret? initijs tam præclaris velut quibuſdam prædibus magis ſeſe Leonardus obſtrinxerat, quàm vt ei foret integrum ad ſocordiam ab induſtria deſciſcere. Quamuis enim ſuum ipſius genus non adeò longa cognatione annexum Regibus non ita pridem principis amiſiſſet officia, memoria tamen veteris fortunæ ſecum Leonardus loqui putauit Vegetium dicentem: *Nullum eſſe, quem oporteat vel plura, vel meliora ſcire, quàm principem*. Hæc meditanti Leonardo, quotidie hæc ipſa molienti, cum ratio poſcit, adeſt in tempore lepos & comitas, non illa

de re milit.

qui-

quidem diſſoluta, ſed quæ diſciplinæ temperet ſeueritatem, vitæque laborioſæ condiat amarorem. Memini cum ad eum officij cauſa viſi, quem pluteo aſſidentem ſuo cum interrogarem, quid rerum ageret die in veſperam præcipiti? quòd tineæ ſolent, reſpondit; quas literæ alunt, neque tamen quid ſint literæ, norunt: Muſaſque arrodunt quotidiè, neque tamen propterea paulò doctiores euadunt. Artem dicendi, in qua ſæpè multum præſidij, ſemperque plurimum ornamenti ſitum eſt hominibus, cum primis adamauit; quam qui minus calleat, tantum abeſt vt in doctorum numero habeat, vix vt hominum in numero habendum exiſtimet. eam certè qui neſciunt, omnia cenſet ignorare. Hanc artem poſteaquam comparaſſe viſus fuit, dicere vt aptè commodèque poſſet in cœtu ciuium, tum verò ne quis ſibi poſſet exprobrare, quod olim Theocritus Chius Bizantijs, quos ſcommate ſanè acerbo dixit, *Omnem ſupellectilem in ore geſtare*, ad artem æqui bonique, hoc eſt ad legum ſanctiones cognoſcendas ſe contulit, minimè hercle ſpem lucri ſecutus (quid enim auro inhiet tam diues?) neque adductus eodem conſilio, quo leguleiorum permulti, qui ſic legibus, quemadmodum fabri cœmentarij ſtructoreſque Lesbia norma, vtuntur; ſed vt noſſet, quæ eſſent humanæ vitæ iura, qui æqui boniq; fines, atque vt ciuis florentiſſimus multiſque notiſſimus artibus ea quoque pulcherrima facultate cenſeretur, qua poſſet multis ſalutem afferre. At nè per omnia, quibus operam dedit, longiore, quàm vos ferre poſſitis, ambitu orationem circunferamus, rem vno abſoluamus eo verbo, Leonardum in omni palæſtra, in qua hominem tali ortum genere verſatum eſſe oporteat, ſolertiſſimum eſſe. Cuius cum mens cogitando, commentandoque viſa eſt ita langueſcere, vt neget ſe poſſe diutius in opere perdurare; facit tum quoque Leonardus, quod ſuo loco dignum cenſet, vt à ſtudijs animi ad ſtudia tranſeat corporis, atque ad exercitationes ludoſque campeſtres: certoſque ſibi ex omni numero delegit ephebos illuſtres, quibuſcum

Stobæus

habet ſolemne decurrere, arma tractare, equitare, pugnæque ludicra ſimulacra ciere. Certos, inquam, delegit ſibi, vt cum det ſe omnibus, omnibus arrideat, aſſueſcat omnibus, ac placere ſeſe ſtudeat vniuerſis, ſeorſum habeat pauciſſimos, quibus intimè vtatur, & quorum ſe benè penitus in familiaritatem dedat. hos habet ex animi ſui ſententia congerrones, quibuſcum omnia tum ſeria, tum ludicra condit literis, quibuſcum inter prandendum de literis agit, quibuſcum inter ambulandum nugatur de literis: cœnæ ipſæ medius fidius literarijs condimentis lautæ ſunt, opiparæ ſunt, ſaliares ſunt, & cum de literis confabulantes ſomnus opprimat, literata ſunt penè etiam ſomnia dormientium, experrectique ſummo mane repetunt literas, ab eiſque diem auſpicantur. O præclaros adoleſcentes ac dignos, quos gloria tollat in currum ſuum auratum! ò meritos adoleſcentes, quibus omnes Demetrij Phalerei ſtatuæ ponantur! ò dignos ephebos, quorum exemplum adoleſcentibus vniuerſis fama ad imitandum proponat! Ad omnia, quæ honeſta ſunt, mirum eſt, quàm habeat Leonardus animum propenſum. nam vt Geographica, vt Aſtronomica, vt Mathematica perdiſceret, quorum eſt cognitio tum varia & multiplex, tū laborioſa & perdifficilis, quid opus fuit, niſi vt vellet perdiſcere? Neque tamen ita decora huic adoleſcenti omnia tribuo, vt nō fatear, eum ita plus æquo ſolitum fuiſſe turgeſcere ac efferueſcere. quod ego Leonardo nihilò magis in vitio poſuerim, quàm Socrati ponendum in vitio putauerint viri ſapientiſſimi, quod eum ad amores, veneremque natura procliuem finxiſſet. Nam vt lapſantem naturam ſuſtinuiſſe, præclarum & glorioſum Socrati fuit, erit itidem Leonardo præclarum, ebullientem iram adhibita diſciplina, velut frigida ſuperfuſa reſtinxiſſe, & meditatione ſtudioque naturæ vitium ſuſtuliſſe. Seſe cum Leonardus ſentiret, validius quàm par eſſet, ignem concipere; cum intelligeret ſe minaci vultu, triſti fronte, toruaque facie furenti ſimillimum euadere; cum certò ſciret, exæſtuante

tuante ab imis præcordijs ſanguine, multo os totum rubore ſuffundi, micare oculos in modum truculentum, ſeque totum magis diſtorqueri, quàm bellum & elegantem oporteret adoleſcentem, Mineruam illam poeticam imitatus fuit, quæ cum ſe ipſam tibias inflantem conſpexiſſet in lacu, oriſque ex ea re turpitudinem vidiſſet, illas abiecit ea verba effata, *Secedite à me mala corporis deprauationes*. Leonardum quoque ſui puduit ipſius, quod tam eſset ad leuia quæuis momenta irritabilis, & quod æſtu quodam cæco ſe penè agi tranſuerſum intelligeret, paulatimque naturam paulò ferociorem, velut feram quandam cicurem effecit. Nam qui fibras euellere iræ, qui eos motus intumeſcentes compeſcere potuit, & naturam flectere in diuerſum? quibuſue catenis potuit iram velut feram quandam trucem illigare, eique ne in quemquã incurſaret, vngues atque dentes adimere? ademit Leonardus, magnaque contentione peruicit, animum vt refractarium & contumacem ſubigeret. Studium, Viri Clariſſimi, & chriſtiana pietas naturæ Leonardi velut manus iniecerunt; ratio denique ipſa velut quædam Socratica medicina mitigauit Leonardum, ſanauit, ac ita immutauit, vt iam veteris iracundiæ neque volam, neque veſtigium poſſitis intueri. Hæccine gens, Paule Ioui, ſenile tui parentis guttur fregerat, vt eam tanto aceto perfunderes, vt diuexandam ſuſciperes, & palam editis libris ſumma & petulantia & acerbitate perſtringeres? Cui tantum tum veterum, tum recentium decorum eſt, tot mandati ampliſſimi honores & magiſtratus, tantaque domi & foris, tanta togatæ paludatæque tum induſtria tum gloria, hanc tu conſpuere, huic inſultare auſus fuiſti? Vnde iſte liuor & ærugo? an ea *boues tuos, an equos abegit*, vt eſt in carmine Homerico, vt dolorem tuum aliquem probris tam virulentis vlciſcereris? Obieciſti Vicecomitum familiæ luxum, & conturbatas rationes, decoctores appellas, atque ſpretum ab eis veræ virtutis nomen criminaris. Quin addis & violatas Diuum cæremonias, & effoſſa cadauera, & malis carminibus

Athenæus lib. 14.
Natalis Comes lib. 6. c. 15.
Iliad. α.
In elogio Georgij Merulæ.

nibus deuocatam Lunam è cælo? Sed nulla ratio habenda eius viri, qui palam in aula Henrici II. Galliarum Regis obſcuriſſimo cuiuis claritatem generis mercede promiſit, maledicentia vlturus, ſi quis eiuſmodi nũdinationi fuiſset aduerſatus. Sed velim, vt qui adeò temerè famam gentis innoxiæ & florentiſsimæ inceſsit, nominique Vicecomitum obtrectat vniuerſo, Leonardum aſpiciat, atque adeò etiam introſpiciat, videatque perattentè, cui tandem eius parti poſsit ſuos dentes infigere.

Sed pro cauſa iam ſatis, extraque cauſam plura etiam quàm vellem. Me miſerum, quem præclara volentem ſemper vires deſtituunt! Te ſi minus in meis verbis agnoſcis, Leonarde, quid ego magnopere repugnem? quidue contra tuam ſententiam hiſcere audeam? reum confitentem habes, irritique ſui conatus deprecantem inuidiam. Imaginem tuam, quam mihi in animo non magis amor, quàm iudicium depinxit, mea nec oratio, nec prædicatio potuit exhibere. Vbi ſtabilis diſciplinæ tuæ ratio? vbi acer ac præſens animus & cum primis excelſus? vbi conſuetudo beneficentiæ, qua quotidie paratior euadis, & tanquam exercitatior ad benè de multis promerendum? vbi ſtudia pietatis, quæ tibi ſemper prima fuere & antiquiſſima? vbi denique artes exercitationeſque virtutum, & *ſeries pulcherrima rerum*? nihil horum expreſſum coloribus, ac ne adumbratum quidem, nihil non deliteſcens in vmbris. Vos verò, Viri Clariſſimi, ſi fortè ex meis verbis eſtis conſtituturi, de Leonardo quid exiſtimetis, fallimini. immenſum eſt, quantum ab archetypo decidat & abludat hæc imago, & quantum infra dignitatem rei, rudis hebeſque ars mea ſubſidat. At enim ſi pictores vix vnquam formarum elegantiſſimarum pulchritudinem aſſequuntur, à me non treſſis artifice quid expectaretis aliud, quàm vt amphora inſtituta fingerem vrceum, & pro Apolline Marſyam exhiberem? Quod ne fraudi eſſe poſſit Leonardo Vicecomiti, hoc prædico, hoc ciui cuiuis ac extero teſtatiſſimum eſſe vo-

lo,

lo, me gygantem cum vellem, imbecillitate mea, artiſque atque virium penuria pumilionem expreſſiſſe. Dixi.

In Laurea
ANSELMI PVSTERLAE
PANEGYRICVS.

ILla duo, de quibus ait Plato poſſe ſe quemquam magnificè atque glorioſè iactare, ſi de parua re ſciat prolixam orationem, atque de magna breuiſſimam habere, mihi ſemper cum abſurda, tum etiam indecora, & viri grauis fide ac dignitate viſa indigna fuerunt. Nam vt eiuſmodi ratio fortaſſe nouitate ſua multorum approbationem moueat, atque vt præcipuè ſe iactet multitudini, quæ admirabilia & rara, ac inexpectata pro optimis & laudatiſſimis habere, iiſque velut theatrali acclamatione plaudere conſueuit; ſapientibus certè ac ſeuerè inſtitutis hominibus quo modo ſe poſſit probare non video. Cuius enim eſt conſilij aut non exæquare argumentum, aut etiam nimis redundare? Orationem alicubi, vbi debet eloquentia ſe totam proferre, aridam prorſus & ieiunam eſſe, reſque nudas atque inornatas indicari: alicubi contra, vbi laxitate nihil eſt opus, ſinuoſam, & accerſitis ornamentis laſciuam adhiberi, quæ demum ratio eſt? Quarum rationum vtra, in cauſa Anſelmi Puſterlæ, eſſent vſuri homines leuiſſimi non video. priori certè, quæ in re nihili multa eſt ac verboſa, vltraque metas omnes expatiatur ac euagatur, vix inibi eſſe locum exiſtimo, vbi minimè de Trinummo Plautino controuerſia eſt, ac vbi minimè In Phædro.

tres

tres illæ capellæ poeticæ veniunt in diſcrimen: ſed in ea re, in qua Iuriſprudenti ornamenta quæruntur. Rem autem hanc grauiſſimam, quæ omnibus viribus ac luminibus artis illuſtranda eſt, ſummoque pondere rerum & verborum pertractanda, denique gratulatione triumphi ſimillima celebranda, in compendium redigi, atque ſub ſchemate non ſuo ita temporis & verborum incluſam anguſtijs exhiberi, vt quanti ſit, & eius quæ vis, qui ſplendor, non poſſit ſignificari, nemo ſanus rationi conſentaneum exiſtimabit. Ego certè hac vtraque leuiſſima atque nefaria repudiata ratione dicendi aliam huic tempori conuenientem excogitari cenſeo oportere, vt rebus verba reſpondeant, vt oratio aſſurgat, & quodammodo tibijs maioribus vtatur, denique vt eos imitetur, qui Aiacem aut Agamemnonem agunt in ſcena, quos vocem, inceſſum, habitumque oris atque totius corporis ad eas perſonas accommodare videmus. De Anſelmo quid ipſi, Viri Clariſſimi, exiſtimetis, vix poſſum dubitare. mihi certè omnia occurrunt magnifica, tum ſplendor generis, quantus eſſe poteſt cuiuſquam familiæ antiquiſſimæ, tum vita moreſque elegantiſſimi, tum ingenium vſque ad inuidiam felix, tum etiam in ſtudijs artium optimarum progreſſiones mirificæ, tum denique nomen ipſum Iuriſprudentis, quod eſt hominum exiſtimatione ſacroſanctum. Sed enim video me quiddam profiteri maius, quàm ad quod præſtandum ſim artifex futurus idoneus. Quid ergo faciam? pro auditore meo, cuius prima ætas iter tam manifeſtum ad ingenij lumen oſtendit, & qui ſemper, vt chariſſimus eſſet, ſtudio promeruit, quiddam etiam meis viribus maius audere non dubito. Meminero certè quem laudem: & necubi in tanta dignitate argumenti ſerpat humi, aut langueſcat oratio, ipſe me identidem excitabo. Me ſcilicet pietas extimulabit, laudatiſſimæque adoleſcentiæ admiratio, atque ni fallor veſtra omnium expectatio, vt omnia tentem, atque vt viribus meis maius aliquid imperem, quàm quod in eiuſmodi

caufis

cauſis communis ratio officij ſoleat repoſcere. Ergo cum ea ſolemni precatione, vt Diui cœptis aſpirent, rem inſtituamus.

At enim quamquam dum operum faſtigia ſpectantur, ſolent fundamenta latere: contentuſque hiſce Anſelmi bonæ mentis ſpeciminibus, præclariſque documentis animi ac ingenij poſſum quærendorum gentis primordiorum labore ſuperſedere; attamen ſplendor huiuſce generis tantus, quantus vel multis ſtatuis poſſit vocem humanam tribuere, vix mihi liberum ſinit eſſe, totum hunc locum ſine vllo meæ vocis teſtimonio prætermire. Ergo & tibi togæ candidato eam nobilitatem tribuo, quam antiquitatis ab vltima memoria poſſum repetere & ipſius nobilitatis eſſe vim eam contendo, quam eſſe cælorum ſuperiorũ aiunt aſtrologi, quos motu multo incitatiore, vehementioreque, quàm cæteros, in orbem verſari circumagique defendunt. Quid enim nobilibus plebs & artium ſellulariarum opifices de ingenio, de conſilio, atque de magnitudine animi controuerſiam moueant? Strato, quem ingenuum ſerui ſibi principem in defectione delegerant, velut Tireſia quidam inter vmbras fuiſſe, ſoluſque omnes, quibus imperabat, tanquam Deus quidam inter homines, exceſſiſſe ſolertia, ſolus rei militaris adminiſtrandæ, conſilijs regendi ſubiectos, emendandi iudicijs, denique ſolus imperandi artem calluiſſe fertur: cum ipſius ille ſeruorum quantuſcunque numerus ad præcauendum, atque ad præſentiendum cæcus eſſet; & quanto viribus erat ferocior, tanto eſſet ſtolidior, minuſque iudicio atque prudentia valeret. Qua de vi nobilitatis cum ſit copioſè diſputatum à tam multis, vt nemo contra hiſcere audeat, non faciam vt debitum alijs rebus multo grauiſſimis tempus breuiſſimum in re minimè neceſſaria prodigam atque conſumam. Mihi verò reſpectanti, atque Anſelmi de genere curioſius aliquid exquirenti ſecus euenit, atque ſolet ijs, qui magnorum fluminum oſtijs inuecti ad eorum fontes indagandos ſuccedunt. Etenim qua mare intrant

Iuſtin. hiſt. lib. 18.

amnes,

amnes, mirum eſt, quàm turgeant, & quantam vim aquarum in pelagum effundant; ſed ita inibi exundant, latiſque alueis ſuperfunduntur, vt nobis aduerſo ſubeuntibus flumine ſenſim aquæ decreſcant, magiſque ſemper cogantur aluei in anguſtum, donec qui amnes magnarum nauium, atque adeò etiam claſſium ingentium patientes fuerunt, euadunt riuuli, quos non ſaltu, ſed planè paſſu poſſit puer trimus tranſilire. Hanc noſtri Eridani, hanc Gallici Rheni, hanc Danubij Germanici, omniumque fluminum eſſe rationem, eſt omnibus certum & compertiſſimum. At mihi, quanto me longius vt ita loquar ad antiquitatis perueſtigationem retrofero, & quanto à nobis remotiora tempora reſpicio, tanto ſe Puſterlarum ſpecies maior, maiorque dignatio ac amplitudo oſtendit. Neque enim priuatorum ciuium contenta copijs hæc familia, ſed proxima dynaſtarum fortunæ, multis ante nos ſeculis planè regnauit. Nam annis de ſuperioribus fermè centenis, quibus hæc prouincia ceſſit Auſtriacis, quid cenſetis? quid de annis quaternis & ſexagenis, quibus paruit Sfortijs? quid item de quaternis ſupra centenos & ſexagenos, quibus omnibus Vicecomites imperitarunt? quid de vicenis & octonis, quibus ſunt rerum potiti Turriani? quid de ſpatio illo temporis vniuerſo, quod inter Longobardos, Turrianoſque interiectum fuit, quo tempore aut Archiepiſcopis, aut Cæſarum præfectis paruit prouincia, aut etiam annuis magiſtratibus, quos ſibi ipſa creauiſſet? Fruſtra ſub his tot imperijs Puſterlarum velut fontes ac initia creſcendi quæratis. apud Sfortias fuere gratioſi, à Matthæo Vicecomite fuit etiam ex hac familia gener aſcitus, à Turrianis, à Carolo M., ab Otthonibus II. & IV. cæteriſque à ſacris Imperatoribus fuerunt honoribus ampliſſimis culti: neque in tanta varietate dominantium, ac in tam crebra rerum commutatione defuit illis conſilium, dexteritas & fortuna, ſe vt ijs qui rem tenebant imperio, commendarent. Quàm multi caſus aliorum, aliorumque

qui Mediolani rerum potiti ſunt, plauſtrum euerterunt? quàm crebra fulmina imperantium perculerunt magnitudinem? Cum autem tum felicitatis, tum calamitatis Princeps quiſque conſortes habeat permultos, vt ſtare aut ruere ſolus non poſſit: eique ſi ingruant aduerſa, hoc fermè contingat, vt quanto plus cuiquam indulſit, is tanto ſit propior exitio, cuius demum fuit conſilij, & cuius ſapientiæ ita vitæ rationes attemperare, atque ita in florentibus aulis florere, vt principe proruto ſteteris incolumis, minimèque te neque vſſerit fulmen, quo imperantis deflagrauit fortuna, neque tempeſtas demerſerit, neque obtriuerint oppreſſerintque ruinæ? Qualium enim virorum nomina fuerunt Gulielmus, Anſelmus, Angibertus? Angiberti quidem, qui octingentis ab hinc annis fuit Archiepiſcopus, extat religionis ac munificentiæ monumentum præclarum, altare aureum in baſilica D. Ambroſij, munus ipſius ac anathema, quod aureis centenis millibus æſtimatur. Anſelmi verò nomen, qui pace inter Pontificem Romanum ac Cæſarem compoſita, ſublatiſque diſsidijs inamœnis res Eccleſiæ ex ſumma & turbulentiſſima tempeſtate ad magnam tranquillitatē reuocauit, *ſublime ferent ſemper ad ſydera Cycni*. Sed Gulielmis præcipuè, qui magno numero hinc extiterunt, indulſit fortuna. Nam præter vnum Nouocomenſem Epiſcopum, alterum Epiſcopum Brixienſem, quem non temerè comitem, marchionemque ac ducem appellant] ſcriptores rerum, præterque tertium, huius vrbis Archiepiſcopum, quam magnificentiam, quem ſplendorem, quas etiam copias & fortunas eius Gulielmi eſt neceſse fuiſse, qui nuptias è domo dominatrice expetiuerit? Neque enim aut ille ad conditionem coniugij tam ſplendidam, opulentamque aſpiraſset, aut Matthæus Magnus, princeps clariſsimus, Morigg. ſuæque dignitatis tenaciſsimus cum quoquam filiæ 4. 7. ſuæ nuptijs contraxiſset affinitatem, niſi quem opes, auctoritas, ſplendorque ac nobilitas penè Principibus exæquarent. Nam quid ille Gulielmus, cui Otho

IIII.

IIII. Imperator Dynaſtiam & iura *feudalia* vrbiũ Aſtę & Aquilæ confirmauit, quę multo ante Otho II. anno ſcilicet nongenteſimo genti, virtutis cauſa, donauerat? Quis enim Puſterlis geminarum vrbium principatum dederit caſus, quis item caſus eripuerit, vix eſt, qui in tantis antiquitatis tenebris poſſit deprehẽdere. Defuit rebus tantis lumen literarum, vt quæ ſuis, quæ alienis auſpicijs Puſterlæ geſſerunt, quæ vtraque fortuna, decora item pacis, decora belli, quæ viuere in memoria annalium debuerunt ſempiterna, ſepeliuit obliuio. Minimè tamen Guidi Puſterlæ potuit longa ætas memoriam oblitterare, qui anno octingenteſimo, quo tẽpore ſacris curabat Gregorius IIII. Imperiumque Ludouicus Pius adminiſtrabat, Mauros & Sarracenos à Centum Cellis, ab oſtijs Tyberinis, & Regni Neapolitani ab vniuerſa ora maritima abegit, expulit, exterminauit. An non videor rebus veris viciſſe, creſcere retrogrediendo famam gentis, & quanto plura ſecula reminiſcimur, tanto ſe nobis maiores & opulentiores Puſterlas exhibere? Rem nos quidem à Caroli Magni, à Theodorici, à Deſiderij, cæterorumque Longobardorum à tempeſtate ita deduximus, vt quæ inueſtigantibus antiquiſſima fuerunt, ea fuerint æſtimantibus ampliſſima. Cuius generis hæc penè laus ſingularis eſt, quod cum aliorum primordia & incrementa, cum atauos, qui nobilitatis velut fundamenta iecerunt, cum pagos vnde prorępſerunt, cum tempus certum, quod ante, omnia exilia, obſcuraque fuerunt, poſſimus oſtendere, huius generis ita vltima memoria eſt mirifica, vt longè præclariſſima deliteſcant, quę bellorum varij caſus, quæ imperiorum mutatio, quæ temporum iniquiſsima conditio voluit teſtimonio literarum carere. Veruntamen accidit generi nobiliſſimo, quod ſolet multis arcibus antiquiſsimis, quæ cum multis ante ſeculis foſſa, mœnibus, præſidioque armatorum, & firmis validiſque propugnaculis tum vſui, tum ſpectaculo fuerint, modò ſunt deſertæ, inanes, ſemirutæ, ruiniſque ſepultæ, atque tantùm quę fuerint, paucis veſtigijs, indicijſque ſignificant. Gloria

ria enim Puſterlarum, copiæ, ac amplitudo vna cum induſtria conſenuerunt, vt vix vllum in reip. adminiſtratione, vix vllum in militiæ muneribus, denique vix vllum in literarum ſtudijs poſsit oſtendere, qui meminerit auorum, & viros præclaros, à quibus eſt ſatus, æmuletur. Ita cum gentis nobiliſsimæ gloria ſeneſceret: cum hebeſceret, langueret, torperetque fœdè ac flagitiosè genus vetuſtiſsimum, puduit Pomponium tantæ turpitudinis, quòd ſe penes eſſet Puſterlarum duntaxat nomen, cætera ad alias familias migrauiſſent: dolenterque ingemuit, quòd videret familiam antiquis decoribus refertiſsimam ſqualere, atque tam parum iam velut à cadauere abeſſe, certè oblitam priſtinæ virtutis veluti neruis ſuccifis inualidam iacere, cogitationem curamque omnem honeſti dimiſiſſe ex animo, neque iam ad laudem aſpirare, neque magis de ſuis maioribus æmulandis, quàm de Arabia ferenda cogitare. Manebat ſanè genti pudor & fides, ac ſynceritas; at cætera, quæ ſunt dignitatis & quæ ſplendoris, non deſita modò, ſed etiam obliterata videbantur: contentique Puſterlæ auitis decoribus, & recentium *incurioſi* non arma ſtudio habere, non magiſtratus, non literas, non quidquam eorum, per quæ claritudo paratur, ſed ſtertere & otio inertiſsimo torpere ſolebant: præterque vnum aut alterum lumen, nullum in tam ampla, tam lauta ac tam antiqua familia lumen erat; cum ſe ipſum Pomponius velut expergefecit, intermiſſamque induſtriam longo ex interuallo reuocauit, ac obeundo dexterè diligenterque munia reipublicæ gratiam præcipuam collegit. Quamquam is quidem ſuis in priuatis ac publicis curis occupatus vnam illam, & ſanè intolerabilem culpam commeruit, quam olim Athenis Ariſtides, quem ferunt oſtraciſmo, ſeu dicere malimus, teſtularum ſuffragijs damnatum fuiſſe, quod vnus ſeculo peſsimo eſſe optimus auderet. Et Pomponij quidem tum diligentiam, tum pietatem ac abſtinentiam ſuperi velut in anteceſſum hìc in terris præmio ſunt ampliſsimo proſecuti, non eo quidem, quo in fabulis Midam, vt

Æmil. Probus in Ariſtide.

Hh quid-

Natalis Comes. In Timone. Suidas.

quidquid contingeret, immutaretur in aurum: neque item illo, quo Timonem Iupiter Lucianicus, cui fodienti & incuruo theſaurum ante pedes obiecit: non denique quo fortuna Athenienſem Timotheum, quæ retibus incluſas ciuitates ei dormienti detulit; ſed ſobole lectiſsima, atque ad omnis laudis ſtudium promptiſsima, cum primiſque ſequaci ac cerea, quam ita fingebat pater, ita incitabat, vt præterea Stimula nihil opus haberet. Nomen adoleſcentulis Anſelmus, Mauritius, Gaſpar, & Euſebius. Parens illis nouaculis cos erat, & quidam illis velut exemplis archetypus. Quibus cum eadem eſſet in ſtudio cura cupiditaſque laudis, & cum quiſque ſibi eam viam eſſe tentandam conſtituiſſet, qua ſe tollere poſſet humo, abiere diuerſi, vitæque ſunt rationes diſsimillimas ſecuti, Anſelmuſque Iuriſprudentiam, militiam Mauritius, Gaſpar medicinam, Euſebiuſque curam ſacrorum ſibi, in quibus verſarentur, elegeruut. Cuiuſmodi illa domus, in quo Iuris prudens, Miles, Medicus & Sacrificus alebantur eadem menſa, tegebantur eodem tecto, eidemque parenti ſe vt neruis alienis ligna mobilia flectendos, regendoſque præbebant; quorum quiſque ita de ſua diſciplina laborabat, ſuiſque ita erat totus in ſtudijs, vt tamen viuerent omnes coniunctiſſimè, & ſuo quiſque lætus negotio nullum è fratribus obturbaret, nullumque in negotio alieno interpellaret. Diui boni! hæccine familia vna, an chorus Muſarum? Maximus natu rem legibus acturus erat, alter armatus rempublicam defenſurus, tertius potionibus depulſurus morbos, poſtremus Deum ſacris propitiaturus. Quo ſcilicet conſilio primus iudicia, Themidemque, ſecundus Martem, Apollinem tertius & Æſculapium, poſtremus aras & ſacrificia ſibi depopoſcit; vt alius curiæ, alius caſtris, non nemo ægrotorum cellis, quidam etiam templis ſe totum, operamque ſuam ac vitam addiceret? Miror equidem ſeu deſignationem parentis prudentiſsimi, qui filios ſtudijs tam honeſtis applicuit, ſeu ſobolis præſtantis indolem, quæ decus è ſtudijs præclariſsimis atque diſ-

diſsimilimis expetijt, tum familiæ vniuerſæ felicitatem, quæ otio repudiato luxurioſo alijs alijſque vijs dignitatem quærere conſenſit. Iam ſi quis huiuſce domus fortunis controuerſiam moueat, præſto eſt Anſelmus: ſi morbi corpora tentent, accurret Gaſpar cũ pharmaco: ſi quid moliatur hoſtis,ſi finibus,ſi ſatis minitetur,Mauritius cuſpidẽ infeſtã obijciet:Euſebius nomine ſuo digniſsimus ſuis hoſtijs pacem à Superis quotidiè vniuerſis expoſcet. O adoleſcentum manipulum præclarum! quid illud, quod neque eſt auidus Iuriſprudens, neque truculentus & plus æquo ferox, aut præter quàm ex hoſtico prædator miles, neque indiligens medicus, neque myſta flagitioſus? Quæ dum mecum reputo, minimè liquet mihi, vtros putem gloriandi cauſam iuſtiorem habere, parentemne qui filios eiuſmodi ſuſtulit ac inſtituit: an quaternos filios, qui patrem virum inculpatum,partiumque optimarum, & in ipſorum educatione diligentiſsimum nacti fuerunt. Lycon ille Xenophontis interrogatus ab Antiſthene,qua re ſibi plurimum placeret,reſpõdit, *Nonne vos omnes ſcitis me mihi hoc meo filio*(Autolyco)*placere? At tu,Autolyce, qua tandem re gloriaris? at ille, patre* inquit *Lycome*. vtrique alteris cum ſibi gratulentur Puſterlæ, ego vtroſque eſſe feliciſſimos exiſtimo. Pomponius, ſi quis alius, *felix prole virum* quid ad ſplendorem ſuæ gentis,ad exemplũ induſtriæ, ad ſuę ſolatiũ prę ſidiũq; ingraueſcentis ætatis potuerit à Deo melius exoptare non video. Te quoque quid felicius, Angelica, quæ tot aſtris atque gemmis patriam tuam locupletaſti ac illuminaſti? Vocem tu ſanè vaniſſimi Græculi confutauiſti, qui *ſolas Lacœnas viros parere dixit*. Quales tu ſcilicet peperiſti? an tuis è quatuor filijs eſt quiſquam effœminatus, aut ficulnus, aut eiuſmodi,quem Sparta donare ciuitate grauetur? quid enim Maronianæ inuideas Berecynthiæ matri, quæ *inuebitur curru Phrygias turrita per vrbes, læta deũm partu?* Sed ſatis multa de quaternis fratribus; iam cauſas ſeiungamus. Ades,Anſelme,ac accedo, quemadmodum ad oratoriam, ad phyſicorum noti-

Xenoph. Conuiuio.

Æneid. lib. 6.

notitiam, atque tantam ad iuris ſcientiam perueneris. facillimè ſcilicet. cum enim tibi natura velut ad extruendas ædes cæmenta præparauiſſet: hoc eſt, cum ingenium, docilitatem, memoriam, aptaſque labori vires corporis dediſſet, non defuit architectus & faber, quorum ex alterius deſignatione, alterius opera res ad hoc faſtigium, quod vides, peruenit. Natura enim ſi defuiſſet, fruſtra cogitaſſes iura, fruſtra lites atque iudicia, fruſtra poſſeſſionem oratoriæ, ſermoniſque inſignitam perpolitionem, ſed & fruſtra te incitaſſet parens, fruſtraque ſuas voces præceptores inculcauiſſent. Corycius ille ſenex Virgilianus mirifica fuit æquitate animi, qui agrum coleret infœcundum, ſuoſque labores peſſum ire videret. Attamen niſi paucis fuiſſet contentus ad ventrem benè moratum paſcendũ, quæ calamitas fuiſſet viri, qui in ſterili aruo ſuos labores profunderet? pauca iugera ruris ſerebat ſenex optimus: *nec fertilis illa iuuencis, nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho*. Raræ in agris ac pleræque ſpicæ caſſæ & inanes, exilis raruſque racemus in pampinis, pabulum prata malignè præbebant: non ſalicta, non oliueta, non arbuſta reſpondebant cultioni; vt hominum optimus, qui ſe fruſtra anno ſolido confregiſſet, vix tandem oliuitatis, vix meſſis aut vindemiæ poſſet nomen vſurpare. Ingeniũ qui nactus eſt hebes, faciet ſtudendo, conandoque progreſſiones miſeras, curſuque aſſiduo cubitum vix vllum procedet, colendoque ac ſatagendo vix ex ſeſe vllum fructum extundet. Tuum certè ingenium, Anſelme, eſt quale paucis æquus Iupiter indulget. nam exuberat, feraxque omnium frugum eſt, *patiturque imperia*, vt poeta loquitur, nihil Plinij triferis arboribus inuidet, nihil Siculis paſcuis tantopere diſticho Virgiliano celebratis, penèque plus reddit, quàm audeant ſpes noſtræ auidiſſimæ concupiſcere. Qualis docilitas? perfacilis ad omnia. qualis memoria? promptiſſimà ad reddendum quæcunque commiſeris. qualis vox? qualis habitus oris? quæ inceſſus dignitas? quæ firmitas valetudinis? quæ deni-

Georg. lib. 4.

Plin. 10.27.

Georg. 2.

denique totius corporis & vires & ſymmetria? Tibi ſcilicet Anſelme, vt cui maximè, fauit natura, vt ad celebritatem nominis tui deſit nihil, niſi voluntas, quæ his rebus vtatur. Attamen voluntas deſit? immo ea maximè ſuppetit, & quo lætiora ſe dederunt initia, quo res priores proximæque felicius proceſſerunt, eo ſemper ſe magis incitauit. Deſit voluntas ei, qui omnes iucunditates, delicias, voluptates, oblectationes, ac amœnitates collocauit in literis? ei voluntas deſit, qui poſt inſtitutos labores literarios numquam eſt ad alia euagatus, & cui pro melle, pro theſauris omnibus, atque penè pro beatitate ſemper fuit in laude verſari? voluntas deſit ei, cui viuo nemo non modò ne omiſſior, ſed ne quidem vt remiſſior eſſe velit in ſuſceptis vitæ rationibus honeſtiſſimis, poſſit perſuadere? denique deſit ei voluntas, quem adeò pudet, res domi fluxas mobileſque fuiſſe, ac tam eſſe in aduerſa mutatas: maioreſque ſuos illos omnes rerum ingentium effectores ſemper habuit officij ſui monitores? Anſelmum ſi æquales inuitaſſent ad fabulas, ad ludicra, animumque ad oblectandum, medius inter hilarem atque indignabundum, tum ſcilicet ſe aſſenſurum dicebat, cum mulæ peperiſſent, Græciſque Calendis ſe vt illis morem gereret, præſto futurum. anne qui ſic omnibus initia, qui etiam poſtprincipia probauiſſet, deſereret initia laudatiſſima, atque vt ait Seneca ab ingentibus promiſſis diſcederet? Immo ſi vitam potuiſſet inſomnem traducere, non commiſiſſet, tantum vt tempus ſuis ſtudijs deperiret. Qui cum breuiſſima videret eſſe hominibus vitæ ſpatia, ſoporemque præterea, vt ait facetè Plutarchus, veluti publicanum cerneret, dimidium auferre indidem, ferebat indignè & ſine fine quiritabatur: ſomnuſque cum irreperet, cum vim faceret, inuitumque cum opprimeret, & ſerus ſe victum captiuumque tradebat Anſelmus, & quàm poterat maturiſſimè ſe illis velut vinculis eximebat. O aureum adoleſcentem familiæ, ſeculoque illuſtrando natum! Nam quid eſt eiuſmodi in Anſelmo,

epiſt. 48.

apud Cœlium Rhodig. tomo 2. lib. 20. cap. 11.

Odoranus apud Fauchetum.

quale olim in Ludouico V. Rege Galliæ, Lotarij filio? quem quod ſomniculosè, nullo edito virtutis aut fortitudinis facinore, in ſummo otio ac torpore ſpatium ſui regni exegiſſet, ſcriptores rerum Gallica voce vocauerunt FAINEANT, hoc eſt, *nihil feciſſe*. quid enim ſimile in vtroque? alter numquam laborem capeſſiuit, nunquam alter intermiſit: ille honeſtis, & ſi dicere licet, virilibus conſilijs nihil magis odio habuit, hic eſt nihilo magis oblectatus: nunquam eſt ille ſuſpicatus, quæ ſpecies, quæ dignitas eſſet gloriæ, hic nunquam hanc cogitationem dimiſit: ingeneroſus alter, indiligens, ficulnus, rebuſque magnis ſuſcipiendis adminiſtrandiſque ineptiſſimus, alter acer, & in rebus præclaris perficiundis fortaſſe plus nimio *irrequietus*: denique ille torpedo quædam, hic ſine ferijs Mulus clitellarius. Ijs quæ de Rhetorice traduntur percipiendis puer maturus erat, quum eum ad me in ludum parens adduxit. Ille verò ad eam artem erat præcipuè factus à natura, cui haud dubiè magnam partem acceptam referre debemus eius copiæ, perſpicuitatiſque, atque cuiuſdam in dicendo magnificentiæ, quæ ſic affuerunt Anſelmo, vt nemini magis. Videtiſne qua is copia verborum optimorum abundet, & quemadmodum compoſitione atque figuris non quæſitis, ſed ſponte ac velut ex repoſito theſauro ſe offerentibus vtatur? Quid te adeò in hac re torques, Anſelme, & cuius rei gratia de oratione polienda tantùm laboras? Tu verò Iuris ſcientiæ, ad quam aſpiras, comparas nitidum cultum, atque lautam ſupellectilem, tuo vt in ore ſuam dignitatem agnoſcat artium præſtantiſſima. Quæ ſanè facultas, nitorque ſermonis niſi Baldo I.C. defuiſſet, minimè ſe toties viris elegantioribus deridendum præberet. Quid enim Baldo, cum viuendum eſſe contenderet moribus, quibus aſſueuiſſemus, & cum publicæ tranquillitatis doceret intereſſe eam conſuetudinem manere, quæ iam inueteraſſet in vrbe; quid, inquam, ei venit in mentem dicere, *Non eſſe mendum reuangandum?* ò flagitium vocis! ò ver-

bum

bum monſtroſum, & penè magis diali fulmine horrificum! an quidquam eiuſmodi Auguſti ſeculo laniorum, mulionumque pati aures potuiſſent? hæccine apta verba viſa fuerunt, quibus viri doctiſſimi oracula ederentur poſteritati? hæ voces dignæ, quibus viri ſapientiſſimi cogitationes, commentationeſque literarum monumentis traderentur? Sed redeo ad Anſelmum è diuerticulo; quem cum docuerim oratoriam & latinitatem, vix tamen audeo mihi Anſelmum vendicare, timidèque ſum hucuſque progreſſus, vt dicerem, me illi oratoriam tradidiſſe, quem ſciā poſt meas auditiones ſectatum eum virum fuiſſe, qui penè omnes dicendi magiſtros dicendi potuit artem docere. At cum Anſelmi ætatem altioribus iam diſciplinis debitam in ſchola minore diutiùs ſubſidere non oporteret, ad philoſophos audiendos acceſſit: tradituſque à principio dialecticis fuit, qui quemadmodum cognationem cum rhetoribus maximam habent, ita vires ac lacertos maiores deſiderant. Neque tamen cum alia omnia reperiſſet Anſelmus in nouo genere literarum, cum dediſcenda elegantia foret, cum aliæ voces, cultuſque alius eſſet adhibendus, cum eſſet ornatu omni deſpolianda oratio, nudæque res proferendæ, alacritas eadem atque felicitas Anſelmum deſeruit; vt ipſi nos mirabundi rogaremus, hiccine ille foret tam religioſè cuſtodiens ſermonis munditiem? hiccine ille foret, qui paulo ante ſonum, ſyllabas, omnia tam diligenter penſitabat? qui erat de ſtructura tam ſollicitus? tam ſtudioſus elegantiarum? tam anxius ne quid ederet ſonum aſperum & confragoſum? Inter illa tamen ſpineta ſe cum iucundè, opiparèque vellet Anſelmus accipere, excurrebat ad rhetorū ſeſamū, mellitoſque globulos: eorumque pulegio amarorem, quantumcunque habet dialectica, diluebat: commeatuque breui, minimè ſanè transfugarum more, ſed ſpeculatorum, contractam iniucundis ac inamœnis ſtudijs triſtitiam mitigabat. Scribendi excolendique ſtyli vndique captabat argumenta, & vt quidque maximè fortuitū, aut

nouum, cum primiſque lætum ac proſperum erat, ita ſcripturienti maximè opportunum videbatur. quàm mœſta aliquando de grandine, de bello, de amicorum interitu? quàm multa aliquando caſca & antiquata verba collegit benè longa ac elegante epiſtola, qualia in ore fuerunt Aboriginibus, & qualibus Pontificum conſcripti libri fuiſſe feruntur? quàm ſæpe, quàm doctas ad me literas dedit de ſcriptorum locis ſuſpectis, in quibus metro, aut etiam latinitati viri alioqui præſtantes vim attulerunt, & quæ Grammaticis linguæ cuſtodibus parum probarunt? Nonnunquam parodiam Catullianam ad me miſit de equo bellatore emerito, quem ex eiuſdem poetæ faſelo expreſſerat. Nonnumquam Emmanuelis Soſæ naufragium luculentiſſimè deſcriptum à Maffæio extulit ipſe deplorauitque carmine elegiaco. Nonnunquam exemplo eius, qui apud Salluſtium orationem de rep. ordinanda ad C. Cęſarem habuit, Germaniæ proceres ad veteris formam religionis reuocare contendit. Aliquando etiam, cum ego ei furtum literarium obiecissem, cumque furem manifeſtarium appellarem, ac me illum apud Triumuiros rerum capitalium eſſe plagij poſtulaturum denuntiarem, ipſe factum à ſe non ſolùm iuſtè, ſed etiam præclarè fuiſſe defendit, cum pro ſua cauſa tum poetæ carmen adhiberet: *Labore alieno magno partam gloriam verbis in ſe tranſmouet, qui habet ſalem, quod in te eſt*: tum vocem Solimani Turcarum Imperatoris, qui capta & expugnata Rhodo ſic Philippum Valerium Magnum equitum Magiſtrum allocutus fuit, *Rapere ac inuadere aliena eſſe Regis, & eius qui ſit à Regibus genitus ac procreatus*. Quid enim de illa quoque parodia Liuiana dicam? cum Philippi Macedonum Regis verba, quibus & ſuam miſeram ſenectam tragicè deplorauit, & filium incuſauit Demetrium, quem frater Perſeus, emptis indicibus, teſtibuſque ſubornatis, affectati regni, inſidiarumque in caput patris comparatarum falsò inſimulauerat, tribuit Regi Catholico Philippo II., vt ijs in ſummo dolore

Terent. Eunuc. 3. 2.

orbi-

orbitatem ſuam deploraret, & ingenium execraretur inſanabile Caroli Principis, quem indicijs certiſſimis comperterat, parare atrocia, & regnum rapere malle, quàm expectare. Quæ viciſſitudines erant Anſelmo velut de via languenti pro diuerticulis amœnis: erant pro oleis & caparibus, quas ait Plinius ſtomachum iacentem excitare: neque tantùm pro remiſſione animi, fructuque temporis præſentis, rationibus conducebant Anſelmi, ſed erat eorum etiam in poſterum illa vtilitas præclara, quòd inter ſalebras philoſophiæ excidere non patiebantur illos lepores, quos rhetor opera impenſa parauiſſet. Sed tempus aderat, quo ſe deberet Anſelmus ad Iuriſprudentiam conferre, cui ſpei erat à pueritia deſtinatus. quam facultatem cum petere poſſet à proxima Ticinenſi Academia, eſt à patre vigilante Patauium amandatus, vt procul à ſuis periculum faceret, an vera Corinthijs perſuaſiſſet Medea, quæ multos foris benè rem geſſiſſe docuit. Tibi verò Iuris prudentiam eligenti, in qua neruos omnes intenderes induſtriæ, & in cuius pertractatione vitæ tempus totum conſumeres, quid propoſitum, Anſelme, fuit? Neque enim dubito, quin cum tuum ipſius commodum, vtilitatemque neque nullo, neque præcipuo loco habueris, publicam præcipuè ſpectaueris vtilitatem, vt aliquando ſtabilire vacillantes ciues tuos poſſes, eorumque pro ſalute atque fortunis vt cõcurſares, & calamitoſis laborantibuſque velut quidam Iupiter opitulator adeſſes. Quod enim de Philoſophiæ doctrina dixit aliquando Plutarchus, eam non eſſe cuiuſmodi ſtatuarum artifices, quæ ſigna fingat quædam muta & rigentia, quæ ſenſus expertia ſtent in baſi: ſed efficere agilia, negotioſa, ac viua, ſpirituſque, quibus excitetur, addere; neſcio an conuenientius debeamus de iuris ſcientia dicere, quæ tum clypeum, tum haſtam præbet, ſæpè domo foras propellit artificem, ad prætoria adducit quotidiè, eumque iis rebus inſtruit, quibus poſſit commodare laborantibus aduocationem, reſque ciuium ad tranquillitatem

tatem à ſumma trepidatione reuocare. Vnũ occupato in eis literis, foriſque vitam degenti poterat obeſſe, inſanum ſtudium factionum, cum plerique conglobentur in manipulos, & qui doctrinarum cauſa Academias adierunt, ſtudio habeant inſoleſcere, inſultare petulantiſſimè, ac amoribus indulgere. qui præcipites ad explendam animorum libidinem, licentiaque vitiorum occæcati, quidue petentes eò ſe contulerint obliti, diuerſiſſimas res pariter expetunt, ignauiæ voluptatem, & præmia virtutis, deque literis cogitant nunquam, niſi ſaturi ac madidi, multaque Venere marcentes & languidi. Anſelmus nihil eiuſmodi. quem tantæ aſſuefactum modeſtiæ illudere matronarum pudori, & ſe factioſis aggregare, quos apud *ſæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli*, eſset oſtenti ſimillimum. Immo dabat ſtudijs operam Anſelmus percharus omnibus & periucundus, ſtrepituque atque tumultu ab omni, turbidiſque ab omnibus negotijs remotiſſimus. Iam quæ ſpecies adoleſcentis? quæ conſtantia? quæ dignitas? os illi probum & vereoundum, mores commodi, animus incorruptus, aſſidua induſtria, illaque eidem in compitis atque ludis modeſtia, quæ ſolet paucis in templo adeſse. Cuiuſmodi enim illud eſt, quod neque diligentia, neque pudore potuit quemquam pati priorem? quod nemini vnquam ſatis à ſe redditam gratiam putauit? quod ab eo nihil vnquam amicus vllus fruſtra voluit? quod beneficia properantius, quàm æs mutuum, reddere, ipſe ab nullo repetere conſueuit? quod denique de ea duritia, cui tenerum patens aſſuefecerat, nihil ne abiens quidem remiſit? Quæ cum ipſe mecum reputo, non video cui potius alij rei, quàm Veri Sacro, adoleſcentiam debeam tam illuſtrem aſſimilare. Sabini enim, & eorum exemplo Itali plerique in ſuis magnis periculis, ſi res communis loco meliore ſtetiſset, ſe Ver Sacrum facturos vouebant. cuius erat ea ratio, vt quæcunque proximo vere nata apud ſe animalia eſsent, immolaturos vouerent. Tua adoleſcentia, mihi crede, Anſelme verecundiſsime, Sacri

Virg. Æneid. lib. 6.

Siſenna lib. 4. hiſtor.

Veris inſtar habuit. Nullo tu ſanè te voto obſtrinxiſti, nulleque te res trepidę, nullus metus ingens, malumque improuiſum conterruit. veruntamen quaſi adoleſcentiam quandam ſacram vouiſses, ea ſanctitate diſciplinæ, eaque duritia vitæ vſus fuiſti, ita inſtituiſti honeſtè, laudabiliterque facere, ac te ita comparaſti, vt verba, moreſque, vt habitus ipſe corporis, vt ipſæ adeò cogitationes tuæ eſsent præclaræ atque caſtiſsimæ, te vt quid dici fingique poſset nitidius, nemo videret.

Deblaterauit adhuc orator ineptiſsimus, ea ſcilicet copia, qua potuit, ſi minus qua oportuit. Fortunatum fecit damnum familia tua, Anſelme, neque tantùm fortunatum, ſed etiam amplitudinis ac dignitatis. Quid iſtam tantam iacturam muliebriter deplores? Tuarum eſse partium ſtatue, quidquid incommodi, detrimentique factum eſt, ſarcire, & eò, vnde per incuriam excidiſtis, eniti, vocatuque heroum domeſticorum, qui omnia laude ac honeſtate eſse poſteriora duxerunt, te totum ad caſtra virtutis conferre. Triceſima lux hæc eſt, quod poſt annum quintum Patauio domum reuertiſti. Quo te gaudio patria, quo propinqui, quo te filium parens Pomponius tanta circunfluentem gloria excepit? Cur Midæ aures enormes tribueret Poeſis, eam cauſam habuit, quod Rex ille plus æquo curioſus rumuſculos captaret vniuerſos, & omnes omnium caſus, euentuſque ad ſe perſcribi ac perferri curaret. Quid Pomponius? quàm in percontando de te, quàm in exquirendo de tuis rebus fuit diligens? ſed rectè, quòd de ſtudijs tuis proſpera, proſperrima de moribus, deque vitæ partibus omnibus ea ſemper comperit atque cognouit, quæ maximè exoptaret. At enim qui adhuc Midas quidam auritus fuit, iam erit & Argus oculatus. Tu verò quid facias? Tui generis, quod adhuc feciſti, die nocteque memineris: cauebiſque ne de via deflectat tua laudabiliter agendi conſuetudo; ne ſi deſciueris, te ciuium tuorum exiſtimatio Cęneo illi Virgiliano æquipararet, qui alternis iuuenis erat, ac fœmi- Æneid. lib. 6.

na:

na: ne, inquam, tibi ranæ paluſtres obſtrepant omnes: denique ne, ſi Diogenes aliquis in meridie obambulans cum lucerna, & in familia Puſterlarum vniuerſa Puſterlam quærens, quemadmodum olim in frequenti populo, ac in ipſo foro Athenienſi referto hominibus hominem exquiſiuit, neminem aut certè minimè te ipſum tua proſapia dignũ inuenerit, plures vndique oboriantur Momi, te qui probris inceſsant, gentiſque tuæ proditorem appellent. Hæc vt dicerem, tribui muneris oratorij conſuetudini. quem enim, qui currit, qui ſatagit, qui ſe labore dirumpit, cohortationi locum relinquit? Dixi.

Diog. Laert.

EPICEDIVM SEV PANEGYRICVS IOANNI IVSTINIANO Patritio Veneto demortuo,

Ab Alexandro Perlaſca dictus.

SI quis fortè cupidius inueſtiget, quæ me tanta cauſa in funere Excellentiſs. Ioannis Iuſtiniani dolore penè infinito conficiat; is ſi paullò attentius perpendat, qualem virum amiſerit Europa, quàm ſtudioſum patriæ ſuæ, qualem denique heroa, & quàm cumulatum eis bonis, quæ poſſunt quemquam conſpicuum ac admirabilem efficere, fruſtra cauſam doloris à me præcipuam requiret, vbi communem videat eſſe iacturam grauiſſimam. Etenim ita res cecidit, vt cuius interitus, quocunque is tempore, & quacunque viri ætate contigiſſet, patriæ boniſque omnibus perquàm luctuoſus futurus

fuit,

fuit, contigerit commoto ſtatu Reip. ſuæ, difficillimoque eius ac iniquiſſimo tempore, cum eam diuturno crudelique bello de imperio ſummaque ſalute dimicantem nemo felicius, quàm Iuſtinianus conſilio ſuo ſapientiaque fulcire potuiſſet. Diui melius, quàm vt vnquam excidium afferatur eiuſmodi Reip. quæ fidei orthodoxæ propugnaculum ſemper fuit; & adhuc defuncta caſibus atque periculis plurimis & grauiſſimis ſatis vbique comprobauit, ſe & inniti eis fundamentis,& adminiſtrari eis conſilijs, vt illius ſtatus firmitas vi nulla humana poſſit conuelli. Stat Reſp. inuitis ac ringentibus eius hoſtibus, ſtabitque *quandiu Iupiter regnum obtinebit*. Veruntamen quotus quiſque cum Iuſtinianum vidit efferri, propriam potius vnius familiæ, quàm communem patriæ ſuæ, ac vniuerſæ Italiæ eam calamitatem exiſtimauit? atque ſanè dicam clariùs. Quotus quiſque ſe vnius viri potius, quàm ipſius Reip. funus ſpectare putauit? Cum enim quanto quiſque ſtudio, curaque impenſiore cuncta confert ad patriæ ſalutem ac dignitatem, tanto & ciuis melior, & Reip. pars præſtantior ſit, neminem eiuſmodi mors poteſt intercipere, quin & illa ſemper acerba videatur ac immatura, & Reip. vulnus penè letale inferatur. Quale vulnus funere Io. Iuſtiniani publicitus acceptum ſit, vos meliùs tacita veſtrorum animorum exiſtimatione, quàm vlla mea commemoratione poteſtis conijcere. Me verò deſiderio ſummi viri eſſe in tanto mœrore ac luctu, exterumque ac alieniſſimum mortuo poſthumum hoc officium perſoluere quis miretur, qui ſciat famam equitis præſtantiſsimi non coercitam finibus imperij Veneti, ſed ad omnes circa gentes ac oras fuiſſe rumore ſecundo perlatam: veræque ac excellentis virtutis eam vim eſſe,vt etiam diligatur in hoſtibus, ne dicam tantùm in ciue amiciſsimæ coniunctiſsimæque Reipublicæ? De quo ſanè tam ſæpe,tam multa cum auctores idoneos narrantes audirem, perſæpe ſic mecum ſtatuebam, hunc vnum virum cuiuſuis ſeculi potuiſſe gloriam exornare: Plaut.

nare: taciturque mirabar, quæ tanta vis ingenij contigiſſet vni, tanta copia præſentis conſilij, magnitudo animi tam eximia, & quantum homo hominibus præſtaret. Quæ vniuerſa cum cogito morte intempeſtiua, & caſu acerbiſsimo interempta iacere: ac vmbram eſſe, qui nuper pars tam illuſtris Venetæ Reip. fuit, fero iniquiſsimè, Aud. & niſi foret impium, penè quererer cum natura, quæ cui animum tam eximium ac diuinum tribuiſſet, ei corpuſculum circundederit imbecille, quod vna febricula, quod oborti paucarum horarum dolores, quod mala & inauſpicatiſsima apoplexia biduo poſſent conficere. Quin potius aureos quoſdam viros, quorum ſupercilijs ac humeris fulciuntur imperia, ea natura Deus eſſe iuſsit, qua Vrſam cæleſtem eſſe perhibent aſtrologi; vt quemadmodum huius ſydus nunquam occidit, ne ciues quidem humano generi tam vtiles videant interitum? At quando vniuerſi velut aqua dilabimur, fortibuſque viris fruſtra leges diuerſas figere nitimur, quibus natura breuitatem æui nominis immortalitate compenſat, in eo ſaltem ſeruiam amori ac obſeruantiæ meæ, vt cui viuo tantum tribui, officio demum hoc funebri ac mœſto proſequar elatum. Hęc ſcilicet inita à me fuit doloris mitigandi ratio, nimirum cogitatio, & commemoratio præſtantiſsimarum virtutum, quæ viuum mortuumque Iuſtinianum in cælum ſuſtulerunt. Ergo profeſsum me dicturum de funere ſubito & inexpectato genus ipſum inſtituti operis excuſabit, ſi incomptus prodibit velut in ſcenam dolor. Vos enim ratio fugeret, ſi à deplorante caſum funeſtiſſimum Italiæ numeros & ornatum repoſceretis. Satis habeo ſi ſe vobis mea probet pietas: intereaque dum ſuas partes peraget dolor meus, vos conſuetudinis ac humanitatis veſtræ memineritis, vt potius quid luctu confuſus ac æger animus præſtare poſſit, quàm quid præclaris viri meritis dignum ſit, cogitetis.

Nos verò ſi abducta paulisper cogitatione ab Equitis Iuſtiniani ſupremis, repetamus primordia viri, ac eius

eius velut fontem perſcrutemur, vnde tantus heros profluxit, demortuique ipſos manes percontemur, *Qui genus? vnde domo?* familiam oſtendent genere perantiquam, dignitate atque ſplendore conſpicuam, muneribus ampliſſimam, & tum recenti, tum vetere gloria celeberrimam: oculiſque noſtris ſpolia de hoſtibus, trabeas, faſces, diplomata, & inſulas ingerent maiorum ſuorum, ac penè innumeros percenſebunt, qui florentes animi corporiſque viribus Reip. fuere præſidio: docebuntque verè poſſe de hac gente confirmari, quòd poeſis de arbore aurea confinxit, cuius auulſo pomo pomum illico alterum emicabat, itidemque in hac familia extincto ciue ciuem alium non defuiſſe, qui fidem, vigilantiam, ac ſedulitatem ad Remp. gerendam afferret: fideque probatiſſimorum annalium recitabunt, quo tempore quis è Iuſtiniana domo ſenator vehemens, quis ordinum ductor felix, quis prouinciarum abſtinens moderator, quis denique vigilans D. Marci procurator extiterit. Ego verò ire per ſingulos ſi velim, laborem capeſſam infinitum. Quis enim modus numerandi foret, cum hæc familia nulla non ætate mater fœcunda fortium virorum extiterit? Ea verò cum quauis Imperij Veneti cum antiquitate, tum etiam amplitudine facilè comparanda eſt: ſtirpemque ſuam ſerie nuſquam interrupta aliorum alijs ſuccedentium ab Iuſtiniano repetit iuſtiſsimo Imperatore; ab eo ſcilicet, qui vndecimo abhinc ſeculo ad faſtigium rerum humanarum euectus, ſuis auſpicijs Vandalos in Africa, Gothos in Italia, atque ſæpius in Aſia Perſas ſecundis prælijs fregit: Ghilimeremque ac Vitigem Reges Conſtantinopolim vinctos & captiuos abſtraxit, Totilamque ſpolijs Italiæ grauem, Romanoque cruore reſperſum, ac toti minitantem Imperio iugulauit. Sed enim hæc olim fuerunt. Quæ magnitudo cum huic genti excidit, ac illud Occidentis Imperium more cæterarum rerum humanarum ad alias aliaſque familias velut æſtu quodam delatum fuit, non excidit generi huic ea magnitudo animi, qua quondam orbi terrarum iura de-

dit.

dit. Hæc ei propria conſtitit atque perpetua, cætera cum raperentur fortunæ laſciuientis arbitrio: redactique ad priuatæ fortunæ modum Iuſtiniani ita faſces ſubmiſere, vt Imperio tum maximè digni fuerint, cum Imperium minimè concupiuerunt. Quæ dare potuit vnquam Reſp. benè de ſe meritis ciuibus, neutiquam dedit, ſed planè congeſſit in hanc domum: naſcentibuſque Iuſtinianis ita ſemper honores præſto fuerunt, vt non magis ciues naſci, quàm Senatores viderentur. Sed vetera dum oſtentamus, quandiu ſilebitur à nobis infularum decus, æui ſui gloria, Venetæque vrbis fulgentiſſimum ſydus B. Laurentius Iuſtinianus? qui dum pro luto habuit, quæ ſibi ſummis pretijs parant homines: & nefarias oblectationes ſenſum animumque permulcentes euitauit tãquam ſcopulos ſyrenum: atque in pietate inſtauranda interdiu noctuque ſedulus deſudauit: fouitque plebem rigentem ac ieiunam: noctesque numini propitiando integras impendit; hoc ſcilicet effecit, ne in domo plena ſplendoris, cumulataque ornamentis cæleſtes honores deeſſent. Mihi hoc loco Cæſaris venit in mentem, eius ſcilicet qui Principis nomine primus Romanam Remp. occupauit. qui cum adhuc Quæſtor Iuliam amitam defunctam rebus humanis laudaret pro roſtris ſic eius maternum genus deriuauit à Regibus, paternum ſic repetiuit à Venere, vt illud demum dicendo conficeret, fuiſſe *in amitæ genere & ſanctitatem Regum, qui plurimum inter homines pollent: & cæremoniam Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges*. Hoccine fuit laudare mortuam, an patientia viuorum abuti? an impudentiùs mentiri & credulitati audientium illudere? an denique turpiſſimè extra carmen fabulari? Vobis, ò Iuſtiniani, genus hoc laudis aſſero: vobis illud vendico, meoque periculo conſtantiſſimè confirmate, eſſe in genere veſtro & Cæſarum chlamydatas imagines, & Beatorum radiatas. Non equidem ex eo genere ſum hominum, qui multum in admiratione antiquæ nobilitatis, quæ tota in faſtis, tabuliſque pictis poſita ſit, inſaniam. Veruntamen

Suet. in C. Cæſ.

tamen capior mirificè nobilitate, quam ita virtus peperit maiorum, vt eam poſterorum augeat induſtria: eatenus tamen donum hoc reor eximiũ eſſe, dum poſteros veterum recordatione ad ſimilitudinem eorundem ſtudiorum non vocat, ſed impellit: non monet, ſed extimulat: non hortatur, ſed rapit: ſomnique ſubmouendi vim habet eandem, quam habuiſſe trophæa Miltiadis perhibent Græcorum hiſtoriæ. Sed propius cauſæ ad arcem accedamus. Natus ergo ſic in ſumma claritudine generis, tanquam in auro gemma Eques Iuſtinianus fuit: ac natus in ea domo, vbi quocumque ſe verteret, ſeſe ei incomparabiles viri, maiores ſui, magiſtros ad capeſſendam virtutem præberent: ac vbi infantulum ac puerum nutrix ipſa intento ad imagines digito poſſet docere, quæ viæ ferrent ad celebritatem nominis, quantum vera virtus anteſtaret cæteris rebus, quæ dignitas benè ſentientium, rectèque viuentium foret, quàm perennem laudem conſequerentur, qui ſe totos Reip. commodis & rationibus dedidiſſent, quibus denique ſtudijs ac moribus cælum ipſum ſcandi poſſet. Eiuſmodi opinionibus imbuta Equitis mens tenera, dum ſe longè pulcherrima plurimarum rerum, quæ ad vitæ vſum ac dignitatem pertinent, cognitione complet: ac animum ſtudijs virtutis atque honeſtatis ita excolit, vt quidquid præclàra meditantem remorari poſſit atque ad voluptatum ſyrtes horribiles tranſuerſum abripere, ſolertiſſimè vitet, incolumis adoleſcentiam quaſi quendam procelloſi maris gurgitem enauigat. Non ſordes, non deſidia, non ingluuies, non petulantia linguæ, non deliciarum intemperantior vſus, non denique vllum veſtigium turpitudinis vitam puriſſimam inquinauit eius, qui quotidie mutas voces audiret ſuorum antiquorum monentium, vt ſuis ipſorum veſtigijs ingrederetur: & qui remis, vt aiunt, veliſque ad veram dignitatem feſtinans, ne quem audiret deteriora ſuadentem, *cera ſibi Sicula de naue petita*, vt poeta loquitur, aures occluderet. O auſpicata ineuntis ætatis initia! ò te beatum, Eques Iuſtiniane, qui

tot monitores fidiſſimos, tot benè agendi auctores, ac tot ſocordiæ caſtigatores & habuiſti puer, & audiſti! Tu quidem certè Othonis morituri conſilium cepiſſe, Iuſtiniane, videris, qui vno prælio fractis opibus, & omni abiecta cogitatione belli reparandi, fratris filium ſupremis verbis monebat, ne patrui Othonis aut obliuiſceretur vnquam, aut plus nimio meminiſſet, tu ſiquidem tot ſenatorum meminiſti, tot magiſtratuum, tot fortium virorum, qui prouincijs cum imperio præfuerunt; ſed meminiſti eatenus, vt diſceres ab eis, quid à te patria iſta veſtra communis, & quid ipſi manes ciuium incomparabilium nō tantùm poſtularent, verùm etiam flagitarent. Meminit ſanè Ioannes, eaque veterum ſuorum recordatione velut quodam pharmaco aduerſus oblectamenta, otijque dulcedinem Eques præmunitus, partium meliorum ſemper fuit. Vix Remp. admodum adoleſcens attigerat, cum repentè diuellitur è patriæ complexu, & cum armorum præfectura Vicentiam dimittitur. Hæc ei prima prouincia, commendatione præmaturæ prudentiæ, penè ante iuſtam & legitimam ætatem obtingit. Iam verò quid expectatis, Auditores? num vt ſeſe in eo magiſtratu proferat ætatis licentia? ſecus omnia. Num vt aliorum iniurijs vim imperij ac ſuæ poteſtatis experiatur? nihil eiuſmodi. Num vt ſomno indulgeat, atque delicias, quas ea fert ætas, conſectetur? quid ita? immo nunquam oculos è ſtatu ciuitatis deponit, gerendarum rerum occaſiones corrumpi ſocordia nullas patitur, atque vt quàm breuiſſimè dicam, nulla re vnquam, nullo verbo animum degenerem oſtendit. Cuius prouinciæ munus cum in annum peſtilentem incidiſſet, quo tempore per vicos & compita graſſabatur immaniter lues, vrbemque populabatur, Vicentiæ quid factum fuiſſet, niſi ad omnes partes ægrotæ ciuitatis accurriſſet Iuſtinianus, ſeſeque Prætori ſocium adiungens omni ope reſtinguere illud, velut incendium ſtuduiſſet, alimentaque & valetudinaria, quæ tum pars magna curarm fuit, maturè proſpexiſſet; niſi denique

Cornel. Tacit. hiſt. li. 2.

que patria quadam pietate complexus animo curas fuiſſet omnes ſanandæ ac repurgandæ ciuitatis, eique præcoces fructus ſenilis cuiuſdam ſapientiæ impertiſſet. Vicentinæ prouinciæ vix tempus exierat, cum denuò foras ablegatur. Nempè quo crimine Iuſtiniano mulcta irrogatur eiuſmodi, vt indignus, qui clementia Veneti cæli perfruatur, ciuiſque inter ciues ſuos adſpectetur, aliò cum Laribus amandetur? Quod vos crimen memoratis? Niſi fortè criminoſum illud appellamus, fuiſſe quemquam in magiſtratu abſtinentem, auaritiæque impenetrabilem; niſi ponendum cenſemus in crimine, quemquam armorum præfectum in mœnium arciſque cuſtodia vigilantem excubuiſſe, coercuiſſe militarem licentiam, nullique priuato laboribus induſtriaque conceſſiſſe: niſi denique illud pœnis vindicandum exiſtimamus, virum clariſſimum arrogantiam, verſutiam, violentiam ſic ſtirpium tenus recidiſſe, vt frugalitatis ac modeſtiæ non aliundè meliùs, quàm ab eius vitæ moribus exempla peterentur. Si vobis vox mea fraudi fuit, Auditores optimi, qui Equitem Iuſtinianum foras ablegatum eſſe docui, præſto ſum, vt iſtum vobis errorem eripiam. Quamquam mihi ſanè foras videtur ablegatus, qui domi cum poſſet honeſtiſſimè opulentiſſimèque in ſummo ſplendore viuere, Taruiſium Prætor amandetur, vt inibi vindex legum ſit, ius reddat quotidie, diſciplinam ciuitatis ſanciat ſuppliciorum ſeueritate, litibuſque ſatur audiendis vitam ærumnoſam atque miſerrimam degat. Attamen quo id nomine præſtet appellari, haud equidem laboro. Taruiſij quidem quàm ſit honorifica prætura vel illud argumento poteſt eſſe, quod competitorum tanto ambitu, atque tam multis ſuffragatoribus expetitur ea iuriſdictio. Rem cum ſpe, cum ſtudijs aliò traherent complures, Prætura nec prenſanti, nec expectanti delata Iuſtiniano eſt: inſtarque habuit perampli cuiuſdam theatri, in quo maxima frequentia populi, perſonanteque vrbe feſto plauſu, ſpectaculo iucundiſsimo fuit Iuſtiniani

virtus trabeata. Quid enim verius eſt illo verbo, quod quotidie cuiuſque vel leuiter tincti literis in ore eſt, *Magiſtratu virum oſtendi?* Mea quidem ſententia ne illa quidem decantatiſſima Pythia de tripode ſuo, nec ille Delphicus Phœbus de lauro verius quidquam profari conſueuit, quàm illud ſit, tum maximè, quanti quiſque ſit, probari oſtendique, cum ei ſumma poteſtas in omnes ac in omnia datur; quo tempore pertentant animum tam multæ illecebræ, libidoque pro lege eſſe poſſe videtur, nullumque audendi maius incitamentum fuit vnquam, quàm audaciæ propoſita impunitas. Has ego partes ſi voce potiùs in corona ciuium Taruiſianorum, quàm ſtylo tacitus peragerem: nec hodie morem imitarer græcæ luſciniæ Iſocratis, qui forenſi luce abſtinuit, nec vſquam niſi domi apud pluteum declamauit, Rhetore quid opus foret? vbi memoria ciuium gratiſsimorum Iuſtiniano luculentum teſtimonium daret optimi iuſtiſsimique imperij, atque ad ſeſe, quæ per menſes octodecim vſa beneficio ſyderis benigniſsimi fuit, æquitatis ac modeſtiæ Iuſtinianæ prædicationem pertinere contenderet. Viuit, vnàque cum mœnibus eius vrbis perennabit memoria modeſtiſsimæ iuſtiſsimæque Præturæ Viri clariſsimi, qui ciues ita ſtuduit in officio continere, vt abfuerit ab eius moribus omnis licentia, omnis, ſic dicam, *toruitas* oris; tenuiorumque contemptus: vt aditu facillimus, alloquio ſuauiſsimus, humanitate promptiſsimus fuerit: quo meliorem fingere eligereùe nemo potuerit, ſi cui diuinitus fingendi eligendiue Prætoris oblata facultas fuiſſet. Illa cum primis admirabilis viri conſtantia fuit, qui cum animo eſſet molliſsimo, amiciſque plurimum indulgeret, quibus refragari petentibus vix vnquam potuit, nihil tamen in vllo magiſtratu dedit gratiæ, nihil iræ, nihil auaritiæ, quod veritati negaretur. His moribus dum prouincias adminiſtrauit, ita ſuam bonis omnibus, ac præcipuè ſapientiſsimis atque acerrimi iudicij moderatoribus Reip. paucis annis probauit induſtriam, vt difficillimum quoduis Venetæ Reip.

nego-

negotium Iuſtiniano aptè mandari poſſe iudicarent. Quamobrem, qui Equitis indolem ex Taruiſianæ, Vicentinæque prouinciæ adminiſtratione perſpectam habebant, fructuſque ingenij ſagaciſſimi iam velut in anteceſſum collegerant, non ſunt paſsi tantam vim ingenij diutius in illis quaſi orbis terræ angulis latitare, quæ poſſet in alijs muneribus amplisſimis maiore cum ipſius laude, ac Reip. vtilitate verſari. Ergo Reip. Venetæ Legatus (ſcitis opinor qui ſplendor ſit huius nominis, & quibus ciuibus imponi eiuſmodi perſona conſueuerit) ingenti omnium approbatione mittitur in Hiſpaniam, vixque regiam Iberam attingit, cum omnium in ſe oculos, animoſque conuertit. Hæc ſcilicet admirabilis diuinique ingenij vis fuit, cuius ſtatim ſplendor in omnium oculos, ſic dicam, incurrit, traxitque in ſui amorem tum alios permultos, tum præcipuè Philippi Regis maieſtatem, quæ Iuſtiniani quo propius inſpiciebat virtutem, hoc mirabatur magis: quo diutius, hoc ſatiabatur minùs. Legationem Eques feliciùs, quàm fecit, auſpicari non potuit. Qui herclè pleniſsimus officij, dignitate corporis mirifica, præſentiſsimo ingenio, orationiſque quæ viri ex ore velut pleno gurgite exundabat, vbertate vſque ad inuidiam felici, dexteritate verò, ac ſuauitate morum tanta, quantam hoc ſeculo hominum exiſtimatio alij fortaſſe tribuit nemini, facilè primo ad Hiſpanicam aulam acceſſu, omnium irrepſit in animos, viamque ſibi ad res præclaras gerendas, amore atque admiratione ſui muniuit. Nouiſtis opinor, Auditores, quàm multis rebus eum velut conflari ſit neceſſe, qui legationes de grauiſsimis rebus poſtulet obire. Muſæ, quæ viros veſtro arbitratu concinnatis, dotes conferte, bona corporum animorumque exaggerate, allaborate diligentiùs, vbi quemquam ad Legati munus inſtruendum ſuſcipitis. Præſenti enim ingenio conſtat hæc ratio: naremque ſagaciſsimam repoſcit, ne quid vſquam clanculùm tranſigatur, quod fugiat Legatum. qui pollent in aula, ſibi eos modis omnibus adiungendos curet: iudicioque

acerrimo valeat, quo verba cuiuſque, quo motus, ipſoſque adeò rumuſculos diligenter vndique captatos ad trutinam vocet: animoſque ipſos Regum & Satraparum perſcrutandi artem certiſſimam norit. Quibus dotibus cum legatum inſtruximus, nihildum egimus, Auditores, claudicatque adhuc Legatio, niſi flexanimæ cuiuſdam eloquentiæ Legato facultatem impartimur, qua verſare animos Regum poſſit, permulcere, inuitoſque & obluctantes in ſuam ſententiam pertrahere. Bone Deus, quàm multis ſymbolis conſtat huiuſmodi cœna! quàm varium multiplicemque hunc virũ eſſe oportere docemus, quem nos mandatis inſtructum ad aulas Regum legamus? Sed enim non plauſtrum aliquod compingimus, quo cæmenta deuehantur: ſed legatum inſtruimus, qui ſolus peregrè dignitatem ſuſtineat Imperij, ſolus patriæ ſuæ, Principiſue rationes propugnet, ſolus de maximis rebus perſæpe Reges adeat. Nos verò, quo plura maioraque legatis tribuimus, eo plus Iuſtinianum exornamus, quem optimè functum eo munere fuiſſe cùm alijs rebus poſſumus docere, tum nulla re melius, quàm ſapientiſsimi Veneti Senatus iudicio, qui legationis Hiſpanicæ quarto demum exeunte anno, Iuſtinianum rurſus ire legatum iuſsit in Britanniam: ac inde cum eodem munere in Germaniam ad aulam Cæſaris: ac nouiſsimè Romam ad Sacrorum Regem & Catholici gregis parentem. Cauete, amabo vos, Auditores, cauete ex mea tantùm commemoratione res tantas æſtimetis. Quid enim dici breuiùs potuit, quàm quod à me dictum fuit, Taruiſio Mantuam Carpetanorum in Caſtellæ fines, ab ea vrbe Londinum in Angliam, Londino Viennam in Germaniam, inde Romam Legatum Venetæ Reip. Iuſtinianum iuiſſe? De legato loquimur Venetæ Reip. non de vili quopiam inquilino, qui ſubinde ſedibus excuſſus ac domicilijs noua ſibi domicilia circumſpicere neceſſe habuerit, atque ad alias ex alijs ſedes ſua vaſa miſeramque ſupellectilem inuitiſsimè raptauerit. Atque ſanè de eo legato loquimur, qui
nomen

nomen notamque præſeferens Reipub. florentiſsimę, ſecum quocunque migrauit, curam conſeruandæ augendæque dignitatis Venetæ circuntulerit. De Iuſtiniano denique loquimur, quo haud ſcio an ſuauiorem quemquam Sol illuminarit: quo certè neminem arbitror nec ſplendore, nec ſapientia maiore functum legatione fuiſſe. Cuius ego viri ſi arcana legationis, ſi quæ flexit in melius, quæ multo ante, quàm euenirent, proſpexit, quæ dicendo perſuaſit, (quorum pleraque peracta ſecretò ac ſine arbitris) vellem vniuerſa percenſere, proferrem ſcilicet ſeriem pulcherrimorum conſiliorum, frontemque, me dicente, vos feriretis, mirati quemadmodum vir vnus, annis vicenis, quibus ab oculis ſuæ patriæ peregrinatus fuit, tot telas texere, tot retexere potuerit. Nam quid Herodotus Græcæ hiſtoriæ princeps decennem Solonis peregrinationem tantùm extulit? quid à Pythagora Samio peragratas terras verbis tam exquiſitis memorauit Diogenes Laertius? Par nempe Philoſophorum, cui fortaſſe domi *nec ſeruus*, *nec arca* fuit, hanc famis explendæ rationem excogitauit, vt neſcio quas leges, neſcio quas de fabis putidas nugas venditando, nouas quotidie gentes quæritaret. Cum Vlyſſeis potius peregrinationibus, quas Homerica Muſa iuſto perpetuoque volumine decantauit, peregrinationes cur comparem Iuſtiniani, complura perſuadent, tum annorum numerus, quibus patria caruerunt, qui velut ad amuſsim conuenit in vtroque: tum quòd à tergo præſto ſemper vtrique fuit benè ſuada Pallas Homerica, moderatrix itinerum, auctorque conſiliorum ſaluberrimorum: tum denique illud maximè, quòd vterque multorum hominum vrbes adeundo, ac multorum populorum explorando mores, vndique vim ſapientiæ quandam incredibilem corraſit.

Hæc dum memoro, leuor nonnihil, ſed redit impulſu dolor maiore, lancinatque mihi inteſtina, dum cogito talem oculum effoſſum eſſe Reip., ac orbis terrarum eſſe tantum lumen extinctum. Caſum tuum miſeror, Vir Excellentiſsime, quem poſtrema vixdum renun-

tiata legatione, cum requieſcere velut à longa iactatione geſtiebas in ſinu complexuque patriæ tuæ; capereque debebas ſummos honores, quos meritis tuis præſtantiſſimis deſpondebat Reſp. mors corripuit improuiſa, nimiſque acerba. Tu quidem, Ioannes Iuſtiniane, ſiue in illo iam Beatorum concilio (vt augeratur animus) feliciſſimo æuo frueris, ſiue propediem omni labe purgatus, es inter ſuperos iucundiſſimè conſeſſurus, has lachrymas exteri hominis, quas memoriæ tuæ dependit, pro tua benignitate boni conſule, & mœrorem hunc eius propemodum infinitum conſolare. Ego quidem Iuſtiniani caſum, ſi non diſertiſsimè, at certè dolentiſsimè defleui. Vobis verò, Veneti, (quid enim me nunc vetat abſentes appellare?) vobis, inquam, nondum venit in mentem ſuſpicari, quid virum ante diem ſuſtulerit è viuis? dolores aut apoplexiam falsò vos vocatis in inuidiam. Fallimini, ſi cui potius alij rei, quàm curis laboribuſque pro Repub. ſuſceptis mortem adſcribitis viri Excellentiſſimi. Patria Iuſtinianum interemit. Ergo ſaltem liberis, quos ille in ſpem gerendæ Reip. ſuſtulit, quos non opum magis, quàm frugalitatis ac integritatis hæredes inſtituit, præmia perſoluite, quæ quo minus parenti perſolueretis, mors præmatura interceſsit. Hoc agite: hoc ad famam veſtræ benignitatis pertinet, per gentes id vulgari, eis, qui pro Rep. vitam ſpiritumque profundunt, gratiam à vobis cumulatè referri. Dixi.

FINIS.

INDEX

Eorum quæ digna notatu in his Panegyricis viſa fuerunt.

A

ACanthis fœcunda auis: pag. 149
Accipiter Cuculum gignit. 21
Achillem capulo manus admouentem Pallas retinet. 99
Achilles nutritus leonum medullis. 429
Achilles fugitans belli Troiani. 275
Adoleſcens deſcribitur elegans & bonæ indolis. 36
Adoleſcentes tractandi leniter, non aſperè. 356
Adoleſcentem Ariſtoteles nō recipit in ludum Moralium. 359
Adoleſcens probus, & induſtrius Veri Sacro aſſimilatus. 490
Aegyptiarum mulierum fœcunditas. 149
Aegyptius Sacerdos quid dixerit de Græcis. 392
Aes Corinthium quomodo inuentum. 131
Aeſculapius mortuis reſtituit vſuram vitæ. 422
Aeſopi apologus. 38
Aeſopus humili ſella ſedere iuſſus quid dixerit. 191
Agni & tauri egregij & eximij qui fuerint. 177
Agricolæ præclara defenſio. 272
Aiax procedens latus ad pugnam. 114
Alcibiadis varij mores apud varias gentes. 47
Alcinoi hortus. 6
Alcmena Euripidis. 96
Alexandri M. indoles puerilis eximia. 389
Alexander Macedo eorum militum, qui in prælio ceciderant, ſimulacra voluit effingi. 270
Alexandri M. indoles & ſuperbia. 411
Alpheus fons ſubit mare Siculum. 310
Amaraci vnguenti origo. 136
Amari eſt quiddam imperio maius. 261
Amicus æſtimandus poſt modium ſalis. 250

Ami-

Amicorum ſimulata ſedulitas deſcribitur. 258
Amici prompta ſtudia. 259
Amor natus ex Pori, & Penia concubitu. 173
Amorem quæ vitæ rationes concilient. 83
Amoris vis nefaria deſcribitur. 104. 103
Amoris honeſti quæ ſit vis. 103
Amor muſicam docet. 312
Amoris Socratici, & honeſti laus. 296
Amoris turpis vituperatio. 297
Amor non creſcit ſine mutuo amore. 247
Anaxagora dictus Mens. 299
Angeli Politiani vana gloriatio. 60
Anguis Æſculapius Epidauro Romam vectus fœcundiſſimus. 149
Angibertus Puſterla Archiepiſcopus Mediolani donauit Baſilicæ Ambroſianæ altare aureum. 479
Anniceris Cyrenenſis aurigator reprehenſus à Platone. 40
Antiochus Rex magna parte regni mulctatus. 446
Antonij Ruſcæ laudatio. 139
Antonij Olgiati laus. 423
Antonius Ruſca Sondrij Archipresbyter. 424
Apellis ingenium in depingendo Antigono. 303
Apes Cretenſes ſeſe aduerſus ventum ſtabiliunt lapillis. 460
Apollinis augurium de Cupidine. 68
Apollo conſultus ab Athenienſibus, qua ratione boni viri prouenire poſſent. 193
Aquilarum mores. 400. & ſeq.
Architectorum priſcorum conſuetudo. 121
Arcturi ac Hædi diuerſa ratio. 165
Areopagitæ deteſtati adoleſcentis indolem oculos coturnicibus exculpentem. 388
Ariſtides oſtraciſmo pulſus Athenis ob probitatem. 481
Ariſtotelis iudicium de Athenis. 45
Ariſtotelis ratio eligendi ſucceſſoris. 225
Ariſtophanes ſingultum excuſat, ne loquatur. 431
Armutiæ falſa laus & ridicula. 416
Artifex artifici obtrectat. 395
Aſclepiades medicus mortuum reuocat ad vitam. 422
Aſtianax datus præceps è turre. 100

Ata-

Atalanta cum adoleſcentulis vagatur per ſyluas. 427
Athletæ, qui ante annum 35. numquam victores fuerunt, iubentur eam artem dediſcere. 364
Attalum multas artes venditantem exagitat Martialis. 128
Auguſti diligentia & ratio in educandis liberis. 425
Auguſtini iudicium de Diui Ambroſij, & Fauſti Manichæi eloquentia. 45
Auſteri, aſperique hominis deſcriptio & execratio. 457
Automedontis equi necem domini deplorant. 186

B

BAlbi I. C. oratio indocta & ridicula. 486
Berecynthia ob editos à ſe Deos gloriatio. 483
Breuitatem ſuam excuſat Pindarus. 363

C

C. Litera triſtis. 385
Candidus color laudatur. 22. 23
Canes Lycurgi quàm diſpares. 297
Cantillationes variorum artificum. 447
Carneadis Cyrenei factum. 181
Caroli Principis, filij Philippi II. indolem improbauit Carolus V. 388
Carolus Magnus Deſiderium Longobardorum Regem prælio victum in Galliam captiuum adducit. 214
Cæſaris ratio laudanda amita mortua. 496
Caſtitas Hippolyti. 57
Catonis & Scipionis Æmiliani comparatio. 309
Cephaſiæ tibicinis dictum. 347
Ceruæ catulos pariunt Ioue tonante. 96
Ceſtius Declamator auidus gloriæ. 305
Chriſtianus & Philoſophus perquam ſimiles. 394
Chryſantæ Perſæ laus. 167
Cicada quo modo nata. 75
Cleon pedem alterum in curia, alterum in caſtris habebat. 16
Clinia Terentianus odio patris obiurgantis militatum abit. 111
Clypeus Phidiæ cum multis imaginibus multarum rerum. 451
Colonia Allobrogum nidus omnium hæreſum. 375
Commodum Imperatorem nihil poteſt ad ſanam mentem atque ad virtutis ſtudium conuertere. 140
Con-

Concionatoris Euangelici magis prodeſt probitas, quàm doctrina. 347. 348
Concordiæ litant Argonautæ. 281
Conſortium improborum quantum obſit. 427
Conſtantia filij in morte patris. 426.308
Conſtantia laudatur à Seneca præclaro dicto. 309
Conuiuiorum Reges à quibus imperandis debet abſtinere. 416
Coquus rudis relictus vt mortuis cœnam coquat. 416
Corinthum L. Mummius incendit. 131
Cornelia Gracchorum mater ſuos filios oſtendit mulieri Campanæ. 58
Corporum noſtrorum tyrannis. 254
Corporis inualetudo contracta ex laboribus literarijs. 6
Corycij ſenis hortus qualis. 7. & 484
Crates Thebanus exprobrat ſuis ciuibus malos mores. 9.110. 111.
Cryſantam Perſam Cyrus laudat. 343
Cupido in crucem actus ab Heroinis deſcribitur. 334
Cypaſſis ſola digna, quæ pecteret & comeret Deas. 106
Cyri maioris indoles puerilis egregia. 389
Cyri minoris qualis expeditio. 374
Cyri oratio poſt deuictos Aſſyrios. 264
Cyro comitas multos populos ſubiecit. 320
Cyrum pater iubet eſſe rapacem, fraudolentum &c. 414
Cyrus Xenophontis minimè expreſſus è vero. 303
Cyrus Araſpem Medum accuſat corruptorem captiuæ. 335

D

DAnorum mos. 301
Danorum rex hiſtrionem voracem interfici iuſſit. 345
Deformes Claranus, Hipponax, & Sambaula. 73
Democriti oratio de animo, corporeque hominum. 254
Demonactis dictum de altercatione duorum philoſophorum. 155
Deploratur interitus virorum præſtantium. 494
Deſcriptio adoleſcentis accincti ad iter. 372
Dialecticorum concertatio. 142
Dialectica horrida & ſpinoſa. 46
Dialectica diſputatio vehemens & acris deſcribitur. 114

Dia-

Dialecticorum & Philoſophorum concertationes. 47.379
Didymus Alexandriuus habens anea viſcera. 104
Dionem conſuetudo cum Platone accendit ad virtutem. 139
Dionyſius Tyrannus velut liber lituris agens. 442
Diſcrimen duorum adoleſcentum. 470
Diſcrimen inter Socratem, & C. Auguſtum Medicem. 443
Diſcordiæ aliquot familiarum inſignes. 411
Docti viri vita laborioſa. 286
Doctrinarum variarum diuerſus vſus. 122
Doctus, ſed rudis rerum adminiſtrandarum. 301
Doctrina ſine eloquentia qualis. 25
Doctus archimimus in Capitolio mimum agit Dijs. 498
Dominicus Fontana erigit Romæ obeliſcum. 422
Domitianus coma ante diem caneſcente gloriatur. 427
Domitij Inſani vox barbara. 405
Dracones ac hydros innoxios habebat Macedonia, qui etiam cum pueris cubarent. 119

E

EBrij deſcriptio. 289
Educandi liberos ratio nefaria multorum. 280
Elegantia rhetoris, eiuſque comparatio cum Alcinoi delicijs. 282
Elegantia omnia inſtrumenta Antoniani. 243
Eloquentia ingens Arnaldi. 60
Eloquentia laudatur Nicolai Biffij. 30
Eloquentia genus perfectiſſimum deſcribitur. 44
Eloquentia non laſciuiens, neque lacinioſa. 112
Eloquentia ſe ipſam oſtentans pueriliter. 112
Eloquentia Vlyſſis qualis. 113
Eloquentiam oratoris Euangelici qualem eſſe oporteat. 113
Ennius tria corda fertur habuiſſe. 15
Epaminondæ filia Leutrica victoria. 316
Epictetus vetat ornari domum tabulis pictis. 163
Epicteti iudicium de doctis improbis. 400
Equa peperit leporem. 21
Equa cognomento Iuſta apud Pharſaliam. 425
Equini pulli vnde indolem cognoſcat Columella. 389
Equus bellator & acer deſcribitur. 377

Era-

Eratoſthenes appellatus B. 469
Euphorbus Troianus quali cultu prodijt ad pugnandum. 46

F

Factionum ſtudia. 135. 381. 490
Familijs ingenerata probitas. 108
Federici Aenobarbi odium inexpiabile contra hanc Metropolim. 386
Felicitatis qua in re poſita ſit vera ratio. 189
Ficus Indica qualis. 22
Filij defenſio, qui patrem verberauit. 109. 474
Formica deſcribitur prouida & ſatagens. 344
Formoſi adoleſcentis deſcriptio. 72. 73. 240. 314
Franciſci I. Galliarum Regis infelix prælium apud Ticinum. 467
Fratrum diſſimillima ratio vitæ. 439

G

Geneſis Aſtrologorum irridetur. 242
Gladij Delphici multiplex vſus. 354
Gloriatio ob propugnatas feliciter theſes. 114
Gorgiæ Leontino ſtatua poſita apud Delphos. 213
Gorgiæ Leontino tam multiſcio aptum nomen quærit Socrates. 126
Gorgiæ Leontini orationes dictæ lampades. 45
Gracilitas corporis laudatur. 24. 315
Græca linguæ ſtudium quale. 49. 50
Græculi gloriatio. 108
Græci glorioſi & oſtentatores. 115
Græcorum vox in conuiuijs. 448
Gregorij Magni querela. 1
Guidus Puſterla Mauros & Sarracenos à regni Neapolitani ora maritima pellit. 480
Gula perditæ nobiles. 162
Gulielmus Puſterla gener Matthæi M. 479

H

Hector metuit Troianos & Troianas. 73
Helena Hercule fortior. 72
Helena pharmacum diluit Vlyſſi, quo ne flere poſſet. 448
Helenæ querela. 305

Henrici Cæſaris qualis aduentus in Italiam. 194
Hercules elidit angues Iunonios. 252
Herculei labores enumerantur. 262
Herculi quid euenerit in eligendo genere vitæ. 176
Hercules falſus Menandri poetæ. 96
Hercules comitibus ſuis aſper & grauis. 97
Herculis nauigatio ad Colchidem. 95
Hercules præceptorem cithara necauit. 98
Herculis victoriæ apud multas gentes. 100
Herculum duorum diſſimilitudo. 104
Herculem laudare eſt ſuperuacaneum. 237
Hercules docet quo modo probanda eſſet ſuorum filiorum indoles. 399
Hibernia nullum animal nocens alit. 255
Hipparchus notatus, quod ſtellas numeraret. 216
Hippocentauri dicti Sophiſtæ, Equites, Chriſtiani. 145
Hippoclides excidit coniugio ob motum corporis inconcinnum. 409
Hippolyti caſtitas. 57
Hominem balneo aſſimilat Epictetus. 393
Hominum quidam optimi, quidam mediocres, quidam extremæ notæ. 388
Homo animantium infeliciſſimus. 186
Homo animantium feliciſſimus. 186
Hortatio ad oppugnandam hæreſim. 311
Horti cura commendat matrem familias. 40
Hyanæ modò mares, modò fœminæ. 458

I

IAnus bifrons. 153
Ignem è prunis laudat Anacharſis. 246
Imbres, nubila & tonitrua naſcente Hercule. 95
Inconſtantiæ vituperatio. 458. 116
Ingenium deſcribitur viuidum & ardens. 176
Ingenium amabile Pamphili Terentiani. 409
Inſulæ Fortunatæ in Gaditano freto. 206
I. Mariæ Odeſcalchi Epiſcopi laus. 402
Ioannis Baptiſtæ Verdembergi Comitis laus & felicitas. 423
Io: Iacobi Medicis laus. 435
Io: Iacobi Medicis comparatio cum Io. Angelo fratre. 439

Iouis

Iouis & Mercurij peregrinatio. 293
Irati deſcriptio. 473
Italiæ fœcunditas deſcribitur. 26
Iuriſprudentia laudatur. 14.380.362
Iuſtinianæ familiæ nobilitas. 495
Iuſtiniani Imperatoris victoria de barbaris. 495
Iyngem auim è cælo Venus deportauit. 409

L

LAcedæmoniorum chorus qualis. 217
Lacænæ matris oratio ad filium. 225
Lacedæmonij in adoleſcentum conuiuia introducebant ebrios. pag. 288
Lacedæmonijs contra Arcades pugnaturis editum oraculum. pag. 114
Lacænæ ſolæ pariunt viros. 483
Laches Terentianus ex agro vicino vrbi capit voluptatem. 127
Lacones ad aram Dianæ pueros cædebant. 197
Lacones Martis ſimulacrum religarunt, ne abiret. 109
Lampis pirata claſſis nauium L. 272
Latinæ linguæ vera ratio. 7
Latinam linguam infuſcauit I. Lipſius, & contra ipſum querela. 8
Laurentij Iuſtiniani laus. 496
Laurentij Iuſtiniani ſanctimonia. 496
Laurus Inſana quam vim habeat. 74
Leæna & elephas minimè fœcunda. 150
Ledanum vbi naſcatur. 291
Legati munus quas virtutes repoſcat. 501
Leonides pater Origenis gloriatur tali filio. 59
Lepus ſuperfœtat. 149
Leucopetra remedium amatorum, & qui ſe ex ea præcipitauerint. 335
Liberi quando procreandi à parentibus. 457
Lindij ſacra faciunt Herculi cum multis diris & maledictis. 93
Literarum comparatio eſt magni laboris. 429
Lucerna Martialis multorum ellychniorum. 127
Lucius bipedali minor. 344

L.

L. Cornelius Sylla Felix appellatus. 202
Ludouicus V. Galliarum Rex quare dictus Faineant. 486
Lyſandri Lacedamonij vox ſapiens. 348

M

M. *Litera auſpicatiſſima.* 117
Magiſtratus probat virum. 500
Mare, quàm varium in varijs locis. 459
Marſorum familia non læditur à veneno. 401
Maurus Iouius medicus præſtans, 422
Medicorum Ægyptiorum & Græcorum ratio. 144
Mediolani laus. 463. 464
Menedemi dictum. 287
Menelai dictum. 287
Mercurij lex lata in concilio deorum. 143
Mercurij ſignum poſitum in triuijs, & antiquorum religio. 147
Midæ aures cur enormes ſint. 491
Mileſij aliptæ laudatio. 141
Mileſiæ fabulæ & obſcœni ſcriptores vituperantur. 69. 70. 293
Modeſti adoleſcentes apud Menandrum. 105
Montes igne inſignes. 294
Montij Cardinalis & Venetæ reip. concertatio propter Cereſolum. 90
Moram conuiuijs nunquam obiecit Polycarmus Athenienſis. pag. 340
Mores optima familia. 256
Mulieres in Capitolio comentes Iunonem & Mineruam. 398
Multiſcius, ſeu multiplicium facultatum homo. 11. 12
Muſtela aure concepit, parit ore. 274

N

N*Auigatio vitanda.* 277
Nauis deſcriptio. 280. 281
Nautarum varia munia. 284
Negotia dicta pallida. 410
Neſſus fluuius Pythagoram ſalutat. 145
Nicia pictor dicit eligenda picturæ argumenta inſignia. 397
Nobilitatis laus. 20. 210. 211. 305
Nobilitatis vis. 477. 497
Nobilitatem Sophiſtæ anteponebant Virtuti. 289
Nobilitatem Arcades tantam iactabant, vt ſe ante Lunam ex-

extitiſſe dicerent. 299
Nobiles ignaui aut improbi obiurgantur. 291
Nobilitas filia virtutis, mater bonæ mentis. 305
Nobilitate gloriatur apud Ouidium N. N. 290
Nobilitate gloriatur Pſycharpus rex Murium. 290
Nominis longi dignitas, breuiſque vituperatio. 239
Non *monoſyllabam ſunt qui nequeunt pronuntiare.* 28
Nouercæ quales. 48. 49
Nox aptiſſima ſtudijs literarum. 5
Nuptias ſuadet amico. 171

O

OBeliſcus Ægyptius Romæ erectus. 422
Obiurgat filius matrem in ſuo ipſius diſceſſu plorantem pag. 373
Obſcuritas orationis notata. 222. 223
Ochi regnum ineuntis augurium. 68
Oratio querentis, quod ſe pater ableget Lutetiam cauſa ſtudiorum. 371
Oratio rhetorum atque dialecticorum diuerſa. 487
Oratorem vult eſſe inuerecundum Lucianus. 30
Origenis pater Leonides exultat tali filio. 59
Otho Galerij Trachalli vtebatur ingenio. 456
Othonis morituri conſilium datum fratris filio. 465. 498
Ouium Lybicarum fœcunditas. 149

P

PAllor eſt color amantium. 379
Paralium triremis Athenienſium vehens fœnum. 20
Paridis iudicium. 333
Paruæ aues infœcundæ. 349
Pater deſcribitur ſeuerus in educandis filijs. 3
Patriam puerorum indicare Mangones iubentur. 417
Patriam obſcuram ſortiti viri præſtantiſſimi. 190
Paulus Æmilius non minus conuiuator elegans, quàm ſapiens Imperator. 62
Paulus Iouius mercede promittit obſcuro cuiuis nobilitatem. pag. 474
Pericles curiam ingreſſurus quid cogitaret. 35
Pericles orator aculeum infigebat animis. 141
Periplectomenis Plautini ridicula gloriatio. 307

Perſarum reges cubicularius mane excitabat. 413
Peſtilentiæ calamitas enarratur. 51
Petates amici. 28
Phædri liberti apologus. 211
Philippus II. parodia Liuiana Carolum Principem incuſat. pag. 488
Philippus Macedo accuſat Demetrium filium. 488
Philoſophiam qualem eſſe dicat Plutarchus. 489
Philoſophos irridet Lucianus. 300
Philoſophus improbus & voluptarius, quem in Bithynia vidit Lactantius Firmianus. 300
Picturæ obſcœnæ damnantur. 451
Pius IIII. ornat patriam. 438
Pius IIII. Fraſcarolum ſecedit, & quapropter. 439
Pius IIII. Concilium Tridentinum abſoluit. 437
Pij IIII. mitis indoles abhorrens à ſtudio armorum. 440. 441
Plagium, ſeu furtum literarium defenditur. 488
Plato cur iterum Syracuſas profectus fuerit. 53
Plato quare noluerit Cyrenenſibus leges condere. 161
Platonis dictum. 384
Platonis mos. 427
Plenilunium expectant Lacedæmonij. 22
Poematum molliorum, obſcænorumque vſus vituperatur. 293. 169. 70.
Poeſis vituperatur. 183. 378
Pompeij M. publicus amor. 458
Pomponius Atticus nunquam in gratiam redijt cum matre, pag. 323
Præceptorem metuentes pueri. 390
Præceptores à principibus inuitati magnis ſtipendijs. 88
Præceptores Galli & Scoti nimis ſeueri. 270
Præceptoris lætitia ob diſcipulorum doctrinam. 264
Præceptorum atque Parentum diſcrimen. 267
Præceptorum vitia imitantur Platonis, & Ariſtotelis diſcipuli. 403
Præcox ſapientia raro vitalis. 82
Principem ait Vegetius eſſe doctiſſimum oportere. 470
Principes memorantur multi literatorum fautores. 146
Principibus maledicere intutum eſt, & periculoſum. 75

Principibus viris placuiſſe præclarum eſt. 395
Principum Clariſſimi mortui ſine liberis. 149
Proceritas corporis laudatur. 150
Proceritas vituperatur. 345
Proceritas apta aratori. 346
Proceros milites iuſſit eligi Pyrrhus. 341
Proci neminem patiuntur alium, præter ſe, tendere arcũ. 305
Prouincialis quidam per fallaciam init conuiuium Caligulæ. 81
Puer ſenili prudentia. 152
Puériles mores & ſtudia deſcribuntur. 81
Pupillorum calamitas. 79
Puſterlarum antiqua nobilitas. 478
Pythagoræ decreta. 65
Pythagoræ femur aureum. 219

Q

Q. Metellus Pius. 203
Querela de Principibus, qui non fauent literis. 406
Quietis phanum extra vrbem poſitum. 280

R

R. litera inauſpicata. 385
Rapere aliena eſſe quiddam regium ait Solimanus. 488
Roſa vicina cepis olent ſuauius. 256
Roſcius nullum ſuum diſcipulum magnopere probauit. 1
Rubor ſignum virtutis, virtutiſque color. 244
Ruſcarum perantiqua nobilitas. 135
Ruſticus deſcribitur primum ingreſſus vrbem. 432

S

Sacerdotes quibus legibus & moribus viuere debeant. 177
Sacerdotes antiqui quo cultu corporis vterentur. 179
Sacerdotum cultus mollior caſtigatur. 179
Sapientiæ cum eloquentia coniunctio quàm præclara. 61
Sapientum veterum plurimæ literæ, & plurimarum rerum notitia. 129
Scopa decorata palma apud Martialem. 298
Seculi noſtri defenſio aduerſus eius accuſatores. 158
Seminarÿ Mediol. ſeuera diſciplina. 43
Seminarÿ laus. 43
Seminarÿ Mediolanenſis laus. 195. *deſcribitur eius diſciplina*

plinæ ratio. 140
Serranus & Cincinnatus boni aratores, & optimi Imperatores. 41
Siculorum agrorum vbertas. 166
Sidonij rhetoris encomium ſui ipſius. 11
Simonides naufragus. 52
Simulare amorem ac pietatem. 201
Socrates Xenophontem adoleſcentem obiurgat. 306
Socrates tribus rebus oblectari ſolitus. 124
Socrates magna contentione virium comprobat editum de ſe oraculum. 442
Socrates ad Venerem natus procliuis. 472
Socratis de Iſocrate vaticinium. 4
Solem qui primus naſcentem vidit, eum barbari Regem elegerunt. 119
Solis curſus. 375
Somnum incuſat Plutarchus ſurripientem nobis partem dimidiam vitæ. 485
Sophiſtis erat commune argumentum dicendi pugna Marathonia. 407
Stratonem ingenuum ſerui ſibi ducem & principem eligunt in defectione. 477
Summorum Pontificum ſumma auctoritas. 436
Sybaritarum mos in inuitandis conuiuis. 339

T

Telluris diuerſa ratio. 10
Telluris Italicæ fœcunditas. 10
Teredines lignis teneris innaſcuntur. 425
Tetrici & ſeueri hominis deſcriptio. 457
Thebanorum lex lata figulis & pictoribus. 133
Theocriti Chij dictum contra Bizantios. 471
Theophraſto barbaros audienti oboriebatur febris. 45
Theſes propugnatæ, eiuſque rei enarratio. 155
Thraſeæ Pæti, & aliorum triſtis ſeueritas. 192
Tiberij puerilis indoles praua. 388
Tireſia conſultus de Hercule quid reſponderit. 262
Tireſiæ ſimulacrum apud Thebanos quale fuerit. 458
Toxaris Anacharſi peregrinanti Solonem oſtendit. 180
Traſymachus numquam erubuit. 349

Trimi pueri quam coniecturam afferant. 163
Triumphi Romanorum quales. 325
Turriani ſæpe victores, ſæpe fuſi à Vicecomitibus. 194
Tyrij Apollinem deuinxerunt, ne ſe ipſos desereret. 109

V

VEneris Eurotam tranſitura deſcribitur ornatus. 18
Veneris conuiuium apparatum Dijs. 173
Veneri ſeruientes obiurgantur. 75
Ver Sacrum quale. 490
Veritatis qualis eſt oratio. 450
Vicecomites falsò criminatur Paulus Iouius. 432
Vicecomites deiecti de principatu. 464
Vicecomitum atque Turrianorum dimicationes de imperio. pag. 466
Vici multi Romani enumerantur, in quibus peſſimi ciuium morabantur. 175
Victoriæ ſimulacro fulmen alas decuſſit. 109
Vigiliæ quàm vtiles adoleſcenti. 299
Villarum L. Luculli, & Q. Scæuolæ diuerſa ratio. 61
Virtus etiam in hoſte laudatur. 351
Vlyſſes Aiacis inimici mortem deplorat. 351
Vlyſſis & Aiacis controuerſia de armis Achillis. 275
Voluptates ſpretæ ſunt magna voluptati. 337
Voluptatum impotens dominatus. 101
Vrſa cæleſtis nunquam occidit. 494
Vulcanus de cælo præcipitatus crus confregit. 100

X

XErxis expeditio qualis. 374
Ximenis Archiepiſcopi Toletani dictum. 403

Y

Y. Litera Pythagorica deſcribitur. 390

Z

ZOroaſtri dictum. 31

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ERRATA.

Pag. 11	perpeti,	pro	præpeti.
38	de audiendis pactis,	pro	de audiendis poetis, in poſtilla.
77	In Verdelli oppido	pro	In oppido Verdello,
97	Herculem.	pro	Herculem.
116	Vrſino	pro	Montio.
	laxata	pro	luxata.
	hæccine,	pro	hæne.
136	obſequi	pro	obſequij.
238	Alexandri	pro	Alexander.
255.486	Mondi	pro	Mundi.
299	incitanre	pro	incitare.
306	Acthæone	pro	Actæone.
314	Vacinia	pro	vaccinia.
317	ebblanditis	pro	eblanditis.
327	Næniam canere	pro	cœnam coquere.
347	Vicijs	pro	vitijs.
347	vulnera ſuo	pro	ſua.
348	Cuſana,	pro	debet deleri.
355	Abdua	pro	Addua, vt plures ſcribunt.
357	res ſibi fuit	pro	res tibi fuit.
360	Tuæ vocis	pro	Suæ vocis.
363	Mehematica	pro	Mathematica.
370	ite	pro	ire.
381	ſi minus lautiſſimè,	pro	ſi minus lautè.
388	genetliacis	pro	genethliacis.
390	tremens æuia	pro	tremens quia.
392	per ſpiſſo	pro	pro ſpiſſo
418	Luganum,	ſeu	Lucanum.
419	condidiſie	pro	condidiſſe.
421	palœſtra	pro	palæſtra.
425	domum. Cæſaris,	pro	domum Cæſaris.
428	incuſpatæ	pro	inculpatæ.
432	hac noſtram,	pro	hanc noſtram.
434	rurſut	pro	rurſus.
438	Sorbellona,	pro	Sorbellonia.
444	diſcerſiſſet	pro	diſceſſiſſet.
448	cum in,	pro	cum in.

Cætera condonabit, atque corriget benignus Lector.

EX mandato Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris noſtri vidi Librum cui titulus *Alexandri Perlaſcæ Panegyrici xxxvi. &c.* Nihilque in eo notaui, quod religionem pietatemque Auctoris non deceat, quod lectorum oculos animoſque poſſit offendere. Quare illum digniſſimum exiſtimo, qui ad virtutis incitamentum, ad eruditorum oblectamentum, & ad iuuentutis emolumentum in lucem edatur, Mediolani die prima Iulij 1667.

Fauſtinus de Pado librorum reuiſor.

IMPRIMATVR.

Fr. Ludouicus Auguſtinus Caſtellus Ordinis Præd. S. Theol. Magiſter, & Commiſſarius S. Offitij Mediolani.

Carolus Ghioldus Theol. S. Nazarij pro Eminentiſſimo, & Reurendiſſimo D.D. Cardinali Litta Archiepiſcopo.

F. Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

Digitized by Google

Google